This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
1817
LIBRARIES

# Q. HORATIUS FLACCUS.

RECENSUIT

## IO. CASP. ORELLIUS.

ADDITA EST

*FAMILIARIS* INTERPRETATIO.

**EDITIO MINOR.**

VOLUMEN PRIMUM.

TURICI
SUMPTIBUS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM.
LONDINI,
APUD BLACK ET ARMSTRONG.
M. DCCC. XXXVIII.

878
H5
O
1838

# PRAEFATIO.

Cum redemptoribus honestissimis placuisset, ut iisdem operarum formis servatis una cum Horatii editione maiore minor quoque a me pararetur illius dimidiam circiter partem complectens, resecui primum varietatem lectionis, ea dumtaxat memorata, de qua ut in scholis dissereretur necessarium videbatur, deinde magnam partem et exemplorum in altera editione allatorum et interpretationum minus rectarum, quas in illa certis argumentis refutare conatus sum.

Quae iam remansit interpretatio aeque ac copiosior illa non tam Grammaticis, quam eorum usui destinata est, qui etiamnunc huiusmodi commentarios consulunt, id est, cum adolescentes primum Horatii carmina lecturi vel quas apud praeceptores audierunt interpretationes repetituri; tum viri, qui aliis negotiis districti interdum tamen ad poëtam, cuius inde ab ineunte aetate gratam memoriam merito conservarunt, ita redire cupiunt, ut ne nimis abstrusis, operosis diffusisque disputationibus primum intricentur, mox a legendo deterreantur.

Recognitio Meineckiana meae tamquam fundamentum est, ita ut potissimum e Codicibus Blandinianis Cruquii,

Bernensibus, Sangallensi et Turicensi a me collatis lectiones meo quidem iudicio praestabiliores reciperem, a criticorum coniecturis abstinerem; sane per quinque hos Carminum libros duas tantummodo a me receptas esse memini. (Od. 3, 17, 5. Epod. 4, 8.)

Scribebam Turici XI. Die mensis Martii.
M. DCCC. XXXVII.

# HORATII METRA LYRICA.

## A. VERSUUM SINGULORUM GENERA.

### a) VERSUS TROCHAICI.

*Dipodia trochaica:* ⏑́ – ⏑́ –

1. *Ithyphallicus:* ⏑́ – ⏑́ – – –, qui ex *uno* ordine periodico constat. (v. 19.)

2. *Versus trochaicus dimeter catalecticus:*

– ⏑ – ⏑ – ⏑ – c. II, 18, 15:

*Truditur dies die.*

Horatius in secunda sede *spondeum* non admittit.

### b) VERSUS IAMBICI.

*Numerus iambicus* eo solum differt a *trochaico*, quod ipse anacrusin habet: ⏑ | – ⏑ – – . . . . . .

*Dipodia iambica:* – ⏑́ – ⏑́

3. *Dimeter iambicus acatalectus s. quaternarius:*

⏑ ⏑́ – ⏑́ – – ⏑́ – –

*Inarsit aestuosius.* Epod. 3, 18.

*Vel haedus ereptus lupo.* Epod. 2, 60.

*Imbres nivesque comparat.* Epod. 2, 30.

*Forti sequemur pectore.* Epod. 1, 14.

*Videre properantes domum.* Epod. 2, 62.

*Ast ego vicissim risero.* Epod. 15, 24.

In dipodia secunda Horatius *arsis solutionem* non admittit.

4. *Trimeter iambicus catalecticus:*

– ⏑́ – ⏑́ – – ⏑́ – ⏑́ – ⏑́ –

*Mea renidet in domo lacunar.* II, 18. 2.

*Iam te premet nox fabulaeque manes.* I, 4, 16.

*Regumque pueris, nec satelles Orci.* II, 18, 34.

In primo dipodiae tertiae pede Horatius syllabam ancipitem non usurpavit; semel tantum (II, 18, 34.) in sede secunda *arsis* fit *solutio.*

5. *Trimeter iambicus acatalectus* s. *senarius*:

⏓ –́ ⏑ –, ⏓ ‖ *) –́ ⏑ – ⏓ –́ ⏑ ⏓
⏑⏑ – ⏑⏑, ‖ ⏑⏑ ⏑⏑
– ⏑⏑

*Suis et ipsa Roma viribus ruit.* Epod. 16, 2.

*Heu me per urbem, nam pudet tanti mali.* Epod. 11, 7.

*Tibi hospitale pectus et purae manus.* Epod. 17, 49.

*Deripere lunam vocibus possim meis.* Epod. 17, 78.

*Infamis Helenae Castor offensus vicem.* Epod. 17, 42.

*Optat quietem Pelopis infidi pater.* Epod. 17, 65.

*Alitibus atque canibus homicidam Hectorem.* Ep. 17, 12.

*Vectabor humeris tunc ego inimicis eques.* Ep. 17, 74.

*Pavidumque leporem et advenam laqueo gruem.* Ep. 2, 35.

In Epodon carm. 16. Horatius puris iambis usus est 33.

c) VERSUS DACTYLICI.

*Dactylus:* –́ ⏓⏓

6. *Dimeter catalecticus in disyllabum* s. *versus Adonius:*

–́ ⏑⏑ – ⏓

*Terruit urbem.*

Hoc in versu spondeus dactyli loco nunquam usurpatur.

7. *Trimeter dactylicus catalecticus in syllabam* s. *versus Archilochius minor:*

–́ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⏓ *Pulvis et umbra sumus.* IV, 7, 16.

Spondeis Horatius non utitur.

---

*) Caesuram eam, quae *certis* in sedibus locum saepissime habet, his notis (‖) et (,) significavimus.

8. *Tetrameter dactylicus catalecticus in disyllabum s. tetrameter heroicus:*

⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏓

*Carmine perpetuo celebrare et.* I, 7, 6.
*O fortes peioraque passi.* I, 7, 30.
*Mensorem cohibent, Archyta.* I, 28, 2.

9. *Tetrameter dactylicus acatalectus s. v. Alcmanius:* ⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑ – ⏑⏑ – ⏓. (v. 19.)

10. *Hexameter dactylicus catalecticus in disyllabum:*

⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑, – ‖ – ⏑⏑ – ⏑ – ⏑⏑ – ⏑ ⏓
(—)

Interdum etiam in *sede quinta* spondeus locum habet, I, 28, 21. Epod. 13, 9; 16, 17. *Caesura* non semper eodem loco invenitur, cfr. I, 7, 29; 28, 5. Epod. 16, 21. Ter ne his quidem locis observatur: I, 28, 15 et 29. Epod. 15, 9. Si deesse his locis caesuram docemus, caesuram dicimus *masculam*, quae in arsi fit.

d) VERSUS DACTYLICI LOGAOEDICI,

in quibus *seriem dactylicam* subsequitur *series trochaica*. *Logaoedici* dicti sunt, quod *dactylici* et *trochaici* numeri coniunctione medii inter *cantum* et *communem sermonem* esse videntur. *Dactyli* in eo versu *puri* conservari debent.

11. *Versus Alcaicus decasyllabus*, constans *duobus dactylis totidemque trochaeis:*

⏑ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⏑ ⏑ – ⏓.

*Purpurei metuunt tyranni.* I, 35, 12.

Syllaba anceps in solo ultimo pede admittitur.

e) VERSUS CHORIAMBICI.

*Choriambus:* – ⏑ ⏑ –

12. *Versus Aristophanicus s. choriambus catalexi logaoedica:* ⏑ ⏑⏑ – ⏑ – ⏓.

*Lydia, dic, per omnes.* I, 8, 1.

13. *Trimeter choriambicus catalecticus s. Anacreon-*

*tius*, quo versu Horatius sic utitur, ut *dipodiam trochaicam* ei praemittat:

–́ ⏑ – –, –́ || ⏑ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓.

*Te deos oro, Sybarin cur properes amando.* I, 8, 2.

Quem versum *Sapphicum maiorem* vocant, quod ex *v. Sapphico minore* inserto uno choriambo ortus esse videtur. Cfr. infra. Dipodiae trochaicae syllaba ultima nusquam brevis est; catalexis est *logaoedica*.

14. *Monometer choriambicus hypercatalectus cum basi* s. *versus Pherecrateus*. Basis semper apud Horatium spondeo continetur:

–́ –́ | –́ ⏑ ⏑ – ⏓.

*Grato, Pyrrha, sub antro.* I, 5, 3.

15. *Versus Glyconeus*. Constat ex *basi*, quam apud Horatium plerumque spondeus tenet, et *choriambo*, quem sequitur *pyrrhichius* vel *iambus*. Quare similis est hic versus ordini logaoedico:

–́ –́ | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓.

*Nil mortalibus arduum est.* I, 3, 37.

Bis tamen poëtarum Graecorum more *trochaeo* basis continetur. Cfr. I, 15, 24 et 36., ubi vide annotationem. Semel in fine syllaba addita est ob vocalem, a qua sequens versus incipit, elidenda. IV, 1, 35.

16. Choriambo uno locupletior est *versus Asclepiadeus minor*, s. *trimeter choriambicus catalecticus cum basi*:

–́ –́ | –́ ⏑ ⏑ – | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓.

*Maecenas atavis edite regibus.* I, 1, 1.

Diaeresis*) bis negligitur, II, 12, 25. IV, 8, 17.

*Dum flagrantia detorquet ad oscula.*

*Non incendia Karthaginis impiae*, quo de versu vide annotationem ad l. l.

---

*) *Diaeresin*, quam dicimus, ubi finis verbi in finem pedis, qui dicitur, vel finis ordinis alicuius verborum in finem ordinis alicuius metrici incidunt, ita notavimus: (,) et (|).

Semel in pausa *brevis* est syllaba. III, 16, 26.

17. Uno choriambo auctior est *versus Asclepiadeus maior* s. *Tetrameter choriambicus catalecticus cum basi*:

⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ –, – | ⏑ ⏑ –, – | ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ –.

*Quis, post vina gravem militiam aut pauperiem crepat?* I, 18, 5.

Semel tantum loco secundo diaeresis abest I, 18, 16.

*Arcanique fides prodiga perlucidior vitro.*

f) VERSUS IONICI.

*Versus ionici* vocantur ob *pedes ionicos* [⏑ ⏑ – – (Ionici a maiore) et – – ⏑ ⏑ (Ionici a minore)], ex quibus constant.

18. *Versus ionici* a maiore apud Horatium non reperiuntur; *ionicis a minore* sic utitur, ut decem pedes ionicos *uno systemate*, quod dicitur, complectatur; vide Bentl. annotationem ad III, 12.

– – ⏑ – – – ⏑ – – – ⏑ – – – ⏑ –
– – ⏑ – – – ⏑ – – – ⏑ – – – ⏑ –
– – ⏑ – – – ⏑ –.

Ex quattuor eiusmodi partibus constat Carm. III, 12.

g) VERSUS ASYNARTETI.

Duplex est *compositio* versuum. Fit enim aut *per cohaerentiam*, quam *συνάφειαν* Graeci vocant, quae in commissura duarum partium *nihil* fieri patitur, quod *perpetuitatem* orationis interrumpat; aut *sine vinculo*, qui sunt *asynarteti*, in quibus et perpetuari oratio et interrumpi potest. Sic Hermannus docet. In versu igitur *asynarteto* cuiusvis membri ultima syllaba eadem lege ac si esset ultima versus, et longa et brevis esse potest, neque eliditur.

*Versus asynarteti*, quibus Horatius usus est:

19. *Versus Archilochius maior*:

⏑ – ⏑ – ⏑ –, – || – ⏑ – ⏑ – ⏑ – | ⏑ – – – – – –.

*Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni.* Carm. I, 4, 1.

Hic versus compositus ex *versu Alcmanio* (n° 9.) et ex *versu Ithyphallico* (n° 1.), si ad Horatium solum spectemus, a versuum genere asynartetorum excludi possit, cum Horatius nec *pedem creticum* — ⏑ — nec *spondeum* in *quarta sede* posuerit neque *hiatu* sit usus; sed poetae Graeci compositos hos versus ita iungunt, ut versum ipsum asynartetum esse facile pateat, fiat tamen incertum, cur Horatius nulla eiusmodi licentia sit usus.

20. *Versus elegiambus*, compositus ex *penthemimeri dactylica* (trimetro dactylico catalectico in syllabam) [n° 7.] et *versu iambico dimetro acatalecto* s. *versu quaternario* [n° 3.]:

⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ‖ – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – –

*Desinet impariбus certare submotus pudor.* Epod. 11, 18.

*Libera consilia nec contumeliae graves.* Ep. 11, 26.

*Inachia furere, silvis honorem decutit.* Ep. 11, 6.

*Fervidiore mero arcana promorat loco.* Ep. 11, 14.

21. *Versus iambelegus*, ex iisdem partibus ac versus praecedens constans, ita, ut ordo sit inversus:

– ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – ‖ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –

*Tu vina Torquato move consule pressa meo.* Ep. 13, 6.

*Levare diris pectora sollicitudinibus.* Ep. 13, 10.

h) METRA A METRICIS VETERIBUS *κατ' ἀντιπάθειαν μικτὰ* PERPERAM NOMINATA.

22. *Versus Sapphicus minor* s. *metrum epichoriambicum Sapphicum hendecasyllabum.* Constat *dipodiâ trochaicâ* et *ordine logaoedico* (cfr. n° 1.):

⏑ – ⏑ –, ‖ ⏑ ‖ – ⏑ ⏑ – ⏑ – –

*Ludit herboso pecus omne campo.* III, 18, 9.

Saepe caesura est post syllabam brevem sextam, cfr. IV, 6, 27. etc. neutro in loco I, 2, 34., nisi verbum cum Iahnio separas, quod in hac quoque editione factum est. Interdum versus *hypermeter* est, id est, ultima eius

syllaba supervacanea eliditur vocali, a qua subsequens incipit versus. II, 2, 18; IV, 2, 22, 23. Carmen seculare 48.

23. *Versus Alcaicus hendecasyllabus* s. *metrum epiionicum a maiore*, constat ex *dipodia trochaica praecedente anacrusi*, et *dipodia dactylica:*

⏓ | ⏑́ ⏑ – ⏓ | ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓.

*Dulce et decorum est pro patria mori.* III, 2, 13.
*Tumultuosum sollicitat mare.* III, 1, 26.
De *v.* 17. in carm. II, 15. vide ibi annotationem.

24. *Versus Alcaicus enneasyllabus:*

⏓ | ⏑́ ⏑ – ⏓ ⏑́ ⏑ – ⏓.

*Si fractus illabatur orbis.* III, 3, 7.

Ultima syllaba supervacanea vocali subsequentis versus eliditur II, 3, 27.

## B. SYSTEMATA ET STROPHAE.

Quae sint *systemata* et *strophae* atque quomodo inter se differant, cum *Hermannus* V. Cl. luculente nos docuerit, eius expositionem huius rei praemittere placuit.

*Versus* aut *nexi* sunt, quorum plures una perpetuitate numeri cohaerent; aut *non nexi*, qui inter se pausa vel silentio discreti sunt; aut *seminexi*, quorum plures, ut libitum est, vel continuato vel per pausam interrupto numero continentur: qui vocantur etiam *asynarteti.*

*Systema* est numerus perpetuus e *versibus nexis* cohaerens.

*Stropha* est numerus e versibus *utcunque* consociatis compositus.

Commune itaque *systematis* et *strophae* est, quod ex pluribus versibus constant; propria sunt, quod in *systemate* versus *nexi* sunt, unaque perpetuitate numeri cohaerent; in *stropha* autem non est necessarium, ut *nexi* sint, sed et *nexi* et *non nexi*, et *seminexi* et partim

*nexi*, partim *non nexi*, partim *seminexi* esse possunt. — Et *stropha* omnis et *systema* omne integra voce finiendum est: sed, qui *systemate* continentur versus, non opus est, ut integra voce finiantur; qui *stropha* continentur, tum demum, si *non nexi* sunt, cum ipsa voce finiri debent.

*Stropharum* genera sunt quattuor: *primum* et antiquissimum *genus stropharum* ex duobus versibus constabat, uno longiore, altero breviore, qui appellati sunt *epodi; secundum genus stropharum* breve est et fere ex quattuor versibus, numero similibus compositum. (Ceteris stropharum generibus *Horatius* non est usus.)

Antiquissimi lyricorum poëtarum et κατὰ στίχον, id est, eodem versu semper repetito sine strophis carmina faciebant, et pluribus versibus in strophas coniunctis, sed iis aut idem aut simile metrum habentibus. Aliae harum stropharum plane ex eiusdem versus repetitione constant, ita ut, si metrum dumtaxat spectetur, κατὰ στίχον composita videri possint carmina. Iure enim Meineckius quaternos Asclepiadeos uno systemate videtur coniunxisse. Aliae *strophae* ex eodem numero *per systema* continuato constant, ita, ut tota stropha unum sit systema, quod ἐξ ὁμοίων vocant metrici. Sic Horat. III, 12. *Aliae strophae* ex versibus *non nexis*, numerum habentibus eundem, sed magnitudine vel forma diversis fiebant, ut c. IV, 3, ita tamen, ut Meineckius etiam huius generis versuum bina paria in unam stropham τετράστιχον coniungenda esse recte vidisse videatur. *Aliae*, eaque frequentissima ratio fuisse videtur, ex quaternis versibus componebantur, ut *stropha Sapphica* et *Alcaica*.

I. *Systema Asclepiadeum minus*, μονόκωλον τετράστιχον, *versu Asclepiadeo minore* (n° 16.) quater repetito:

⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – | ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑.

I, 1.

III, 30.
IV, 8.

Vid. Excursum ad Od. IV, 8, 19., quo τετράστιχον esse demonstratur.

II. *Stropha Asclepiadea prima (secunda)*, δίκωλος τετράστιχος, ex *versu Glyconeo* (n⁰ 15.) et *versu Asclepiadeo minore* (n⁰ 16.) alternatim se excipientibus composita, ita ut bina paria una stropha coniungantur:

–́ –́ | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓
–́ –́ | –́ ⏑ ⏑, – | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓.

I, 3; 13; 19; 36.
II, 9; 15; 19; 24; 25; 28.
IV, 1; 3.

III. *Stropha Asclepiadea secunda (tertia)*, δίκωλος τετράστιχος, constans *ternis versibus Asclepiadeis minoribus* (n⁰ 16.), quos subsequitur *versus Glyconeus* (n⁰ 15.)

–́ –́ | –́ ⏑ ⏑, – | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓
–́ –́ | –́ ⏑ ⏑, – | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓
–́ –́ | –́ ⏑ ⏑, – | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓
–́ –́ | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓.

I, 6; 15; 24; 33.
II, 12.
III, 10; 16.
IV, 5; 12.

IV. *Stropha Asclepiadea tertia (quarta)*, τρίκωλος τετράστιχος. Constat ex *Asclepiadeo versu minore* (n⁰ 16.) bis posito, *versu Pherecrateo* (n⁰ 14.) et *Glyconeo* (n⁰ 15.).

–́ –́ | –́ ⏑ ⏑, – | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓
–́ –́ | –́ ⏑ ⏑, – | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓
–́ –́ | –́ ⏑ ⏑ – ⏓
–́ –́ | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓.

I, 5; 14; 21; 23.
III, 7; 13.
IV, 13.

V. *Systema Asclepiadeum maius*, μονόκωλον τετράστιχον (cfr. Excursum supra memoratum.); *versum Asclepiadeum maiorem* (n⁰ 17.) usque repetens:

⏑́ ⏑́ | ⏑́ ⏑ ⏑, – | ⏑́ ⏑ ⏑, – | ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓.

I, 11, 18.
IV, 10.

VI. *Stropha Sapphica*, δίκωλος τετράστιχος. Constat *versu Sapphico minore* (n⁰ 22.) ter repetito, et *versu Adonio* (n⁰ 6.).

⏑́ ⏑ – ⏓, | ⏑́ || ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓
⏑́ ⏑ – ⏓, | ⏑́ || ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓
⏑́ ⏑ – ⏑, | ⏑́ || ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓

⏑́ ⏑ ⏑ – ⏓.

Quater vocem in fine tertiae lineae dissectam invenies.
I, 2, 19; 25, 11. II, 16, 7. III, 27, 60.
I, 2; 10; 12; 20; 22; 25; 30; 32; 38.
II, 2; 4; 6; 8; 10; 16.
III, 8; 11; 14; 18; 20; 22; 27.
IV, 2; 6; 11.
Carmen seculare.

VII. *Stropha Sapphica maior*, δίκωλος τετράστιχος. Continetur *versu Aristophanico* (n⁰ 12.) et *trimetro choriambico catalectico*, quem nonnulli metrici *Sapphicum maiorem* vocant (n⁰ 13.). Bina paria coniunguntur.

⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓

⏑́ ⏑ – –, ⏑́ || ⏑ ⏑ – ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓.

I, 8.

VIII. *Stropha Alcaica*, τρίκωλος τετράστιχος. Binos exhibet *versus Alcaicos hendecasyllabos* (n⁰ 23.), *versum*

*Alcaicum enneasyllabum* (n° 24.), denique *versum Alcaicum decasyllabum* (n° 11.):



I, 9; 16; 17; 26; 27; 29; 31; 34; 35; 37.
II, 1; 3; 5; 7; 9; 11; 13; 14; 15; 17; 19; 20.
III, 1; 2; 3; 4; 5; 6; 17; 21; 23; 26; 29.
IV, 4; 9; 15; 17.

IX. *Stropha Archilochia prima*, *δίκωλος τετράστιχος*. Bina paria coniunguntur *hexametro dactylico catalectico* (n° 10.) subiectus est *vers. Archilochius minor* (n° 7.):



IV, 7.

X. *Stropha Archilochia secunda*, *δίκωλος δίστιχος*. *Hexametrum dactylicum catalecticum* (n° 10.) sequitur *versus iambelegus* (n° 21.):



Epod. 13.

XI. *Stropha Archilochia tertia*, *δίκωλος δίστιχος*. *Versui elegiambo* (n° 20.) praemittitur *senarius iambicus* (n°. 5.):



Epod. 11.

XII. *Stropha Archilochia quarta*, *δίκωλος τετράστιχος*, composita ex *versu Archilochio maiore* (n° 19.) et

*trimetro iambico catalectico* (n° 4.). Bina paria coniunguntur:



I, 4.

XIII. *Stropha Alcmania*, *δίκωλος τετράστιχος*. *Hexametro dactylico catalectico* (n° 10.) subiectus est *tetrameter dactylicus catalecticus* (n° 8.). Bina paria coniunguntur:



I, 7; 28.

Sed Epod. 12. est *δίκωλος δίστιχος*.

XIV. *Metrum iambicum*, *μονόκωλον μονόστιχον*, *senarium iambicum* (n° 5.) usque repetens:



Epod. 17.

XV. *Stropha iambica*, *δίκωλος δίστιχος*, in qua *versus iambicus senarius* et *quaternarius* (n°. 5. et 3.) alterna vice se excipiunt:



Epod. 1 — 10.

XVI. *Stropha pythiambica prima*, *δίκωλος δίστιχος*. *Hexametrum dactylicum catalecticum* (n° 10.), (qui etiam *v. Pythius* vocatur) excipit *versus iambicus quaternarius* (n° 3.):



Epod. 14; 15.

XVII. *Stropha pythiambica secunda*, *δίκωλος δίστιχος*. *Hexametro dactylico catalectico* (n° 10.) subiectus est *versus senarius* (n° 5.):



Epod. 16.

XVIII. *Stropha trochaica*, *δίκωλος τετράστιχος*. Constat ex *dimetro trochaico catalectico* (n°. 2.) et *trimetro iambico catalectico* (n°. 4.), ita ut bina paria una stropha coniungantur:



II, 18.

XIX. *Systema ionicum a minore*, *μονόκωλον τρίστιχον*; vide n° 18.

III, 12.

---

## C. SYLLABUS ODARUM, ADIECTO METRO, CUI QUAEQUE CONVENIT.

| Lib. | Od. | Metr. | Lib. | Od. | Metr. |
|---|---|---|---|---|---|
| I. | 1. | I. | | 16. | VIII. |
| | 2. | VI. | | 17. | VIII. |
| | 3. | II. | | 18. | V. |
| | 4. | XII. | | 19. | II. |
| | 5. | IV. | | 20. | VI. |
| | 6. | III. | | 21. | IV. |
| | 7. | XIII. | | 22. | VI. |
| | 8. | VII. | | 23. | IV. |
| | 9. | VIII. | | 24. | III. |
| | 10. | VI. | | 25. | VI. |
| | 11. | V. | | 26. | VIII. |
| | 12. | VI. | | 27. | VIII. |
| | 13. | II. | | 28. | XIII. |
| | 14. | IV. | | 29. | VIII. |
| | 15. | III. | | 30. | VI. |

| Lib. | Od. | Metr. |
|---|---|---|
| | 31. | VIII. |
| | 32. | VI. |
| | 33. | III. |
| | 34. | VIII. |
| | 35. | VIII. |
| | 36. | II. |
| | 37. | VIII. |
| | 38. | VI. |
| II. | 1. | VIII. |
| | 2. | VI. |
| | 3. | VIII. |
| | 4. | VI. |
| | 5. | VIII. |
| | 6. | VI. |
| | 7. | VIII. |
| | 8. | VI. |
| | 9. | VIII. |
| | 10. | VI. |
| | 11. | VIII. |
| | 12. | III. |
| | 13. | VIII. |
| | 14. | VIII. |
| | 15. | VIII. |
| | 16. | VI. |
| | 17. | VIII. |
| | 18. | XVIII. |
| | 19. | VIII. |
| | 20. | VIII. |
| III. | 1. | VIII. |
| | 2. | VIII. |
| | 3. | VIII. |
| | 4. | VIII. |
| | 5. | VIII. |
| | 6. | VIII. |
| | 7. | IV. |
| | 8. | VI. |
| | 9. | II. |
| | 10. | III. |
| | 11. | VI. |
| | 12. | XIX. |
| | 13. | IV. |

| Lib. | Od. | Metr. |
|---|---|---|
| | 14. | VI. |
| | 15. | II. |
| | 16. | III. |
| | 17. | VIII. |
| | 18. | VI. |
| | 19. | II. |
| | 20. | VI. |
| | 21. | VIII. |
| | 22. | VI. |
| | 23. | VIII. |
| | 24. | II. |
| | 25. | II. |
| | 26. | VIII. |
| | 27. | VI. |
| | 28. | II. |
| | 29. | VIII. |
| | 30. | I. |
| IV. | 1. | II. |
| | 2. | VI. |
| | 3. | II. |
| | 4. | VIII. |
| | 5. | III. |
| | 6. | VI. |
| | 7. | IX. |
| | 8. | I. |
| | 9. | VIII. |
| | 10. | V. |
| | 11. | VI. |
| | 12. | III. |
| | 13. | IV. |
| | 14. | VIII. |
| | 15. | VIII. |
| Carmen seculare: | | VI. |
| Epod. | 1—10. | XV. |
| | 11. | XI. |
| | 12. | XIII. |
| | 13. | X. |
| | 14. | XVI. |
| | 15. | XVI. |
| | 16. | XVII. |
| | 17. | XIV. |

# Q. HORATII FLACCI

# CARMINUM

## LIBER PRIMUS.

## ODE I.

### AD MAECENATEM.

Maecenas atavis edite regibus,
O et praesidium et dulce decus meum:
Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse iuvat metaque fervidis

1. Horatius tres priores Odarum libros a. u. c. 736. Maecenati inscripturus, inter varia ac plerumque inania mortalium studia se omnibus aliis relictis poësis lyricae laudem petere ac felicissimum fore, ubi carmina sua amici iudicio comprobentur, ostendit.

1. *regibus*] orte *atavis* (maioribus) Cilniis, qui olim Lucumones (principes) Etrusci fuerunt. Liv. 10, 3: *Arretini, ubi Cilnium genus praepotens divitiarum invidia pelli armis coeptum* cet. Od. 3, 29, 1. Propert. 3, 7, 1: *Maecenas eques Etrusco de sanguine regum.*

2. *praesidium et decus*] Cfr. Epp. 1, 1, 103. Od. 2, 17, 4. Virg. Georg. 2, 40: *O decus, o famae merito pars maxima nostrae, Maecenas.*

3. *curriculo*] «curru» potius quam «in stadio, in spatio cursus Olympici.»

4. *collegisse*] ἀορίστως significat aurigam rapidissimo cursu stadium emetiri. Sat. 1, 4, 30: *pulvis collectus turbine.* — *fervidis*] vertigine ipsa calentibus. Schol. Virg. Georg. 3, 167: *volat vi fervidus axis.*

Evitata rotis palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad deos;
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus;
Illum, si proprio condidit horreo,
Quidquid de Libycis verritur areis.
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros Attalicis condicionibus
Nunquam dimoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.

LECT. VAR. C. = Codices aliquot. B. = Bentleius e Codd. Bc. = Bentleius coniectura. — Od. I. v. 6. *evehere* Bc. v. 14. *impavidus* Hofman Peerlkamp.

5. *evitata*] In eo praecipue aurigarum ars cernebatur, ut quam proxime circum metam cursum flecterent nec tamen eam impingerent. — *palma*] Pausanias 8, 48: *ἐν μὲν Ὀλυμπίᾳ κοτίνου τῷ νικῶντι δίδοται στέφανος καὶ ἐν Δελφοῖς δάφνης, ἐν Ἰσθμῷ δὲ πίτυς καὶ ἐν Νεμέᾳ σέλινα· οἱ δὲ ἀγῶνες φοίνικος ἔχουσιν οἱ πολλοὶ στέφανον· ἐς δὲ τὴν δεξιάν ἐστι καὶ πανταχοῦ τῷ νικῶντι ἐστιθέμενος φοῖνιξ.*

6. Diis, qui terris dominantur, eos aequat, beatos reddit. Ovid. ex Ponto 1, 9, 36. Od. 4, 2, 17: Cic. pro Flacco 13: *Olympionicen esse est apud Graecos prope maius et gloriosius, quam Romae triumphasse.* Tuscul. 2, 16.

7. *mobilium*] modo huic, modo illi honores tribuentium, multos repulsa notantium. Epp. 1, 19, 34. Anno u. c. 767. Tiberii iussu *primum e campo comitia ad patres translata sunt.* Tac. Ann. 1, 15.

8. *tergeminis*] tribus maioribus magistratibus, aedilitate curuli, praetura, consulatu, qui finis erat honorum. *Tergeminus* enim nihil aliud quam *triplex* significat, ut apud Liv. 6, 7: *trigeminae victoriae triplicem triumphum. Amplissimis* simpliciter significare nequit. — *honoribus*] Casu sexto, ut Sal. Iug. 49: *uti quemque -- pecunia aut honore extulerat.* Tac. Ann. 1, 3.

9. » Si quam maximam frumenti vim ex Africanis possessionibus quis colligat." Od. 3, 16, 26. Sat. 2, 3, 87.

10. *verritur*] Post triturationem scopis ex area sub dio collocata colligitur.

In tota hac clausula sic vv. construe: *hunc* et *illum iuvat* atque *evehit ad deos*, beat. — Coniecturam suam *nobilis evehere* Bentleius commendat his in primis similis constructionis Graecae exemplis: Od. 1, 12, 26. Od. 1, 37, 10. Od. 3, 12, 11. Od. 4, 12, 19.

Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens otium et oppidi
Laudat rura sui; mox reficit rates
Quassas indocilis pauperiem pati.
Est qui nec veteris pocula Massici
Nec partem solido demere de die
Spernit, nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.
Multos castra iuvant et lituo tubae
Permixtus sonitus bellaque matribus

v. 17. *tuta* Acidalius prob. Bentleio.

11. *findere*] Sarrire segetes pro omni agri cultura.

12. Attalus III. Philometor, rex Pergami, a. u. c. 621. populum Romanum heredem instituit. In proverbium abierant eius thesauri. Od. 2, 18, 5: Est igitur: «Ne tantis quidem opibus, quantas habuit Attalus ille, oblatis hominem patrio agello satis contentum eo deducas, ut mercator fiat.»

13. *Cypria*] Pro qualibet navi mercatoria.

14. *Myrtoum*] Pausanias 8, 14, 12: ἀρχόμενον ἀπὸ Εὐβοίας καὶ παρ' Ἑλένην ἐρήμην νῆσον κατῆκον εἰς τὸ Αἰγαῖον, a Myrto insula sub Euboea. *secet*] Odyss. 7, 174: πέλαγος μέσον τέμνειν.

15. *Icarium* inter Samum et Icariam insulam. — *Africum*] Seneca Quaest. nat. 5, 16: *Ab occidente hiberno Africus furibundus et ruens, apud Graecos λίψ.*

17. *oppidi rura*] Tractum ruris circa oppidum suum, ubi habitare solet e mari reversus, mox tamen rursus iter susceperus. Sic Sil. Ital. 4, 227: *nebulosi rura Casini.*

18. *quassas*] conquassatas, laceras. — *pauperiem*] vitam sine quaestu continuo atque abundante.

19. *Massicum* vinum in Massicis Campaniae montibus natum.

20. *Solidum diem* vocabant maiorem diei partem, per quam vacant homines negotiis, quibus tandem peractis genio indulgere licet. Sen. Ep. 83: *hodiernus dies solidus est, nemo ex illo mihi quidquam eripuit.* Iam *demimus* de die solido horas eas, quibus ante legitimum coenae tempus aut potamus aut, ut h. l., meridiamur.

22. *lene*] ad fontem leniter et grate murmurantem. Sen. Ep. 41: *Magnorum fluminum capita veneramur, -- coluntur aquarum calentium fontes.*

23. Ovid. Metam. 1, 98: *Non tuba* (peditum, sono gravi) *di-*

**Detestata. Manet sub Iove frigido**
**Venator tenerae coniugis immemor,**
**Seu visa est catulis cerva fidelibus,**
**Seu rupit teretes Marsus aper plagas.**

**Me doctarum hederae praemia frontium**
**Dis miscent superis; me gelidum nemus**
**Nympharumque leves cum Satyris chori**
**Secernunt populo, si neque tibias**

**Euterpe cohibet nec Polyhymnia**
**Lesboum refugit tendere barbiton.**

v. 25. *detestanda* C. v. 29. *Te* ex Harii coniectura Fea.

*recti, non aeris cornua flexi*, lituus equitum, sono acuto.

25. *Detestata*] παθητικῶς, ut Epod. 16, 8. — *manet*] pernoctat. — *sub Iove*] sub dio. Ennius: *Istic est is Iuppiter, quem dico, quem Graeci vocant Αέρα.* Od. 3, 10, 7.

26. *tenerae*] «iuvenis», potius quam «amoris plenae».

28. *rupit*] «Si perruptis plagis evaserit.» Marsorum autem regio saltuosa apris abundabat maxime circa lacum Fucinum.

29. «Ego mihi prorsus beatus esse videor et longe superior volgo, ubi poëtico impetu abreptus carmina (si quae mihi ipsi satisfaciunt) condo. Quodsi tu quoque, qui idoneus es iudex, poëtarum lyricorum hoc nomine vere dignorum numero me adscribes, sempiternae gloriae certus ero.»

*doctarum frontium*] poëtarum, ut *doctus Hesiodus* Cic. Cat. 15. — *hederae*] pr. Baccho sacrae, cuius instinctu perciti poëtae hederaceas coronas sumunt. Virg. Eclog. 7, 28: *Pastores hedera crescentem ornate poëtam.*

30. «Poëtica facultas vere beatum me reddit.»

31. *Satyris*] In Platonis Epigr 15. Satyrus, *εἰμὶ δὲ*, inquit *ταῖς Νυμφαῖσιν ὁμέψιος.*

32. «Dum in amoena aliqua soli tudine poëticis studiis vaco, longe que remotus sum a volgo molest atque rudi, beatum me reputo.»

33. *Euterpe* tibia canens ades poëtae melico, itemque *Polyhym nia*, *μύθων* praecipue gnara lyrae etiam inventrix. — Ubi no favent, *tibias cohibet*, tibia caner recusat Euterpe, Polyhymnia fid bus tendere, deinde plectro pulsar *barbiton.*

Quodsi me lyricis vatibus inseres, 35
Sublimi feriam sidera vertice.

---

# ODE II.

## AD CAESAREM.

Iam satis terris nivis atque dirae
Grandinis misit Pater et rubente
Dextera sacras iaculatus arces
Terruit Urbem,

v. 35. *inseris* C. Hunc v. del. censet Eichstadius. v. 36. *Sublimis* C.

34. *Lesboum*] Refertur ad Lesbiorum poësin melicam, Alcaei in primis et Sapphus.

35. *Quodsi*] reperitur etiam Od. 1, 24, 13. 3, 1, 41. Ep. 2, 39. cet.

36. *sublimi*] in aethera sublato. — *feriam*] «Ad sidera usque me attollam, immortali gloria fruar.» Sapph. Fr. 9: ψαύειν δὲ πόλον δοκεῖ μοι ὠρανῶ δυσπάχεα. — Qui v. 29. contra Codices legunt *Te*, non satis perspexisse videntur, forma orationis cum fiat antithetica, ad summam tamen nihil aliud dici quam: «Tu et ego sumus poëtae, et summus quidem tu, ego te longe minor atque mediocris». V. 35. vel propter metri rationem a Meineckio recte indicatam abesse non potest.

---

Od. II. Celebrat Augustum, expiatorem scelerum per bella civilia commissorum atque imperii Romani restitutorem pacificatoremque. Referuntur prodigia hic memorata ad a. u. c. 732., quo ineunte teste Cassio Dione 54. init. ἥ τε πόλις πελαγίσαντος αὖθις τοῦ ποταμοῦ ἐπλεύσθη καὶ κεραυνοῖς ἄλλα τε πολλὰ ἐβλήθη καὶ οἱ ἀνδριάντες οἱ ἐν τῷ Πανθείῳ.

2. *pater*] «*Divom pater atque hominum rex.*» — *rubente*] a repercusso fulminum rubore. Iuppiter Fulgurator, reducta dextra fulmen vibrans, hic nobis ante oculos ponitur.

3. *Iaculari*] Od. 3, 12, 11: *iaculari cervos*. Ovid. Am. 3, 3, 35: *Iuppiter igne suo lucos iaculatur et arces*, Capitolium praesertim.

4. Vv. *terrendi* eadem constructio convenit, quae vv. *metuendi*. Tac.

Terruit gentes, grave ne rediret
Saeculum Pyrrhae nova monstra questae,
Omne cum Proteus pecus egit altos
Visere montes,
Piscium et summa genus haesit ulmo,
Nota quae sedes fuerat columbis;
Et superiecto pavidae natarunt
Aequore damae.
Vidimus flavum Tiberim retortis
Litore Etrusco violenter undis
Ire deiectum monumenta regis
Templaque Vestae;
Iliae dum se nimium querenti

Od. 2. v. 9—12. del. censuit Buttmann. v. 10. *palumbis* Fea.

Hist. 2, 63: *terruit, ne affectaret.*

6. Pyrrha, Epimethei et Pandorae filia, Deucalionis uxor. Ovid. Met. 1, 260. — *nova monstra*] Res nec visas ante neque auditas, terrorisque plenas. Confer Catull. Epith. Pel. 15.

8. *Proteus*] Odyss. δ, 386. Virg. Georg. 4, 395: *immania* Neptuni *Armenta et turpes pascit sub gurgite phocas.* — *pecus*] omnis generis beluas marinas.

11. *superiecto*] omnia iam tegente. — Virg. Georg. 3, 539: *timidi damae cervique fugaces.* — Alexandrinorum poëtarum colorem referunt hae imagines, quae multis nimis cumulatae et quaesitae visae sunt, sed apud lyricum minus habent reprehensionis quam apud Ovidium Met. 1, 296: *summa piscem deprendit in ulmo.*

13. *flavum*] semper fere arena lutosa mixtum. Virg. Aen. 7, 31: *Tiberinus Vorticibus rapidis et multa flavus arena.* — Tiberis exundationes semper in prodigiis habitae. Cfr. Tacit. Ann. 1, 76. — *retortis violenter*] contra fluminis naturam retrorsum pulsis.

15. *deiectum*] ex fundamentis labefactatum et dirutum. — *monumenta regis*] Regiam Numae Pompilii et templum Vestae item a Numa conditum ad radices montis Palatini. *Regia* scil. ita iuncta erat aedi Vestae, ut eius quasi atrium efficeret. Ovid. Fast. 6, 263: *Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestae, Tunc erat intonsi regia magna Numae.*

17. *Iliae*] s. Reae Silviae, quae h. l. et apud Claudianum in Probini et Olybrii Cons. 225. uxor est Ti-

Iactat ultorem, vagus et sinistra
Labitur ripa Iove non probante uxorius amnis.
Audiet cives acuisse ferrum
Quo graves Persae melius perirent,
Audiet pugnas vitio parentum
Rara iuventus.
Quem vocet divum populus ruentis
Imperi rebus? prece qua fatigent
Virgines sanctae minus audientem
Carmina Vestam?
Cui dabit partes scelus expiandi
Iuppiter? Tandem venias precamur

leris, apud Ovid. Am. 3, 6, 45. Anienis. — Non sine arte fingit Tiberim, minorum gentium deum, ab uxore imperiosa instigatum irasci Urbi, quam perfluit, summum autem deorum eam salvam velle. «Terreri Iuppiter iussit populum, non perire.» SCHOL. — Iunge *nimium querenti* de Caesaris caede bellisque civilibus; non *nimium iactat* nec *nimium ultorem*.

18. *vagus*] A solito meatu aberrans sinistram ripam, quae Romam attingebat, inundat.

19. *uxorius*] Virg. Aen. 4, 266: *pulchramque uxorius urbem exstruis*.

21. *Audiet*] Culpa parentum imminuta suboles, infantis etiam nunc aetatis, ubi adoleverit, audiet aliquando cives post Caesaris interitum in semet ipsos saevisse armis, quibus Parthi infesti ac metuendi iustius devicti essent.

25. *vocet*] Ut succurrat *imperi rebus*, imperio, casu tertio, non, ut nonnulli voluerunt, ablat. absoluto.

26. *prece*] Num. singul. apud poëtas dumtaxat. — *fatigent*] assiduis precibus exorent. Liv. 23, 36: *fatigatus Campanorum precibus - - Cumas redit*.

27. *minus audientem*] Ovid. Fast. 3, 699. Vesta: *Ne dubita, meus ille fuit, meus ille sacerdos; Sacrilegae telis me petiere manus*. Virg. Georg. 1, 499: *Vestaque mater, quae Tuscum Tiberim et Romana palatia servas*.

28. *carmina*] varias, quibus in precando utebantur, formulas.

29. *partes*] vices s. munus. —

32. *Augur*] *Augur Apollo* etiam Virg. Aen. 4, 376. Pro veste autem humeros candidos, nitentes, opaca nube obvelat, ne a mortalibus con-

Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo;
Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam Iocus circum volat et Cupido;
Sive neglectum genus et nepotes
Respicis auctor,
Heu nimis longo satiate ludo,
Quem iuvat clamor galeaeque leves,
Acer et Mauri peditis cruentum
Voltus in hostem;

v. 31. *candenti* C. v. 39. *Marsi* de T. Fabri coni. B.

spiciatur, dum inter eos versatur. Iliad. ε, 186: νεφέλῃ εἰλυμένος ὦμους. Il. ο, 308: εἰμένος ὦμοιϊν νεφέλην. Nec vero constr. *nube candentes*, quod explicabant «lucida nube refulgentes.» — *Candenti* significaret: «Ita venias, ut non conspiciare, sed nubis tantum candore praesentia tua agnoscatur.» Non sine causa primum memoratur Apollo, quia Apollinis filius a nonnullis existimabatur Augustus (Suet. Oct. 94.): deinde ad partes vocat Venerem, tamquam genetricem et *Aeneadum* (Lucret. 1, 1.) et gentis Iuliae per Iulum, Aeneae filium; tum Martem, genitorem Quirini, postremum Mercurium Augusti forma induta inter Romanos versantem.

33. *Erycina*] ab Eryce, Siciliae monte, ubi celebratissimam aedem habebat, quam ab Aenea conditam finxit Virg. Aen. 5, 759. — *ridens*] φιλομμειδής. Sappho 1, 13: ὦ μάκαιρα μειδιάσαισ' ἀθανάτῳ προσώπῳ.

34. *Iocus*] Κῶμος hic in Veneris comitatu, cum poëtae ei fere adiungant Πόθον, Ἵμερον, Ἔρωτα, Ἀντέρωτα, Χάριτας.

36. *respicis*] ἐπιβλέπεις. Sic *Fortuna respiciens*.

37. *satiate*] Cum Homero sit μόθου ἀκόρητος, ἄτος πολέμοιο.

38. *leves galeae*] politae, splendentes.

39. *Mauri*] Romanus confosso Mauri equo, hunc *peditem* reddiderat, barbarus truculento voltu et ira aestuans hostem invadit et volnerat. Saepe autem terribiles erant Mauri in proeliis. Cfr. Aelian. Hist. an. 14, 5: εἰσὶ δὲ Μαυρούσιοι καὶ καλοὶ καὶ μεγάλοι καὶ ἀνδρικὸν ὁρῶσι (*acer voltus*) App. B. C. 1, 50: συνιόντων τῶν στρατῶν, Γαλάτης ἀνὴρ μεγέθει μέγας προδραμὼν προὐκαλεῖτό τινα Ῥωμαίων ἐς μάχην, ὡς δ' αὐτὸν ὑποστὰς Μαυρούσιος ἀνὴρ βραχὺς ἔκτεινεν, ἐκπλαγέντες οἱ Γαλάται αὐτίκα ἔφευγον. *Marsi* (cfr. Od. 2, 20, 18., Virg. Georg.

Sive mutata iuvenem figura
Ales in terris imitaris, almae
Filius Maiae, patiens vocari
Caesaris ultor:
Serus in caelum redeas diuque
Laetus intersis populo Quirini,
Neve te nostris vitiis iniquum
Ocior aura
Tollat. Hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici pater atque princeps,
Neu sinas Medos equitare inultos
Te duce, Caesar.

2, 167: *genus acre virum, Marsos:*) haud digna erat coniectura, quae tot fautores inveniret, cum Marsorum otiosum prorsus esset *ἐπίθετον peditis.*

41. *iuvenem*] XL. tamen annos natum. — *mutata*] *εἶδος ἀμείψας.*

42. *ales*] Cogitandum de Mercurii talaribus atque alis in petaso. Mirum permultis est visum, cur ultimae partes Augusti dei forma Romanis commendandi mandatae sint Mercurio, cum ille Apollini potius se assimilasset. Sed Mercurius est et *ἀκάκητα* atque *ἐριούνιος* et *λόγιος*, simulque scelerum expiator, dissidentium conciliator et pacificator, *interpres hominumque divomque* (Aen. 10, 175). Hoc dicit: «Tu nobis non solum es Apollo, sed etiam Mercurius.»

43. Notandus nominativus pro vocativo.

46. *populo Quirini*] Sic (non, ut habent Codd. aliq., *Quirino*) poëtae imitabantur sollemnem formulam: *populus Romanus Quiritium.*

47. *iniquum*] iratum.

48. *Ocior*] quam nobis in optatis est. Virg. Georg. 1, 500: *Hunc saltem everso iuvenem succurrere saeclo Ne prohibete.*

49. *tollat*] in caelum evehat. — *triumphos*] Ex universa sententia eliciendum v. *agas.* Tres autem egerat. Suet. Oct. 22.

50. *Pater patriae* demum a. u. c. 752. publice appellatus est. *Princeps* contra in sexto consulatu a. 726. *Augustus* a. 727. Ovid. Fast. 2, 142: *Vis tibi* (Romulo) *grata fuit; florent sub Caesare leges: Tu domini nomen, principis ille tenet.* Tac. Ann. 1, 1: — Oratio in his ita temperata est, ut utrique et Mercurio et Augusto conveniat.

51. *Medos*] Parthis eo tempore bellum inferre cogitabat Augustus. Omnis illorum vis in equitatu erat, quo saepe incursiones in Syriam faciebant.

# ODE III.

## AD NAVEM QUA VEHEBATUR VIRGILIUS ATHENAS PROFICISCENS.

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae lucida sidera
Ventorumque regat pater
Obstrictis aliis praeter Iäpyga,

Navis, quae tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis

III. Cum in Graeciam proficisceretur Virgilius a. u. c. 735. (quo anno in reditu mortuus est), discedentem votis pro felici in Atticam appulsu prosequitur.

1. Callimachi Fr. 114: *ἆ ναῦς, ἃ τὸ μόνον φέγγος ἐμὶν τὸ γλυκὺ τᾶς ζοᾶς Ἄρπαξας, ποτί τυ Ζᾶνος ἱκνεῦμαι λιμενοσκόπω.* — Usus hic partic. *sic* in votis precibus obtestationibusque ita proprie explicandus: «uti nos a te hoc vel illud optamus, *sic*, ubi nostras preces exaudieris, hoc vel illud, quod tu optas, tibi contingat.» Venus autem, *potens Cypri, Κύπρου μεδέουσα* (Od. 1, 80, 1. 1, 5, 15. 1, 6, 10. hic invocatur non tam ut ex mari *ἀναδυομένη*, quam ut *ποντία. Εὔπλοια* Cnidiis. Paus. 1, 1, 3. Od. 3, 26, 3: *Venus marina.*

2. *fratres Helenae*] Castor et Pollux, *nautis optati Tyndaridae* Prop. 1, 17, 18. — *lucida sidera*] Interpretare de flammulis electricis post nimbos ac procellas in navium malis elucescentibus, quibus Castorum praesentiam significari putabant antiqui.

3. *ventorum pater*] Aeolus, quem Homerus Odyss. κ, 21. vocat *ταμίην ἀνέμων.*

4. *obstrictis*] incatenatis atque retentis in antro illo: Virg. Aen. 1, 52: *vasto rex Aeolus antro Luctantes ventos tempestatesque sonoras Imperio premit ac vinclis et carcere frenat.* — *Iäpyga*] *Ἀργέστην* ab occasu aestivo a Iapygia (Apulia) flantem.

5. Cui aliquid *creditum* est, is *debet* depositum et, si probus est, *reddit*, restituit die et loco constituto.

6. Noli iungere cum Fea *debes finibus Atticis*, sed *reddas finibus Atticis.*

8. *et serves*] Una eademque actio significatur vv. *reddas incolumem*

Reddas incolumem, precor,
Et serves animae dimidium meae.

Illi robur et aes triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus nec timuit praecipitem Africum

Decertantem Aquilonibus
Nec tristes Hyadas nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Hadriae
Maior, tollere seu ponere volt freta.

Quem Mortis timuit gradum,

et *et serves*. Hinc locum non habet Feae Codd. lectio *ut serves*.

9. *robur*] durities, significatu tropice deducto a primario v. *roboris* (*δρῦς ἀγρία*), ita tamen, ut proprius significatus non prorsus evanescat. Lectores enim Latini hic cogitabant primum de quercu s. clupeo e querneis asseribus confecto, deinceps de animi duritie. Cic. Acad. 4, 31: *Sapiens non est e saxo sculptus aut e robore dolatus. — aes triplex*] lorica ex triplici aeris lamina conserta. Est *περίφρασις* hominis durissimi ac fortissimi. Pindari Fragm. apud Athen. 13, 17: *κεῖνος ἐξ ἀδάμαντος ἢὲ σιδάρου κεχάλκευται μέλαιναν καρδίαν*.

12. *praecipitem*] necopinato *καταιγίζοντα*. — *Africum*] Od. 1, 1, 15.

13. *decertantem*] Od. 1, 9, 11: *ventos deproeliantes* dicit. Vv. *certandi, luctandi* apud poëtas haud raro construuntur cum dativo.

14. *Hyadas*] Ovid. Fast. 5, 165: *Ora micant Tauri septem radiantia flammis, Navita quas Hyadas Graecus ab imbre vocat.* Cic. de N. D. 2, 43: *Latini imperite, quasi a suibus essent, Suculae. — tristes*] ortu et occasu suo tempestates excitare creditae. Virg. Georg. 3, 279. Auster: *pluvio contristat frigore caelum.*

15. «Qui maximus est dominator Hadriae, sive, procella excitata, attollere fluctus sive cessans placare volt.»

16. *ponere*] Propert. 3, 15, 31: *Magnos cum ponunt aequora motus, Eurus ubi adverso desinit ire Noto.* Od. 3, 3, 5.

17. *gradum*] ingressum, adventum, *Anschritt*. Lucan. 2, 99: *quantoque gradu Mors saeva cucurrit.* Mors h. l., ut Euripidis in Alcestide *Θάνατος, δαίμονος* personam induit, qui velut bellator «ingenti gradu» (Liv. 2, 10.) incedit.

Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum et
Infames scopulos Acroceraunia?

Nequicquam deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiae
Non tangenda rates transiliunt vada.

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

Od. III. v. 18. *rectis* Bc. *fixis* Cuningh. v. 19. *turbidum* B. v. 20. *alta Ceraunia* Schol. Statii. v. 22. *dissociabilis* Bc.

18. Apud veteres saepe fletus iis tribuitur, quibus nos vel alia perturbationis animi signa vel silentium ac stuporem tribueremus. Propert. 3, 7, 55. naufragus: *Flens tamen extremis dedit haec mandata querelis.* Ovid. Metam. 11, 539. Curtius 5, 5: *Siccis oculis* est igitur Aeschyli Sept. c. Theb. 698: ξηροῖς ἀκλαύστοις ὄμμασι· nec audebimus corrigere poëtam scribendo: *rectis* vel *fixis* vel *invictis.*

19. *turgidum*] Hesiod. Theog. 131: πέλαγος οἰδμαται θῦον· significantius quam *turbidum.*

20. Contra eos, qui praetulerant *alta Ceraunia*, Bentleius monuit: «Non sane tolerari hic potuit duplex epitheton *infames* et *alta*. Hoc enim illius vim infringeret.» (Opposuit quidem Iohnson Lucani 3, 652: *scopulosa Ceraunia nautae Summa timent.)* Poëtae addito epitheto *Ceraunia* plerumque usurant. Virg. Georg. 1, 332: *Aut Atho aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo Deicit.* Ovid. Am. 2, 9, 19: *violenta Ceraunia.* Ovidius tamen R. A. 739: *Hae tibi sint Syrtes, haec Acroceraunia vita.* Nomen ipsum inde ductum, quod propter altitudinem crebro de caelo tanguntur. Promontorium est Epiri, hodie *il monte della Chimera.*

21. *deus*] «Frustra igitur deus discrevit inter se orbis terrarum partes *oceano dissociabili*,» activo significatu, qui eas dissociaret, ut Lucret. 1, 11: *genitabilis aura Favoni*, Ovid. Met. 13, 857: *penetrabile fulmen.*

24. *transiliunt*] rapido cursu traiiciunt. Propert. 1, 17, 13: *Ah pereat, quicunque rates et vela paravit Primus et invito gurgite fecit iter.*

25. *Omnia perpeti*] γένος δεινὸν πάντα τλῆναι, omnia, etiam maxima pericula subire, in quo ipso

Audax Iäpeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.

Post ignem aetheria domo
Subductum macies et nova febrium
Terris incubuit cohors,
Semotique prius tarda necessitas

Leti corripuit gradum.
Expertus vacuum Daedalus aëra
Pennis non homini datis;
Perrupit Acheronta Herculeus labor.

Nil mortalibus ardui est:

v. 37. *arduum* C.

inest notio omnia *faciendi*, quae cruciatum creare possint.

27. *Audax* consulto repetitur, ut notio primaria; id quod non agnovit, qui proposuit *atrox*. — *Iäpeti* filius Prometheus. Hesiod. Ἔργ. 50: Ζεὺς Κρύψε δὲ πῦρ, τὸ μὲν αὖθις ἐὺς πάϊς Ἰαπέτοιο Ἔκλεψ' ἀνθρώποισι Διὸς πάρα μητιόεντος Ἐν κοίλῳ νάρθηκι λαθὼν Δία τερπικέραυνον. — *genus*] Catull. 61, 2. Hymenaeus *Uraniae genus*.

28. *fraude mala*] κακῇ τέχνῃ.

31. *macies*] "Φθίσις et febres (febres maciem afferentes) ante ignotae tamquam sceleris commissi poenae humano generi *incubuerunt*, ἐπέσκηψαν." Hesiod. Ἔργ. 103. e Pandorae dolio patefacto: *Νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ ἠδ' ἐπὶ νυκτὶ Αὐτόματοι φοιτῶσι κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι.*

32. *semoti - - tarda*] Cumulat homonyma, quo δεινοτέρως significet diutius vixisse homines ante funestum Promethei donum quam postea. *Necessitas* fatalis *leti* acceleravit gradum: rursus Homeri *Μοῖρα θανάτοιο* personam induit.

34. Virg. Aen. 6, 14: *Daedalus, ut fama est, fugiens Minoia regna, Praepetibus pennis ausus se credere caelo.* Ov. Met. 8, 183. — *vacuum*] Pind. Ol. 1, 6: ἐρήμας δι' αἰθέρος.

36. *Perrupit*] Ultima longa in arsi, nec opus fulcro *perrupitque*. — *Acheronta*] Primum, ut Cerberum ex Orco extraheret, iterum, ut Theseum liberaret. — *Herculeus labor*] «Hercules, qui omnes labores fortiter exanclavit.» Non cogitandum de Graeco modo βίη Ἡρακληείη.

37. Lectionem Codd. vetustiorum et meliorum *ardui est* retinui et

Caelum ipsum petimus stultitia neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Iovem ponere fulmina. 40

---

# ODE IV.

## AD L. SESTIUM CONSULAREM.

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni,
Trahuntque siccas machinae carinas.

propter *χρίσεως* diplomaticae rationes et quia Horatius a volgari consuetudine consulto recessisse videtur; alioqui sane usitatius esset: «*nil mortalibus arduum est*»; «*nil ardui est* hoc vel illud facere», sine dativo.

38. *stultitia*] quia *ἀδύνατον*. Pindar. Pyth. 10, 42: *ὁ χάλκεος οὐρανὸς οὔ ποτ' ἀμβατὸς αὐτῷ*.

40. *iracunda*] Pindarus quoque Nem. 6, 90. Iovi tribuit *ἔγχος ζάκοτον*.

IV. Composita a. u. c. 732. et inscripta L. Sestio, quem Augustus consulem sibi suffecit a. 731. *Λούκιον ἀνδ' ἑαυτοῦ Σήστιον ἀνδείλετο, ἀεί τε τῷ Βρούτῳ συσπουδάσαντα καὶ ἐν πᾶσι τοῖς πολέμοις συστρατεύσαντα καὶ ἔτι καὶ τότε καὶ μνημονεύοντα αὐτοῦ καὶ εἰκόνας ἔχοντα καὶ ἐπαίνους ποιούμενον.* Dio Cass. 53, 32.

1. *Solvitur*] Pseudotibull. 3, 5, 4: *Cum se purpureo vere remittit hiems.* Contra *rura gelu claudit hiems* Virg. Georg. 2, 317. Od. 4, 12, 1.

2. Scribit Vegetius de re mil. 5, 9. ex die III. Id. Novembr. usque in diem VI. Id. Mart. maria claudi. «*Natalis vero*, inquit, *ut ita dicam, navigationis sollemni certamine publicoque spectaculo multarum gentium celebratur.*» Tunc *machinis*, id est, phalangis, cylindris, naves in mare deducebantur.

4. *cana* poëtis (Ovid. Her. 5, 16.) ipsa *nix*.

5. Lucret. 5, 736: *It Ver et Venus et Veneris praenuntius ante Pennatus graditur Zephyrus vestigia propter.* — *imminente*] desuper lucente. Noctu remotis arbitris terra grata est caelestibus. Stat. Silv. 1, 1. 95: *sub nocte silenti, Cum superis terrena placent.*

6. *iunctae*] Seneca de Benef. 1, 3: *tres Gratiae sorores mani-*

Ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni;
Nec prata canis albicant pruinis.

Iam Cytherea choros ducit Venus imminente Luna,
Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Volcanus ardens urit officinas.

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto
Aut flore, terrae quem ferunt solutae.
Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
Seu poscat agna sive malit haedo.

Od. IV. v. 8. *visit* B. v. 12. *agnam* - - *hoedum* C.

*bus implexis, ridentes, iuvenes et virgines, solutaque ac pellucida veste. — decentes*] Hesiod. Theog. 907: Τρεῖς δέ οἱ (Iovi) Εὐρυνόμη Χάριτας τέκε καλλιπαρῄους, Ὠκεανοῦ κούρη, πολυήρατον εἶδος ἔχουσα, Ἀγλαΐην τε καὶ Εὐφροσύνην Θαλίην τ' ἐρατεινήν.

7. *quatiunt*] «Saltant numerose nunc hoc, nunc illo pede terram pulsantes.» Pro *quatere* alibi *pellere, pulsare, tundere terram. — graves*] laboriosas. «Iam appropinquat tempus aestivum; eo enim imminente in Aetna monte Volcanus procudit fulmina Iovi, quae in aestate mittat.» Schol. — *Cyclopum*] Distinguendi τρωγλοδύται, coclites Homeri (Polyphemus) ab Hesiodi Theog. 140) Cyclopibus, Caeli et Terrae filiis (Ἄργης, Στερόπης, Βρόντης), qui iam apud Apollonium Argon. 1, 728. Iovi fulmina cudunt. et a Cyclopibus Thraciis., Cyclopiorum murorum in Argolide cet. conditoribus.

8. *ardens*] αἴθων, αἰθαλόεις, flammis relucens, *flammeus Mulciber* Statio Silv. 3, 1. 133. — *urit*] φλέγει, facit, ut ferveant ferri massae et flammis colluceant officinae.» Cum nonnulli offenderent in homonymis *ardens urit*, correxerunt iam antiqui librarii, neque prorsus infeliciter, *visit* (Od. 3, 28, 14: *Venus Paphon iunctis visit oloribus.* Apollon. Rhod. 3, 41. de Volcano: ἀλλ' ὅ μὲν εἰς χαλκεῶνα καὶ ἄκμονας ἦρι βεβήκει).

9. *nitidum*] unguentis delibutum. — *impedire*] Stat. Silv. 4, 3, 68: *Crinem mollibus impeditus ulvis Volturnus.* Od. 1, 7, 23. *vincire*, redimire corona, quae est veluti vinculum, impedimentum capitis.

10, Virg. Georg. 1, 144: *Zephyro putris se gleba resolvit.*

11. *Fauno*] Dionys. Halic. 1, 31:

**Pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas**
**Regumque turres. O beate Sesti,**
**Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.**
**Iam te premet nox fabulaeque Manes**
**Et domus exilis Plutonia; quo simul mearis**
**Nec regna vini sortiere talis**
**Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus**
**Nunc omnis et mox virgines tepebunt.**

*Φαῦνον ὡς ἐπιχωρίων τινὰ Ῥωμαῖοι δαιμόνων θυσίαις καὶ ᾠδαῖς γεραίρουσι.* Ovid. Fast. 2, 193: *Idibus* (Febr.) *agrestis fumant altaria Fauni.* Ver autem Romanis incipiebat iam a. d. VII. Id. Febr. — *immolare*] et cum accusativo construitur et cum ablativo. Ablativum h. l. agnoscit iam Servius ad Virg. Ecl. 3, 77.

13. *Pallida*] quia exsanguis, non: «pallidos reddens.» — *aequo pede*] «pauperes et divites aeque abripit.» — *pede pulsat*] Callimachi Hymn. Apoll. 3: *καὶ δήπου τὰ θύρετρα καλῷ ποδὶ Φοῖβος ἀράσσει.* Plaut. Most. 2, 2, 23: *pulsando pedibus paene confregi hasce ambas* (fores). Ovid. Heroid. 21, 46: *Persephone nostras pulsat acerba fores.* — *tabernas*] humiles tenuiorum habitationes in oppidis, ruri tuguria, casas.

14. *turres*] locupletum aedes excelsiores. — *beate*] de opulentia frequenter.

15. *summa*] quia ex singulis diebus conficitur breve vitae spatium. — *inchoare*] semper significat ita aliquid incipere, ut non finiatur. Sen. Ep. 101: *O quanta dementia est spes longas inchoantium!*

16. *premet nox*] Virg. Aen. 6, 623: *animae dum nocte premuntur.* — *fabulae*] Non est genitivus sing., sed nom. plur., Manes fabulosi, id est, inanes. Callimach. Epigr. 14, 3: *τί δὲ Πλούτων; Μῦθος.* Pers. 5, 152: *cinis et manes et fabula fies.* Ex v. autem *premet*, tenebris suis urgebit, eliciendum: «circumdabunt, circumvolitabunt te Manes» et ad vv. *domus exilis*: «te teget.»

17. Epp. 1. 6, 45: *Exilis domus est, ubi non et multa supersunt*, paupercula et angusta. Sepulcrum *Ditis aeterna domus* appellatur in Anthol. Lat. T. 2. p. 268, itemque *domus aeterna* in Inscript. meis Lat. 1174. 4525., *domus certa.*

18. *regna vini*] «Tum non iam rex, magister conviviorum, *συμποσίαρχος*, eris,» qui talorum iactu creabatur. Od. 2, 7, 25.

20. *mox*] Ubi pueritiam excesserit. — *tepebunt*] Timidiorem magisque verecundum virginum amorem significat, dum iuvenes amore incensi *calent.*

# ODE V.

## AD PYRRHAM.

Quis multa gracilis te puer in rosa
Perfusus liquidis urget odoribus,
Grato, Pyrrha, sub antro?
Cui flavam religas comam,
Simplex munditiis? Heu quoties fidem
Mutatosque deos flebit et aspera
Nigris aequora ventis
Emirabitur insolens,
Qui nunc te fruitur credulus aurea;
Qui semper vacuam, semper amabilem

V. (A. u. c. 725?) «Quis nunc, o Pyrrha, quae toties me decepisti, te fruitur speratque (sed ille quoque frustra) te semper fidam fore?»

1. *gracilis*] teres ac tener; sic apud Lucretium 4, 1162. amatores ἰσχνὸν ἐρωμένιον et ῥαδινὴν laudant. — *in rosa*] Non de coronis cogitandum, (ut cum dicunt *potare in rosa*, Cic. de Finn. 2, 20. Tuscul. 5, 26.), sed de lecto rosarum cumulo strato. Seneca Ep. 36, 9: *in rosa iacere*.

2. *urget*] «Unguentis delibutus arte te amplectitur.»

3. *sub antro*] crypta, unde *grotta*.

4. «Cuius in gratiam pectis crines et in nodum religas, satis ceteroquin ornata naturali tua munditie?» V. *munditiae* etiam in prosa orat. persaepe num. plur. usurpatur. Ovid. Fast. 2, 764: *Forma placet — Quique aderat, nulla factus ab arte decor.*

5. *fidem*] «quam tu fallis, et deos in amore sibi adversos iam factos, quos propitios crediderat, ac procellas quasi amoris, id est, rixas a te concitatas ille flebit.» Has contentiones comparat tempestatibus *nigris*, caelum obscurantibus, ut Epod. 10, 5. Virg. Georg. 2, 278.

8. *Emirabitur*] In aurea, quam dicunt, Latinitate ἅπαξ λεγόμενον. Est «vehementer demirari atque hunc affectum gestu significare.» — *insolens*] prima signif., antea insuetus tam celeris immutationis. Cic. de Or. 1, 7: *quorum non ignarus et insolens* cet. Sal. Cat. 3: *insolens malarum artium*.

10. *vacuam*] ab aliis amatoribus sibique unice deditam. — *aurae fallacis*] vafrae levitatis atque inconstantiae, quae te semper impellit ad alium rursusque alium irretiendum. Sic *aura popularis*, favor, qui levis aurae instar mutatur.

Sperat nescius aurae
Fallacis. Miseri, quibus
Intentata nites! Me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris deo.

## ODE VI.

### AD M. VIPSANIUM AGRIPPAM.

Scriberis Vario fortis et hostium
Victor, Maeonii carminis alite,

Od. VI. v. 2. *aliti* Passeratius.

13. *intentata*] nondum spectata satisque cognita. — «Ego, quem tu misere decepisti, ita ut spei meae te fruendi veluti naufragium feceris, tibi amorem in perpetuum renuntiavi; non tamen ita, ut tibi iratus sim.» — Solebant autem naufragi in Neptuni aut alius dei marini delubro aliquo *(sacer paries)* tabulam votivam una cum vestimentis, in quibus erant servati, suspendere.

VI. Horatius, ut aliis suae aetatis illustribus viris, quibus notus magis quam familiaris erat, Munatio Planco, Asinio Pollioni, Iulo Antonio, sic M. Vipsanio Agrippae, strenuo Augusti administro, postea genero, ducta in matrimonium Iulia, viro belli quam pacis artibus potiori, unum dumtaxat carmen dedicat, simul Augusto gratificaturus. Magna autem cum arte significat se panegyricis epici generis componendis minus idoneum esse, a quo genere toto abhorrebat et generosa eius indoles et iudicium poëticum. (A. u. c. 727.)

1. *Scriberis*] «Carmine (panegyrico) celebrabere; nemo melius tuas laudes praedicare potest, quam Varius, quem huic muneri aliquando satis facturum puto.» — *Vario*] L. Varius natus circa a. u. c. 672.; amicus Horatii et Virgilii, cuius post mortem Aeneidem cum Plotio Tucca iussu Augusti emendavit. Scripsit Thyestem (Quintil. 10, 1, 98: *Varii Thyestes cuilibet Graecorum comparari potest*), carmen de morte Caesaris et Panegyricum in Octavianum. Mortuus est ante a. u. c. 744.

2. *Maeonius* dicitur Homerus a

Quam rem cunque ferox navibus aut equis
Miles te duce gesserit.
Nos, Agrippa, neque haec dicere nec gravem
Pelidae stomachum cedere nescii,
Nec cursus duplicis per mare Ulixei,
Nec saevam Pelopis domum
Conamur tenues grandia, dum pudor
Imbellisque lyrae Musa potens vetat

v. 3. *Qua rem B.* v. 7. *duplices* C. *reducis* B. *susp.*

Maeonia, prisco Lydiae nomine, quia plerique eum Smyrna ortum putabant. — *alite*] Sic Codd., ut Ovid. Heroid. 12, 161: *Deseror -- coniuge.* Metam. 1, 747: *Nunc dea linigera colitur celeberrima turba.* Passeratius correxit *aliti*, usitatiore constructione, ut Virg. Aen. 1, 326: *Nulla tuarum audita mihi neque visa sororum.* — Ipse autem Varius *ales* dicitur s. cycnus Homericus, praestans poëta epicus.

3. *Quam rem cunque*] Non insolita τυήσει etiam in prosa orat. Cic. pro Sest. 31: *quod iudicium cunque subierat.* «Quascunque res praeclaras exercitus Romani te duce gesserint, eae a Vario ita describentur, ut laudes inde ad te redundent.» (*Mari* ad Liparas devicit Sex. Pompeium Cn. F., pro victoria ab Augusto corona rostrata donatus; tum egregia fuit eius opera in pugna Actiaca; *terra* secundus Romanorum Rhenum transgressus est.)

6. *stomachum*] μῆνιν, iram implacabilem. *Pervicax* Achilles Epod. 17 24; *iracundus, inexorabilis, acer* idem Art. Poët. 121. Nemini cedens Apollini quoque minitatur Iliad. χ, 20: ἦ σ' ἂν τιαλμην, εἴ μοι δύναμίς γε παρείη. — *gravem* autem Graecis, perniciosam.

7. *duplicis*] ex Graeco usu (Rhes. 393: οὐ διπλοῦς πέφυκ' ἀνήρ) pro *vario*, ut Ulixem vocat Statius Achill. 2, 172, subdolo, versuto. Plant. Trucul. 4, 3, 7: *Ne duplices habeatis linguas, ne ego bilingues vos necem.* Ovid. Am. 1, 12, 27. de diptychis amatoriis, quibus deceptus erat: *Ergo ego vos rebus, duplices pro nomine sensi.* Noli autem iungere *duplicis cursus*, errores. — *Ulixei*] a forma antiqua *Ulixeus* (Dorienses pronuntiabant Ὀυλίξης, Etrusci *Uluxe*). Cicero semper *Ulixes.*

8. *Pelopis domum*] «Oenomaus enim a genero Pelope, Thyestae liberi ab eius fratre Atreo, Atreus ab Aegistho, Agamemnon (propter Iphigeniae immolationem) a Clytaemnestra, haec et Aegisthus ab Oreste occisi sunt, Orestes ipse a Furiis agitatus.» DOERING. — Videtur autem his verbis ipsius Varii tragoediam Thyestem significare.

10. *lyrae Musa potens*] ut Od. 1, 3, 1: *diva potens Cypri.*

Laudes egregii Caesaris et tuas
Culpa deterere ingeni.
Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne scripserit? aut pulvere Troico
Nigrum Merionen? aut ope Palladis
Tydiden superis parem?
Nos convivia, nos proelia virginum
Sectis in iuvenes unguibus acrium
Cantamus vacui sive quid urimur,
Non praeter solitum leves.

v. 18. *Strictis* Bc.

12. Tralatio a metallo, quod usu *deteritur*, extenuatur ac splendore privatur.

13. *Martem*] Homero est χαλκεοθώρηξ. Ex altero voc. Homerico χαλκοχίτων *tunica* substituitur Romanorum loricae. *Adamas*, proprie poëticum ferri et chalybis, postea lapidis pretiosi nomen. Hic prima significatione, ut Virg. Aen. 6, 552: *Porta adversa ingens solidoque adamante columnae.*

14. Hoc dicit: «Caesarem et te digne versibus celebrare haud minus difficile est quam Homeri deos atque heroas.»

15. *nigrum*] squalentem et pulvere coopertum. Val. Flacc. 1, 13: *Solymo nigrantem pulvere fratrem.* — *Merionen*] Idomenei aurigam. Δοῷ ἀτάλαντος Ἄρηϊ est Iliad. *v*, 528. — Minerva adiutrice Diomedes δαίμονι ἶσος (Iliad. *ε*, 884.) Venerem et Martem volneravit. Iliad. *ε*, 335.

18. *sectis*] ut puellas mundas decet; sic tamen inermes ac minime formidandae acriter unguibus minitantur inter pocula et iocularis rixas. Ceterum iunge *acrium in iuvenes*, non *sectis in iuvenes.*

19. «Sive vacui sumus ab amore sive amore flagramus, ex consuetudine omni tempore hac in re inconstantes, cantamus cet.» Iocose affectata hac levitate optime cavet, ne Agrippa grandia ac seria ab homine amoribus unice dedito exspectet.

# ODE VII.

## AD L. MUNATIUM PLANCUM CONSULAREM.

Laudabunt alii claram Rhodon aut Mitylenen
Aut Epheson bimarisve Corinthi
Moenia vel Baccho Thebas vel Apolline Delphos
Insignes aut Thessala Tempe.

Od. VII. v. 5, *arcem. arces* C.

VII. L. Munatius Plancus consul fuit a. u. c. 712. Primum Caesarem secutus, post eius interitum (a. u. c. 710.) per aliquod tempus Ciceroni atque omnibus, qui liberam rem publicam restituere volebant, favit; deinde Octavianum, postea Antonium, a. 722. rursus Octavianum secutus est, *morbo proditor*, ut ait Vell. 2, 83. Propter hanc inconstantiam omnibus (ipsi quoque Octaviano, sed secreto) exosus, tamen propter ingenium, quo valebat, et quia fortasse, ne nimium neglectus res novas moliretur, ille timebat, honoratus censura a. u. c. 741. et praefectura urbis. Quo tempore carmen hoc compositum est, utique post a. 722., fortasse de secessu in Graecia eligendo cogitabat, vel certe maestitia animi ac taedio laborasse videtur. Horatius autem vel ipse, ne Plancus Italiam relinqueret, optabat, vel, quod mihi probabilius videtur, nutum aliquem secutus Octaviani, qui nolebat virum tam illustrem in exilium pulsum videri, cum tranquille Tiburi degere posset, hoc carmine ei dissuadet, ne Graeciam cum Italia mutet, vel si hoc consilium non agitabat, certe consolari eius aegrimoniam studet, Teucri curas vino sapienter lenientis exemplo proposito.

1. *claram*] cum propter navium copiam et quaestuosam mercaturam, tum propter eloquentiae studia. — *Mitylenen*] Lesbi urbs *et natura et situ et descriptione aedificiorum et pulchritudine in primis nobilis; agri iucundi et fertiles.* Cic. de lege agr. 2, 16.

2. *bimaris*] διθάλασσος, inter mare Aegaeum et Ionium sita. Restituta iam erat *Colonia Laus Iulia Corinthus* a C. Iulio Caesare.

4. *Τέμπη*, vallis amoenissima inter Ossam et Olympum, quam Peneus perfluit. Eleganter eam describit Aelianus V. H. 3, 1. — *intactae*] ἄθικτον, παρθενίον. Lect. *arcem* et *arces* inde ortae videntur, quod sec. IX. et X. ineunte littera *a* aperte scribebatur, ita ut *urbem* et *arbem* vix distinguerentur. Hinc facilis fuit correctio *arcem*, quam praefert Markland ad Stat.

Sunt, quibus unum opus est intactae Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare et
Undique decerptam fronti praeponere olivam.
Plurimus in Iunonis honorem
Aptum dicit equis Argos ditesque Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedaemon
Nec tam Larissae percussit campus opimae,
Quam domus Albuneae resonantis

v. 7. *celebrare Indeque* Bouhier. Schrader. v. 9. *dicet* C.

Silv. 1, 4, 91. Sed lectio *urbem*, quae simplici huius carminis initio melius convenit, satis firmatur a Codd. etiam meis.

6. «Sunt, inquit, qui condant de Athenarum laudibus carmen *perpetuum*, a prima urbis origine ad sua tempora deductum et μύθους Atticos non sine arte inter se connectens, ut *perpetuum carmen* est Ovidii Metamorphoseon opus (1, 4). Deinde librorum lectio *celebrare et Undique decerptam fronti praeponere olivam* significat 1) servata imagine: «corona oleagina, ex Palladis igitur arbore nexa, undique, ὅθεν δή ποτε, ex omnibus Atticae locis, Athenis ipsis, Eleusine, Rhamnunte, Rario campo, Marathone, cet. decerpta caput redimire»; 2) sine imagine: «ex singulis fabulis atque historiis Atticis, quae poëticum ornatum recipiunt, apte tractatis gloriam sibi parare.» — Haeserunt multi in v. *praeponere*, unde nata Erasmi coni. *undique decerptae frondi praeponere olivam*; «praeferre Athenarum laudes aliarum urbium praeconiis.» Attamen χυρίως illud dictum est, cum corona semper sit *prae fronte*. Ac similiter Valerius Flaccus 3, 436: *glaucasque comis praetexere frondes Imperat*.

8. «Plurimi (multi), dum Iunonem honorare volunt, praedicant Argos ἵππιον, ἱππόβοτον (Ἥρας δῶμα θεοπρεπές Pind. Nem. 9, 3.) atque Mycenas πολυχρύσους Iliad. η, 180. Sophocl. Electr. 9.» Hoc dicit: «Singulae fere Graeciae regiones suos invenerunt laudatores, sive ἐγκώμια earum composuerunt sive ἐν παρόδῳ earum meminerunt; ego iam Tiburis amoenitatem praedicabo.»

10. *patiens*] «Lacedaemon illa tam celebrata propter severam suam disciplinam ac leges Lycurgi.» Propter τὸ πονεῖν εἶναι δυνατοὺς Lacedaemonios laudat Critias Bachii p. 43. et significanter, auctore Plutarcho Ages. 1., Simonides dixit Spartam δαμασίμβροτον.

11. *percussit*] Larissa, Thessaliae urbs, amore me permovit.

12. *domus* de antro Nympharum

Et praeceps Anio ac Tiburni lucus et uda
Mobilibus pomaria rivis.
Albus ut obscuro deterget nubila caelo
Saepe Notus neque parturit imbres
Perpetuos, sic tu sapiens finire memento
Tristitiam vitaeque labores
Molli, Plance, mero, seu te fulgentia signis
Castra tenent seu densa tenebit

v. 17. *Perpetuo* Bc.

etiam Propert. 1, 20, 34: *Grata domus Nymphis humida Thyniasin.* — *Albunea*] Sibylla s. Nympha vaticinans, quae Tiburi ut dea colebatur. Cfr. Aen. 7, 82—84: *lucosque sub alta Consulit Albunea, nemorum quae maxima sacro Fonte sonat saevamque exhalat opaca mephitim.* Hodie, ut videtur, *Acqua solforata d'Altieri.* Verum res est incerta.

13. *Anio*] h. *Teverone*, ὃς ἐκ πόλεως Τιβύρων καλῶ ὑψηλοῦ πολὺ ἐκχεῖται σκοπέλου. Dionys. Halic. 5. p. 305. (le cascatelle di Tivoli). — *Tiburni lucus*] *Tiburnus* Amphiarai filius vel nepos, cum Catillo et Cora fabulosus Tiburis conditor. Cfr. ad Od. 1, 18, 2.

14. *mobilibus*] vagis, discurrentibus rivis irrigua. Propert. 4, 7, 81: *Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis.* Ovid. Am. 3, 6, 47.

Defensam nuper vidimus a Grotefendio (Ersch Encycl. II, 10, p. 471.) eam rationem, quam sequuntur multi Godd., ut duo diversa sint carmina vv. 1—14. et 15—36. Verum, ita ut discindantur, nec concedit stropharum ratio a Meineckio significata et a nobis servata, et apertissima est sententiarum inter vv. 14 et 15. connexio: «Ante omnes regiones mihi placet Tibur; ergo tu quoque in amoenissimo Tiburtino tuo tristitiam, quae nunc te angit, depellere poteris.» Dissecto carmine nihil iciunius atque Horatio indignius excogitari poterat, quam vv. 1—14.

15. *Albus*] Sic Od. 3, 37, 19: *Albus Iapyx.* Virg. Ge. 1, 460: *clarus Aquilo.* Od. 3, 7, 1: *candidi Favonii.* — *deterget*] antiquior forma pro *detergit.*

19. *Molli*] miti, leni, sed ποιητικώτερον ἐπίθετον v. *mero.* Sic Iuven. 1, 69: *molle Calenum.* — *signis*] In signis militaribus cohortium erant sex, octo laminae argenteae (Plin. 33, 3, 19) partim quadratae, partim rotundae: quibus signis aquilisque legionum apud praetorium humo infixis castra *fulgebant.*

Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque
Cum fugeret, tamen uda Lyaeo
Tempora populea fertur vinxisse corona
Sic tristes affatus amicos:

Quo nos cunque feret melior fortuna parente
Ibimus, o socii comitesque:
Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro;
Certus enim promisit Apollo,

Ambiguam tellure nova Salamina futuram.
O fortes peioraque passi
Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas;
Cras ingens iterabimus aequor.

v. 27. *Teucri* C. *auspice; Teucro Certus* Wadius. *auspice Phoebo* B. susp.

21. *Teucer*] Vellei. Pat. 1, 1: *Teucer non receptus a patre Telamone ob segnitiem non vindicatae fratris* (Aiacis) *iniuriae Cyprum appulsus cognominem patriae suae Salamina constituit.* Telamonis filius erat nothus ex Hesiona Troiana captiva. Condicio autem fratribus imposita erat, ut ne alter sine altero domum rediret.

22. *uda Lyaeo*] *βεβρεγμένα.* Tibull. 1, 2, 3: *multo perfusum tempora Baccho.* — Teucer igitur post potationem ac libationem Herculi oblatam, ita alloquitur socios, cum ad littus alicubi appulisset, ubi pernoctare volebat. Theocrit. 2, 121: *κρατὶ δ' ἔχων λεύκαν, Ἡρακλέος ἱερὸν ἔρνος.*

27. *auspice Teucro*] De Graeco heroë Romanorum more loquitur, ut et Curtius 6, 3. de Alexandro: *quorum alia ductu meo, alia imperio auspicioque perdomui;* et de Amphitruone Plautus Amphitr. 1, 1, 41: *gessit rem publicam ductu imperio auspicio suo.* Consules Romani bellum gerentes erant cum imperio *(duce)*, habebant auspicia *(auspice)*. — *auspice*] Similiter Ov. Fast. 1, 1, 26. de Germanico: *auspice te.* — *certus*] *ἀψευδής*, verax ac fide dignus.

29. *Ambiguam*] alteram condi tum iri Salamina in insula Cypro, ut, cum Salaminis quis meminerit, *ambiguum* futurum sit, de qua agatur.

30. Odyss: *μ*, 208: *ὦ φίλοι, οὐ γάρ πώ τι κακῶν ἀδαήμονές εἰμεν κ. τ. λ.* Virg. Aen. 1, 198: *O socii, neque enim ignari sumus ante malorum, O passi graviora, dabit deus his quoque finem.* Cic. Tusc. 5, 37: *Ad omnem rationem Teucri vox accommodari potest: Patria est, ubicunque est bene.*

32. «Iterum cursum inceptum per mare repetemus.»

# ODE VIII.

## AD LYDIAM.

Lydia, dic, per omnes
Te deos oro, Sybarin cur properes amando
Perdere; cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris atque solis?
Cur neque militaris
Inter aequales equitat, Gallica nec lupatis
Temperat ora frenis?
Cur timet flavum Tiberim tangere? Cur olivum
Sanguine viperino
Cautius vitat neque iam livida gestat armis

VIII. Graecis nominibus imaginem iuvenis Romani amore perditi suaviter et iocose depingit. De veris personis vix cogitandum. (a. u. c. 727?)

2. *amando*] «dum eum amore irretitum tenes.»

4. *campum*] Martium, soli quam maxime expositum. — *patiens*] «Qui tamen facile pati posset.»

5. *militaris*] «Ut decet iuvenem robustum ac militiae aptum.»

6. *equitat*] Cogitandum de quotidianis equitationis exercitationibus, non de Troiae ludo equestri. Gallicani equi ferociores et Gallia olim Romanis exercitibus equos ministrabat. Tac. Ann. 2, 5. — *lupatis*] lupinis dentibus similia frena ferrea. *Λύκος τὸ ἐν τοῖς χαλίνοις σιδήριον.* Hesych. Ovid. Trist. 4, 6, 3: *Tempore paret equus lentis animosus habenis Et placido duros accipit ore lupos.*

7. *temperat*] moderatur, regit.

8. «Cur natatione Tiberinâ, qua plerumque utebantur post alias *γυμνασίας*, abstinet?» — *olivum*] «Cur luctâ?» ante quam oleo perfricabantur. «Hoc iam magis timet, quam sanguinem viperinum, praesentissimum venenum.»

10. *arma* hic sunt ipse discus plumbeus vel ferreus et iaculum, quorum pondere atque usu *lividae* maculae in brachiis oriuntur.

11. «Cur abstinet a disco vibrando, a iaculando?» — *nobilis*] celebratus propter robur, quo iaculum ultra scopum constitutum validis lacertis olim *expediebat*, emittebat.

Brachia, saepe disco,
Saepe trans finem iaculo nobilis expedito?
Quid latet, ut marinae
Filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Troiae
Funera, ne virilis
Cultus in caedem et Lycias proriperet catervas?

## ODE IX.

### AD THALIARCHUM.

Vides, ut alta stet nive candidum
Soracte nec iam sustineant onus

13. *quid latet*] apud te?

14. Thetis, ne periret Achilles Troiam oppugnaturus, eum apud Lycomedem, Scyri insulae regem, in thalamo veste puellari indutum occultarat, ubi Deidamiae, regis filiae, amore captus est; mox, cum Ulixes mercatoris habitu inter alias merces arma puellis proposuisset, ille his cupide arreptis detectus est. — *sub lacrimosa*] paullo ante Graecorum expeditionem in Troiam, excidio iam a diis damnatam.

15. «Ne virilis vestitus ipse Achillem incitaret ad expeditionem a Graecis regibus indictam una cum iis alacriter suscipiendam.»

16. *Lycii* Troianorum socii ducibus Sarpedone et Glauco.

IX. * *Thaliarchus* nomen fictum adolescentis formosi, quem ad laetum vitae usum exhortatur. (a. u. c. 727?) Imitatur autem Alcaeum apud Athen. 10. p. 430: *Ἴδε μὲν ὁ Ζεὺς, ἐκ δ' ὀρανῶ μέγας Χειμών, πεπάγασιν δ' ὑδάτων ῥοαί. Κάββαλλε τὸν χειμῶν', ἐπὶ μὲν τίθεὶς Ἴϋρ, ἐν δὲ κίρναις οἶνον ἀφειδέως Μελιχρὸν, αὐτὰρ ἀμφὶ κόρσᾳ Μαλθακὸν ἀμφι[βαλὼν] γνάφαλλον.*

1. *stet*] Per aestatem scilicet in caelo Italico montes longinquiores quasi per nebulam apparent, formis obscuratis et prope extenuatis; hieme vero *stant*, nive cum rigeant, toti nivei sint, clare conspiciuntur.

2. *Soracte* mons in finibus Faliscorum, in quo Apollo colebatur, (Aen. 11. 785: *Summe deum, sancti custos Soractis Apollo*), ultra XXIV mil. pass. ab Urbe, sed ex ea (in

Silvae laborantes geluque
Flumina constiterint acuto.

Dissolve frigus ligna super foco
Large reponens atque benignius
Deprome quadrimum Sabina,
O Thaliarche, merum diota.

Permitte divis cetera, qui simul
Stravere ventos aequore fervido
Deproeliantes, nec cupressi
Nec veteres agitantur orni.

Quid sit futurum cras, fuge quaerere et
Quem Fors dierum cunque dabit, lucro
Appone, nec dulces amores
Sperne puer neque tu choreas;

Od. IX. v. 14. *Quem sors* Fea.

qua, non ruri, scena carminis fingitur) facile conspiciendus, hodie *Monte Tresto*.

3. *laborantes*] nutantes atque sese inflectentes sub nivis onere.

4. *acuto*] Pind. Pyth. 1, 39: *χιόνος ὀξείας*, quae frigore suo velut secat et pungit. Virg. Ge. 1, 93: *Boreae penetrabile frigus*. Glacie igitur adstricta flumina cursum morari videntur.

5. *dissolve*] *χάββαλλε*, pelle.

6. *benignius*] largius, copiosius.

7. *deprome*] «Ex ipsa diota hauritо». — *quadrimum*] satis igitur vetus ac dulce, quamvis Sabinum dumtaxat. Od. 1, 20, 1: *vile Sabinum* et *plumbeum* Martiali 10, 49. *Diota*, *δίωτον*, vas utrimque ansatum, quo vinum e cadis haustum in minores cyathos defundebatur.

9. *cetera*] quae nihil ad nos attinent. Archiloch. Fr. 15, 1: *τοῖς θεοῖς τίθει τὰ πάντα*.

10. *sternere ventos* in pedestri orat. sedare, tranquillare.

11. «Qui in mari turbido acerrime inter se luctantur.»

12. *orni*] *Mannaeschen*.

13. *fuge*] in pros. or.: «Omitte, noli de rebus futuris consulere astrologos.»

15. *appone*] in pr. or.: «In lucro pone.»

16. *puer*] «dum adolescentia frueris.»

Donec virenti canities abest
Morosa. Nunc et campus et areae
Lenesque sub noctem susurri
Composita repetantur hora,
Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae risus ab angulo
Pignusque dereptum lacertis
Aut digito male pertinaci.

## ODE X.

### AD MERCURIUM.

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum

17. *virenti*] florenti. Theocr. 27, 66: χλοεροῖσιν μελέεσσιν. Epod. 13. 4: *dumque virent genua*, sicque *viridis senectas*.

18. *areae*] loca publica, in quibus conveniebat iuventus.

19. *susurri*] Scena haec est: Amator ad ianuam semiapertam amicae hora constituta susurrat, submissa voce eam appellat; puella nihil respondens intra domum, quo ludificetur adolescentem, sese occultat; mox autem ex angulo, ubi latet, cachinno sublato se prodit; amator intro se praecipitans armillam vel anulum, pignus amoris, deripit, simulanti se pertinacem esse ac reluctari, sed re vera gaudenti se spoliari.

20. Ex v. *repetantur* cogitatione elicienda alia risus proditoris et pignoris derepti magis propria: «Nunc hi quoque soliti amantium ioci vos delectare possunt.»

24. *male pertinaci*] minus, parum pertinaci, quia tantummodo fingit se obniti.

X. «Hymnus est in Mercurium ab Alcaeo lyrico poëta.» PORPHYR. Pausan. 7, 20: βουλὴ γὰρ χαίρειν μάλιστα Ἀλκαῖος ἐδήλωσεν ἐν ὕμνῳ τῷ εἰς Ἑρμῆν γράψας, ὡς ὁ Ἑρμῆς βοῦς ὑφέλοιτο τοῦ Ἀπόλλωνος. (a. u. c. 729?)

1. *facunde*] Hic λόγιος (Orph. Hymn. 27, 4: λόγου προφήτης), v. 3. ἀγώνιος. — *nepos Atlantis*] per Maiam. Poëtica ratio iubet v. *facunde* iungere cum v. *nepos*, non cum v. *Mercuri*.

Voce formasti catus et decorae
More palaestrae,

Te canam, magni Iovis et deorum
Nuntium curvaeque lyrae parentem,
Callidum, quidquid placuit, iocoso
Condere furto.

Te, boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra
Risit Apollo.

Quin et Atridas duce te superbos
Ilio dives Priamus relicto
Thessalosque ignes et iniqua Troiae
Castra fefellit.

2. *Cultus* cum significet omnem prope externam vivendi rationem et, ut h. l., mores, apud poëtas certe recipere potest epitheta huiusmodi, ut *ferus, asper, agrestis.*

3. *voce*] «Ἑρμηνείᾳ excoluisti homines rudes, eos docens distincte ac dilucide suas cogitationes exprimere.» — *decora*] «quae decus et εὐεξίαν addit iuvenibus.»

4. *more*] institutione, lege exercitationum. Pind. Ol. 6, 117: τεθμῷ ἀέθλων.

5. *nuntium*] διάκτορον. Virg. Aen. 4, 356: *interpres divom.* — *lyrae*] ex testudine factae et chordis intentae *parentem*, inventorem.

7. *iocoso*] «ioci causa sic patrato, ut ii ipsi, quos spolias, ridere debeant.»

9. *olim*] Ad omnes has tres actiones aeque pertinet hac constructione: «Olim (eodem die, quo natus es: Hom. Hymn. Merc. 20. ibique Franke), dum Apollo te puerum minaci voce terret, asseverans te a se punitum iri, nisi quinquaginta boves per dolum amotas reddidisses, subrisit, cum se a te spoliatum pharetra videret.»

11. *viduus*] «apud poëtas pro privo; spoliato.»

13. 14. Priamus a Mercurio custoditus noctu ad Achillem perrexit, ut Hectoris corpus redimeret. Iliad. ω, 336. — *superbos*] μεγαλήτορας, μεγαθύμους Homero.

15. *ignes*] excubiarum Myrmidonum et hostilia Graecorum castra.

Tu pias laetis animas reponis
Sedibus virgaque levem coërces
Aurea turbam, superis deorum
Gratus et imis.

## ODE XI.

### AD LEUCONOEN.

Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi
Finem di dederint, Leuconoë, nec Babylonios

17. *reponis*] «Eo deducis, ubi in perpetuum habitaturae sunt.»

18. *virga*] Virgam magicam ei donavit Apollo Hymn. Merc. 530: ὄλβον καὶ πλούτου δώσω περικαλλέα ῥάβδον, χρυσείην, τριπέτηλον, ἀκήριον, ἥ σε φυλάξει, πάντας ἐπικραίνουσ' οἵμους ἐπέων τε καὶ ἔργων. Memoratur etiam Iliad. ω, 343. — *levem turbam*] εἴδωλα καμόντων. — *coërces*] proprie de pastore, qui gregem prae se agens, id simul spectat, ne dissipentur, sed uno agmine procedant pecora.

20. *imis*] (in prosa orat. *inferis*) quia et in caelo et in Orco versatur. Claudian. Rapt. Pros. 1, 89: *commune profundis et superis numen.*

XI. *Leuconoë*, nomen fictum grati soni. Obversabatur poëtae imago puellae superstitiosae, saepe mathematicos consulentis, a qua stultitia eam ad laetum vitae usum avocat. (a. u. c. 728?)

1. «Tu, tam cara mihi tam florens adolescentula noli scrutari» cet. Sic Tacit. Ann. 3, 22: *quaesitum per Chaldaeos in domum Caesaris.* — Ipsa versus constructio iubet nos iungere non *quaesieris scire*, sed *scire nefas*, ut Epod. 10, 14: *nefas videre.*

2. *finem*] vitae decursum usque ad obitum. — *Babylonios*] Chaldaeorum (astrologorum) qui multis computationibus factis ex tabulis genethliacis atque ephemeridibus de siderum statu et oppositione, hominum, qui eos consulebant, γένεσιν et horoscopum, atque per hunc vitae vicissitudines definiebant.

3. *tentaris*] «illicite exploraris.» — *numeros*] Eosdem Cic. de Div. 2, 47. *rationes Chaldaicas* vocat. — *ut melius*] «Quanto satius est etiam mala pati, ubi advenerint, quam iis ante explorandis maestitiam perpetuam tibi praeparare!»

4. 5. Excipit protasin: *Seu plures — mare Tyrrhenum*, apodosis *sapias*, cum plerique puncto distin-

Tentaris numeros. Ut melius, quidquid erit, pati!
Seu plures hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam,
Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum, sapias, vina liques et spatio brevi
Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida
Aetas: carpe diem quam minimum credula postero.

# ODE XII.

## DE AUGUSTO.

Quem virum aut heroa lyra vel acri
Tibia sumis celebrare, Clio?

quant ante v. *sapias*. — *hiemes*] annos; servato tamen primitivo significatu statim praesentis anni tempus hibernum depingit; quae hiems *nunc debilitat undas*, efficit, ut frangantur ad *pumices*, non tam proprie dictas, quam, ut est apud Plinium 36, 42: *appellantur quidem ita* (pumices) *et erosa saxa*. — *oppositis*] mari obiectis in extremo litore *fluctifrago* (Lucret. 1, 305).

6. *sapias*] «Omitte illam stultam sollicitudinem et, ut sapientem decet, fruere vita.» — *liques*] Per colum nivarium, vel per sacculum linteum colabant sive saccabant vina, quo dempta faece et flore liquidiora fierent.

6. «Reputans tecum, quam breve vitae sit spatium, certum terminum siste nimiae spei de futuro tempore (*spem longam*, ut Od. 1, 4, 15.) et vive in praesentia. Iam dum doctrinam hanc tibi trado, fugit irreparabile tempus, quod laetitiae dedicare potuissemus.»

7. 8. *fugerit*] futurum exactum. Similiter Persius 5, 151: *hoc, quod loquor, inde est*. — *Invida* autem est aetas, quatenus diuturnae voluptatis usuram denegat. «*Carpe* igitur *diem* (non tam ut florem vel fructum maturum, quam ut dicimus *oscula*, *cibum*, *viam carpere* cum celeritatis notione) nec fide sequenti.» Epp. 1, 4, 13.

XII. Augustum insertum deorum, heroum et summorum ducum Romanorum ordini tamquam orbis terrarum dominum celebrat. Scriptum est carmen a. u. c. 731.

1. Pindar. Olymp. 2, 1: Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι, τίνα θεὸν, τίν' ἥρωα, τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν; Inverso ordine Horatius. — *acri*] λιγυρᾷ, soni acuti.

2. *sumis celebrare*] In prs. or. «sus-

Quem deum? cuius recinet iocosa
Nomen imago

Aut in umbrosis Heliconis oris
Aut super Pindo, gelidove in Haemo?
Unde vocalem temere insecutae
Orphea silvae

Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus celeresque ventos,
Blandum et auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

Quid prius dicam solitis parentis
Laudibus, qui res hominum ac deorum,

Od. XII. v. 13. *parentum* C. *Quid prius? Dicam solitis parentem* Fea.

cipis celebrandum.» *Clio* plerisque Musa historiae, sed ex nominis notatione etiam, ut hic, elogiorum.

3. 4. Latini cum carerent vocabulo, quod χυρίως responderet Graecorum ἠχώ, eam *vocis imaginem* (Virg. Ge. 4, 50.) et *imaginem* simpliciter appellabant. *Iocosa* autem, quia viatores quasi consulto ludificatur, unde auribus accidat, ignorantes.

5. *Helicon* Boeotiae, *Pindus* Thessaliae, *Haemus* Thraciae montes, Musarum sedes.

9. «Arte canendi a Calliope matre donatus.»

11. «Blando cantu ducentem quercus attente auscultantes.» Plaut. Asin. Prol. 4: *Fac iam tu, praeco, omnem auritum populum.* Plerumque vero de leporibus cet. usurpatur. Post silvas totas singulare nunc arborum genus memorat.

13. «Ante omnes igitur solitis laudibus, ut fit in re divina, rite celebrabo Iovem *parentem*», Alcman Fr. 31: ἐγὼ δ' ἀείσομαι ἐκ Διὸς ἀρχόμενος.

15. *mundum*] caelum. Designatur autem per mare, terras et caelum universa rerum natura. Catull. 64, 205.

16. *horis*]. Ex usu poëtico pro anni temporibus *variis*, sese invicem excipientibus ac natura sua distinctis. (Ars Poët. 302.) — *temperat*] «ordinat atque moderatur.»

17. *Unde*] Non «quare»; sed «ex quo, qui est optimus maximus, nihil ipso potentius gene-

Qui mare ac terras variisque mundum
Temperat horis?

Unde nil maius generatur ipso
Nec viget quidquam simile aut secundum:
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.

Proeliis audax neque te silebo
Liber et saevis inimica Virgo
Beluis nec te metuende certa
Phoebe sagitta.

Dicam et Alciden puerosque Ledae,
Hunc equis, illum superare pugnis

v. 19. *occupabit* Fea. v. 21. *Pallas honores, Proeliis audax.* *Neque* B.

ratur, cum omnes dii ei sint inferiores.»

18. *viget* ] «floret honore et potentia.» E. v. *unde* eliciendum ad hunc v. *cui*.

19. «Cum itaque nullus ei sit vel *secundus* (id est parvo atque adeo minimo intervallo ab eo distans), sed longe distet ceterorum potentia a summo Iovis imperio, Pallas tamen, sapientiae dea, *proxima, longo* sed *proxima intervallo* (Virg. Aen. 5, 320.) ad illum accedit.» Confer Hesiod. Theog. 896: Ἶσον ἔχουσα πατρὶ μένος καὶ ἐπίφρονα βουλήν. Atque frequenter *σύνναος* Iuppiter et Minerva. — *occupavit*] «possedit, habet.» Qui legebant *occupabit*, interpretabantur: «Habebit in hoc meo carmine.»

21. Iam cum superiore illa laude satis ornetur Minerva, malim equidem vv. *Proeliis audax* iungere cum Libero quam cum illa; quamquam Minerva utique *bellipotens, belligera* poëtis. Bacchi autem celebrabatur et pugna adversus Gigantes, (Od. 2, 19.) et expeditio Indica Ovid. Met. 4, 20.

22. Diana venatrix, Θηροκτόνος, ἰοχέαιρα. Theogn. 11: Ἄρτεμι θηροφόνη.

23. Apollo κλυτότοξος, ἑκηβόλος. — *certa*] nunquam fallente.

25. Herculem, Alcaei nepotem, et Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα (Iliad. γ, 237. et Odyss. λ, 300. Sat. 2, 1, 26.)

26. *pugnis*] caestuum certamine, πυγμαχίᾳ.

Nobilem; quorum simul alba nautis
Stella refulsit,
Defluit saxis agitatus humor,
Concidunt venti fugiuntque nubes
Et minax, quod sic voluere, ponto
Unda recumbit.
Romulum post hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquini fasces, dubito, an Catonis
Nobile letum.
Regulum et Scauros animaeque magnae
Prodigum Paullum superante Poeno

v. 31. *di sic, sic di, quia sic, qua sic, nam sic, cum sic, nam sic* Codd. lectiones et Criticorum coniecturae. v. 35. *anne Curti* Bentleii suspicio.

27. *alba*] caelum serenum reddens, ut Od. 1, 7, 15: *albus Notus*.

28. «Quorum splendens, dum oritur sidus, tempestates sedat.»

29. *defluit*] «relabitur a saxis litori proximis spuma maris turbati.»

30. *Concidunt venti*] «placantur» ut Aen. 1, 154: *cunctus pelagi cecidit fragor*.

31. *quod sic voluere*] «propter id unum, quod Dioscuris ita placuit;» quo loquendi modo magnam eorum potentiam graviter exprimit. — *ponto*] in pedestri serm. «in pontum.» Aen. 5, 451: *it clamor caelo*; contra Aen. 4, 665: *it clamor ad alta Atria*.

33. Liv. 1, 21: (Romulus et Numa) *duo deinceps reges, alius alia via, ille bello, hic pace, civitatem auxerunt*.

34. *superbos*] «magnificos et terrorem incutientes», utpote qui potestatis in vitam necemque hominum insignia essent. Tarquinium priscum significat *pace et bello promptissimum* Flor. 1, 5.

35. *Catonis*] Neque hic nec Od. 2, 1, 24. Horatius audacior fuit Virgilio Aen. 8, 670: *secretosque pios, his dantem iura Catonem*.

36. *nobile letum*] Adeo, ut ex mortis loco cognomen Uticensi ei in perpetuum manserit. Cic. ad Fam. 9, 18: *Pompeius, Scipio, Afranius in bello civili foede perierunt, at Cato praeclare*.

37. De M. Attilio *Regulo* v. Od. 3, 5. — *Scauros*] M. Aemilius Scaurus *lumen ac decus patriae* Val. Max. 5, 8, 4; consul a. u. c. 638., censor, princeps senatus,

38. *prodigum*] L. Aemilius Paul-

Gratus insigni referam Camena
Fabriciumque.
Hunc et incomptis Curium capillis
Utilem bello tulit et Camillum
Saeva paupertas et avitus apto
Cum lare fundus.
Crescit occulto velut arbor aevo
Fama Marcelli; micat inter omnes
Iulium sidus velut inter ignes
Luna minores.
Gentis humanae pater atque custos
Orte Saturno, tibi cura magni

v. 41. *intonsis* Fea. v. 43. *Sancta -- arto* B. suspicio.

lus in Cannensi pugna pro re publica vitam generosissime edidit.

39. *gratus*] «Grato animo memorabo insignia illorum de patria merita carmine sublimi ac talibus viris digno.»

40. C. Fabricius Luscinus, Pyrrhi victor, et M'. Curius Dentatus, auri Samnitium contemptor.

41. Cum prisci Romani barbati essent atque intonsi, a. u. c. 454. coeperunt tonderi et comi. Plin. 7, 59. Apud Quintil. 9, 3, 18: *intonsis* est *σφάλμα μνημονικόν*.

42. *utilem bello*] «praeclarum in bello ducem produxit.» — M. Furius *Camillus*, liberator Urbis a Gallis captae.

43. *saeva*] dura, multis molestiis comitata, sed heroicae virtutis mater. — *paupertas*] patrimonii mediocritas, distinguenda ab egestate, inopia, mendicitate. — *avitus*] hereditate acceptus, neque auctus nec imminutus. — *apto*] domus simplicitate sua mediocri fundo conveniens.

45. *occulto*] «Sensim crescit, ita, ut nemo arborum (quercuum puta et fagorum) incrementa per singulos annos animadvertit.»

46. «Grata posteritas semper magis magisque honorat memoriam M. Claudii Marcelli illius antiqui, quinquies consulis et Syracusarum expugnatoris, etiam propter Augusti ex sorore nepotem avunculo et populo caram.»

47. *Iulium sidus*] C. Iulius Caesar, dictator perpetuus.

51. «A fatis (*εἱμαρμένῃ*) tibi custodia Caesaris commissa est; tu ita regas mundum, optamus, ut post te ille secundus sit orbis terra-

Caesaris fatis data; tu secundo
Caesare regnes.

Ille, seu Parthos Latio imminentes
Egerit iusto domitos triumpho
Sive subiectos Orientis orae
Seras et Indos,

Te minor latum reget aequus orbem;
Tu gravi curru quaties Olympum,
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

v. 57. *laetum* C. *regat* C.

rum rector.» Ovid. Met. 15, 858: *Iuppiter arces Temperat aethereas et mundi regna triformis; Terra sub Augusto: pater est et rector uterque.*

54. «Ante se *egerit* captivos.» *Iustus* autem *triumphus* ex formularum sermone «legitimus, meritus.»

56. *Seras*] subiacentes, habitantes ad ultimas Orientis oras.

57. *Te minor*] «semper agnoscens se tibi inferiorem esse tuamque tutelam sibi necessariam.» Od. 3, 6, 5. — *latum*] vastum; aptius h. l. ἐπίθετον quam *laetum*, quod explicant: «eo ipso laetum, quod tu regnas.» — *aequus*] iustus simul atque clemens.

58. *gravis currus* est Iovis, ubi fulminat et tonat.

59. *parum castis*] ab impiis polluti ac profanati incestu et homicidiis. TesteAcrone, ex librorum auguralium doctrina luci nonnisi polluti de caelo tangebantur. Tales autem luci expiabantur a Fratribus Arvalibus.

# ODE XIII.

## AD LYDIAM.

Cum tu, Lydia, Telephi
Cervicem roseam, cerea Telephi
Laudas brachia, vae meum
Fervens difficili bile tumet iecur.

Tum nec mens mihi nec color
Certa sede manent, humor et in genas
Furtim labitur arguens
Quam lentis penitus macerer ignibus.

Uror, seu tibi candidos
Turparunt humeros immodicae mero

Od. XIII. v. 2. *lactea* e Flavio Capro B. v. 6. *manet* Bc.

XIII. Poëtica *φαντασίᾳ* fingit a puella, quam amabat, sibi praelatum esse adolescentem rivalem, qua de re *ζηλοτυπίᾳ* agitatus vehementer queritur, Lydiam monet, ne Telepho nimis fidat, et sortem suam deplorans fideles amantes felices praedicat (a. u. c. 728?)

2. *roseam*] pulchre rubicundam. — *cerea*] non tam «mollia, flexibilia veluti cera», quam «candida, ut cera alba.»

4. *difficili*] morosa et truculenta, ut contra *facilis* idem fere interdum significat ac «mitis, comis». — *iecur*] sedes perturbationum animi, ut Sat. 1, 9, 66.

6. *manent*] «non sibi constant, sed identidem mutantur.»

7. *humor* - - *Furtim*] secretae lacrimulae.

8. *lentis*] per diuturnum tempus occulte me consumentibus. Proprie linum aqua *maceratur*, ita mollitur, ut tela cellulosa putrefacta filatim solvi facile possit. Hinc significat *consumere*.

9. *uror*] Non significat: «Doleo te male mulcatam a Telepho;» sed «*ζηλοτυπίᾳ* excrucior certis ex notis animadvertens te in eius potestate fuisse.»

10. *Turparunt*] maculis lividis, ex verberibus ortis.

Rixae, sive puer furens
Impressit memorem dente labris notam.

Non, si me satis audias,
Speres perpetuum dulcia barbare
Laedentem oscula, quae Venus
Quinta parte sui nectaris imbuit.

Felices ter et amplius,
Quos irrupta tenet copula nec malis
Divolsus querimoniis
Suprema citius solvet amor die.

v. 19. *Divolsos* B. suspicio.

11. *rixae immodicae mero*] «per largiorem compotationem inter vos excitatae et ultra modum progressae.»

12. *memorem*] ita, ut morsiuncularum notae impressae maneant.

13. *Non -- speres*] ut Sat. 2, 5, 91. Epp. 1, 18, 72. A. P. 460,

14. *perpetuum*] constantem ac fidum amatorem. — *oscula* pro labellis ipsis, quibus tu eum osculaberis.

15. «*quinta*, id est, absolutissima. Transfert ad amantium oscula τὸ πέμπτον ὄν, τὴν πέμπτην οὐσίαν Pythagoreorum, qui est aether.» Hanc denominationem renovarunt Sec. XVI. *quintae essentiae (Quintessenz)* nomine utentes de succis odoratis et medicamentis subtilioribus.

17. *Felices ter*] τρισμάκαρες, τρισόλβιοι, alibi *terque quaterque*.

20. Proprie solvitur amor, h. l. ipse soli morti cedens et ab ea finitus amantes separat, nunquam antea *divolsus*, violenter distractus pravis querimoniis et iurgiis. Est quasi dixisset: «inter quos nunquam ante mortem discidium amoris ex altercationibus oritur.»

# ODE XIV.

## AD REM PUBLICAM.

O navis, referent in mare te novi
Fluctus. O quid agis? Fortiter occupa
Portum. Nonne vides, ut
Nudum remigio latus
Et malus celeri saucius Africo

Od. XIV. v. 1. *referunt* C. v. 2. *Fluctus? O* B. v. 4. *latus? Et* B.

XIV. Allegoria est, qua maerorem suum exprimit de renovato a Sex. Pompeio eiusque asseclis a. u. c. 716. bello civili, quod rem publicam summis denuo periculis expositurum erat. Agnoscit allegoriam iam Quintilianus 8, 6, 44. ex vetere, ut opinor, fama ad eum usque propagata: *Ἀλληγορία, quam inversionem interpretantur, aliud verbis, aliud sensu ostendit, etiam interim contrarium. Prius, ut* O navis -- Portum *totusque ille Horatii locus, quo navem pro re publica, fluctuum tempestates pro bellis civilibus, portum pro pace atque concordia dicit.* Alcaeus Fr, 2: *Τὸ μὲν γὰρ ἔνδεν κῦμα κυλίνδεται, Τὸ δ' ἔνδεν· ἄμμες δ'ἂν τὸ μέσσον Ναῒ φορήμεδα σὺν μελαίνᾳ Χειμῶνι μοχθεύντες μεγάλῳ κάλων· Πὰρ μὲν γὰρ ἄντλος ἱστοπέδαν ἔχει, Λαῖφος δὲ πᾶν ξάδηλον ἤδη, Καὶ λαχίδες μεγάλαι κατ' αὐτό· Χαλάσι δ'ἄγκυραι.*

1. Praestat sine interrogatione haec efferri: *O navis -- portum.* «lacera navis, quam ex litore conspicio periclitantem, vae tempestatum vi rursus in altum mare abripiere.»

2. Iam sequitur interrogatio: «Ecquid te fiet?» — *fortiter occupā*] «Omnibus viribus nitere, ut in portum quam ocissime inveharis, in eoque tuto te recondas.» Hoc enim, non «remanere in portu» significat v. *occupare*.

4. *nudum remigio*] «Omnibus remis detersis, fractis, nudatum est latus.»

Antennaeque gemant ac sine funibus
Vix durare carinae
Possint imperiosius

Aequor? Non tibi sunt integra lintea,
Non di, quos iterum pressa voces malo.
Quamvis Pontica pinus,
Silvae filia nobilis,

Iactes et genus et nomen inutile:
Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit. Tu, nisi ventis
Debes ludibrium, cave.

v. 6—8. *gemunt - possunt* C.

6. *gemant - - possint*] Vide Ed. maiorem. Videmus malum infractum, simulque audimus *gemitum*, continuum illius et antennarum inter se collidentium fragorem. — *Volneratam navem* dixit etiam Livius 37, 24. et Graeci νῆας τραυματισθείσας. — *sine funibus*] scil. pice illitis, quibus cingunt carinam et latera, ut iuncturae contineantur, ut est Act. Apost. 27, 10: ὑποζωννύντες τὸ πλοῖον.

7. *durare*] perferre, sustinere. Virg. Aen. 8, 577: *quemvis durare laborem.* — *carinae*] de una navi, ut saepe *limina, tecta* de una domo.

8. *imperiosius*] «nimis imperiosum, saevum, cuius caeco imperio iam parere debes nec resistere potes.»

10. *di*] tutela navium. Pers. 6, 30: *iacet ipse in litore et una Ingentes de puppe dei*,» quos invoces, cum nova pericula tibi supervenient.» — *pressa*] «Cum rursus periculum te urgebit.»

11. *Pontica*] Quia in Ponto praestantis materiae magna erat copia. Catull. 4, 9.

12. *nobilis*] «celebratae»; melius enim iungitur cum v. *silvae* quam cum v. *filia*.

13. *nomen*] ὀνομάτως; «antiquam rei publicae gloriam.» — *pictis*] Puppes intrinsecus et extrinsecus variis coloribus pingebantur. Iam apud Homerum Il. β, 637: νῆες μιλτοπάρῃοι.

16. *debes*] ut ὀφλισκάνειν γέλωτα, δίκην. In prosa orat. «cave, ne debeas»; hic autem miscet duas constructiones: illam, et «nisi mavis perire, cave.»

17. *taedium*] «Post cladem Philippensem aegritudo cum satietate

Nuper sollicitum quae mihi taedium,
Nunc desiderium curaque non levis,
Interfusa nitentes
Vites aequora Cycladas.

---

# ODE XV.

## NEREI VATICINIUM DE EXCIDIO TROIAE.

Pastor cum traheret per freta navibus
Idaeis Helenen perfidus hospitam,

militiae ac rerum civilium me ceperat» (multa enim perverse et imperite in partibus Brutinis gesta erant) «nunc, cum salus tua denuo agitur, magnam mihi curam iniicis ac *desiderium*», fortasse etiam propter amicos, qui Sex. Pompeii (non, ut alii contendunt, M. Antonii) partes sequebantur. — «Ne naufragium facias, vita aequora, quae fluunt inter Cycladas, insulas marmore *nitentes*» Sine imagine: «Bello civili finem impone, ne pervertaris.»

XV. Ut deo marino hoc vaticinium tribueret, inductus est fortasse a Proteo Homerico Odyss. δ, 360. seqq. et Apollonii Glauco Argon. 1, 1310: *Τοῖσιν δὲ Γλαῦκος βρυχίης ἁλὸς ἐξεφαάνθη. Νηρῆος θείοιο πολυφράδμων ὑποφήτης.* Vaticinationem autem ideo diis marinis tribuisse videntur prisci homines, quia nautae cotidianis periculis expositi, singula tempestatum signa attente observantes, undis ac ventis voces divinas et quasi oracula tribuebant.

1. *Pastor*] expositus in Ida monte educatusque a pastoribus, ipse aliquando pastor. Bion 15, 10: *Ἅρπασε τὰν Ἑλέναν πόθ' ὁ βουκόλος, ἆγε δ' ἐς Ἴδαν Οἰνώνῃ κακὸν ἄλγος.* Virg. Aen. 7, 363. — *traheret*] Frequens hoc de feminis raptis verbum; ut *ἕλκειν*. Tac. Ann. 2, 13: *militem tracturum coniuges.* — *navibus*] plures enim habebat. Iliad. γ, 443: *ὅτε σε πρῶτον Λακεδαίμονος ἐξ ἐρατεινῆς Ἔπλεον ἁρπάξας ἐν ποντοπόροισι νέεσσιν.*

2. *Helenen*] «In Iambis, Sermonibus et Epistolis Latinis declinationibus libentius utitur Horatius, in Carminibus Graecis.» Bentl. ad Epod. 17, 17. — *hospitam*] Quam vel hoc nomine corrumpere secumque ducere non debuisset.

Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata: Mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Graecia milite,
Coniurata tuas rumpere nuptias
Et regnum Priami vetus.
Heu heu! quantus equis, quantus adest viris
Sudor! quanta moves funera Dardanae
Genti! Iam galeam Pallas et aegida
Currusque et rabiem parat.

Eurip. Troad. 865. Menelaus de Paride: ὃς ἐξ ἐμῶν δόμων δάμαρτα ξεναπάτης ἑλήσατο,

3. *ingrato*] molesto ipsis ventis semper inquietis, non Paridi atque Helenae. — *obruit*] De improviso ventos otio oppressit, eos sopiit, coercuit, ut Paris et Helena vaticinium hoc audire cogerentur.

5. *Nereus*.] Ponti et Telluris filius, Doridis coniux, pater Nereidum. Hesiod. Theog. 233. — *mala avi*] Pind. Nem. 9, 44: αἰσιᾶν οὐ κατ' ὀρνίχων, infaustis auspiciis. Od. 3, 3, 6: *alite lugubri*. Epod. 10, 1: *mala alite*.

7. *coniurata*] Schol. Venet. ad Iliad. β, 339: τῶν ἐξ Ἑλλάδος ἀρίστων ἐπὶ μνηστείαν τῆς Ἑλένης παρόντων διὰ τὸ γένος καὶ τὸ κάλλος, Τυνδάρεως ὁ πατὴρ αὐτῆς φυλασσόμενος, μή ποτε ἕνα αὐτῶν προκρίνας τοὺς ἄλλους ἐχθροὺς ποιήσηται, κοινὸν αὐτῶν ἔλαβεν ὅρκον, ᾧ μὴν τῷ ληψομένῳ τὴν παῖδα ἀδικουμένῳ περὶ αὐτὴν σφόδρα πάντας ἐπαμυνεῖν. Διόπερ Μενελάῳ αὐτὴν ἐκδίδωσι· καὶ μετ' οὐ πολὺ ἁρπασθείσης αὐτῆς ὑπὸ Ἀλεξάνδρου ἐκοινώνησαν τῇ στρατείᾳ διὰ τοὺς γενομένους ὅρκους. Ἱστορεῖ Στησίχορος.

8. E verbo *rumpere* (dissolvere, dirimere nuptias illicitas) eliciendum «everterę» *regnum*.

10. «Quantam cladem praeparas Troianis!» Sic Od. 4, 1, 2: *bella moves*. *Dardana gens* pro *Dardania*, ut Carm. sec. 47: *Romula*.

11. *aegida*] clypeum aereum squamatum, in quo medio Gorgonis s. Medusae caput. Iliad. β, 446. ε, 738. Virg. Aen. 2, 616: *Pallas nimbo effulgens et Gorgone saeva*.

12. *currus*] Cic. de N. D. 3, 23: *Minervam Coriam quadrigarum inventricem ferunt*. — *rabiem*] furorem bellicum. Iungitur hic notio abstracta cum concretis, ut Od. 35, 33: *cicatricum et sceleris*.

13. Venus inde ex pulchritudinis illo iudicio, quod Paris secundum ipsam tulerat, ei favebat. Hector Paridi Iliad. γ, 54: Οὐκ ἄν τοι χραίσμῃ κίθαρις, νά τ' ἀοιδή· Ἀφρο-

Nequicquam Veneris praesidio ferox,
Pectes caesariem grataque feminis
Imbelli cithara carmina divides;
Nequicquam thalamo graves
Hastas et calami spicula Cnosii
Vitabis strepitumque et celerem sequi
Aiacem; tamen heu serus adulteros
Crines pulvere collines.
Non Laërtiaden, exitium tuae
Genti, non Pylium Nestora respicis?

Od. XV. v. 20. *Cultus* C. v. 21. *excidium* C. v. 22. *Gentis* C.

δίτης, Ἥ τε κόμη, τό τε εἶδος, ὅτ' ἐν κονίῃσι μιγείης.

14. *feminis*] Contemptim: «feminae, non bellatores, cantu delectantur.»

15. *imbelli*] Cfr. Od. 1, 6, 10. — *dividēs*] «Cantus vocalis et citharae soni inter se coniuncti totam efficiunt symphoniam; iam singulatim spectatis his partibus, *dividit* citharae cantus, *dividit* citharae sonos, id est, altera utra dimidia totius symphoniae pars est.»

16. *thalamo*] Rursus contemptim de homine effeminato illic cum adultera se abscondente. Venus ad Paridem Iliad. γ, 384: ἐκάλυψε δ' ἄρ' ἠέρι πολλῇ Κὰδ δ' εἷσ' ἐν θαλαμῳ εὐώδεϊ, κηώεντι. — *graves*] ponderosas; hoc magis poëticum est, quam ut alii exponunt, «exitiosas, mortem afferentes.»

17. Harundo Cretensis, ex qua sagittas faciebant, perquam erat dura, nodis longe inter se distantibus. — *spicula*] apud poëtas sagittae. Virg. Ecl. 10, 59: *libet Partho torquere Cydonia cornu spicula.* — In nummis est *KNΩΣIΩN*, unde praestare videtur scriptura *Cnosii*; al. *Gnosii*.

18. *celerem sequi*] Iliad. β, 527.: Οἰλῆος ταχὺς Αἴας. Nihilominus Telamonis filium hic significari puto, ut huic tribuerit, quod apud Homerum est Oilei F.

19. *serus*] Adiectiva temporalia saepe pro adverbiis. Iliad. α, 424: χθιζὸς ἔβην. Epod. 16, 51: *vespertinus ursus.* Epp. 2, 1, 161: *Serus enim Graecis admovit acumina chartis.* «Tamen aliquando (decem post annos), adulter, occides.»

20. *crines*] Hanc lectionem praefero alteri *cultus*, et propter locum Homericum supra exscriptum, et propter Codd. antiquiss. auctoritatem. Similiter Pind. Nem. α, 104: φαιδίμαν γαίᾳ πεφύρσεσθαι κόμαν. Virg. Aen. 12, 99: *Da sternere corpus, Semiviri Phrygis et foedare in pulvere crines.*

21. *genti*] exquisitius quam *gen-*

Urgent impavidi te Salaminius
Teucer et Sthenelus sciens
Pugnae, sive opus est imperitare equis,
Non auriga piger. Merionen quoque
Nosces. Ecce furit te reperire atrox
Tydides melior patre;
Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuae.
Iracunda diem proferet Ilio
Matronisque Phrygum classis Achilleï;
Post certas hiemes uret Achaïcus
Ignis Iliacas domos.

v. 24. *Teucerque et* B. *Teucer te* Lamb. v. 35. *Pergamcas* plerique ex incerto Glareani testimonio.

*tis*. Sic Tragicus apud Cic. de Divin. 1, 21: *Eum* (Paridem) *esse exitium Troiae, pestem Pergamo.*

24. *Teucer et*] H. l. et v. 36. in basi est trochaeus pro solito spondeo; quod non solum defenditur Graecorum poëtarum more, sed etiam, quod utrobique licentia hac usus est in nominibus propriis. — *Sthenelus*] Capanei filius, auriga Diomedis.

26. *Merionen*] Iliad. ϒ, 263: ὀπάων Ἰδομενῆος, Μηριόνης, ἀτάλαντος Ἐνυαλίῳ ἀνδρειφόντῃ.

27. *furit te reperire*] Sic scil. iungendum, non *atrox reperire*. Iliad. ν, 182: μεμαὼς ἀπὸ τεύχεα δῦσαι. Eurip. Phoeniss. 1247: μαργῶντ' ἐπ' ἀλλήλοισιν ἴέναι δόρυ. Theocrit. in Adonid. 30: γυμνὸν τὸν εἶχε μηρὸν Ἐμαινόμαν φιλᾶσαι, in quibus v. *furere* summum cupiendi gradum exprimit. — *atrox*] ἄγριον αἰχμήτην eum vocat Hector Il. ζ, 97.

28. *melior, fortior, patre*] Iliad. δ, 405. Sthenelus: ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι.

29. «Ut cervus pascuo celeriter relicto fugit, ubi vel in opposita vallis parte lupum conspexit.»

30. Virg, Ecl. 8, 2: *immemor herbarum — iuvenca.*

31. *sublimi*] μετεώρῳ. «Qui in praecipiti fuga anhelat in altum erecta cervice et ore sublato ad spiritum captandum.» Stat, Theb. 11, 239: *Nuntius exanimi suspensus pectora cursu.*

32. *tuae*] Amaro probro: «longe alia facinora pollicitus eras adulte-

# ODE XVI.

## PALINODIA.

O matre pulchra filia pulchrior,
Quem criminosis cunque voles modum
Pones iambis sive flamma
Sive mari libet Hadriano.

Non Dindymene, non adytis quatit 5

Od. XVI. v. 3. *Si* Bc.

rae tuae.» Iliad. γ, 430: ἦ μὲν δὴ πρίν γ' εὖχε' Ἀρηϊφίλου Μενελάου Σῇ τε βίῃ καὶ χεροὶ καὶ ἔγχεϊ φέρτερος εἶναι.

33. «Ira quidem Achillis propter Briseidem ab Agamemnone sibi ereptam in causa erit, ut retardetur aliquantum Troiae dies fatalis, ultimus; verumtamen post annorum numerum a fato destinatum comburetur.»

34. *Achillei*] ut *Ulixei* a forma *Achilleus*.

XVI. Amicam Archilochiis iambis a se offensam, erratum confessus, reconciliare sibi studet. (a. u. c. 726?)

2. *criminosis*] ὑβριστῆρας ἰάμβους Archilochi vocat Meleager Ep. 119, 7. Art. poët. 79: *Archilochum proprio rabies armavit iambo.* Ceterum cum totum argumentum fictum esse videatur, hos quoque iambos centumeliosos nunquam ab Horatio scriptos esse consentaneum est. Frustra certe eos quaeres in Epodis. — *modum*] finem; nam quibus rebus modus ponitur, ut irae, luctui, amori, desiderio (Od. 1, 24, 1.), eae simul finiuntur. Hanc rationem volgarem «felici audacia» transtulit etiam ad carmina iam exstantia. «Abole illos, ut voles, sive cremando sive in mare deliciendo.»

4. *Hadriano*] Haec forma proprie de incolis Hadriae oppidi usurpatur. *Hadriaticum* autem mare non nominat tamquam ceteris impetuosius, sed ut Od. 1, 1, 14. 15. *Myrtoum* et *Icarium*; Od. 1, 26, 15. *Creticum*, ex poëtarum more, ut certi alicuius maris imaginem nobis ante oculos ponat. Cfr. Tibull. 1, 9, 49.

5. *Dindymene*] Cybele s. Rhea

Mentem sacerdotum incola Pythius,
Non Liber aeque, non acuta
Sic geminant Corybantes aera,

Tristes ut irae, quas neque Noricus
Deterret ensis nec mare naufragum
Nec saevus ignis nec tremendo
Iuppiter ipse ruens tumultu.

Fertur Prometheus, addere principi
Limo coactus particulam undique
Desectam, et insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.

a Dindymo, Phrygiae monte prope Pessinuntem, ubi potissimum colebatur. — *Non - adytis*] Caesar B. C. 3, 103: *Pergami in occultis ac remotis templi, quo praeter sacerdotes adire fas non est, quae Graeci ἄδυτα appellant, tympana sonuerunt.*

6. «Apollo, adyti Delphici et Deliaci incola, divino afflatu concitat ὑποφητῶν suorum mentem.»

7. «Non aequo furore stimulantur Galli Cybeles, Bacchae Liberi, Pythia ac Sibylla Apollinis instinctu, nec pari mentis tumultu agitati Corybantes, Cybeles ministri, in choreis suis cymbala ferratis ictibus pulsant, ut ira abrepti nos exagitari ac furere solemus, omne terriculum spernentes.» Ita si locum interpretamur, quattuor vehementissimi, utpote fanatici, furoris exempla proponuntur. Bentleii vero coniectura *si geminant*, id est, «cum geminant», poëticam loci vim admodum debilitat.

8. *Noricum* ferrum, quod erat praestantissimum, rursus, ut *mare Hadrianum*, poetice pro quovis ferro.

10. *deterret*] a violentis facinoribus. — *naufragum*] Sic Virg. Aen. 3, 553: *navifragum Scylaceum.*

11. *ignis*] non de fulmine accipiendum, sed dictum est ut Epp. 1, 1, 46.

12. "Ζεὺς καταιβάτης pertonitruum fragorem in terras irruens, impetuose descendens.» Cfr. Epod. 13, 2.

13. Construunt nonnulli: «*Prometheus coactus* (necessitate) *fertur addere* cet. *et* (atque) *apposuisse*»: cet. ut est Od. 3, 20, 11: *posuisse fertur et recreare.*' Prop. 3, 14, 19. Sed praestat sic: «*Prometheus addere coactus* cet., *fertur* et (etiam) *apposuisse.*» Cum in reliqua animalia vel ipse vel Epimetheus consumpsisset creandi elementa, necesse habuit *undique*, id est, ex omnibus animalium generibus denuo *particulam* hanc vel il-

Irae Thyesten exitio gravi
Stravere et altis urbibus ultimae
Stetere causae, cur perirent
Funditus imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.
Compesce mentem; me quoque pectoris
Tentavit in dulci iuventa
Fervor et in celeres Iambos
Misit furentem. Nunc ego mitibus
Mutare quaero tristia, dum mihi
Fias recantatis amica
Opprobriis animumque reddas.

lam sumere, quo homo perfectus evaderet et exemplari, quod fictori ante oculos versabatur, responderet. — *principi limo*] «ex quo primum hominem finxit.»

16. *stomacho*] Aliis cor (Theogn. 156: δειλῶν τοι τελέθει ὀξυτέρη καρδίη mox v. 22; *pectoris fervor*:) aliis ieeur, h. l. stomachus sedes irae, ut Od. 1, 6, 6: *gravem Pelidae stomachum*; unde *stomachari*. Ceterum haec stropha callidam continet irae, in quam proruperat Horatius, excusationem, quippe quae humanae naturae congenita et insita sit.

17. Irae inter Thyestem et Atreum, qui fratri filios epulandos apposuit.

18. *ultimae*] ab ultimo initio repetitae, et propterea praecipuae. — *stetere*] exstitere, Virg. Aen. 7, 735: *stant belli causae*.

21. *aratrum*] Isidor. Origg. 15, 2: *Urbs aratro conditur, aratro vertitur*. Vetustissimum autem est eversionis symbolum etiam apud Orientales. Ieremiae 26, 8: Σιὼν ὡς ἀγρὸς ἀροτριαθήσεται. Prop. 3, 9, 41: *Moenia cum Graio Neptunia pressit aratro Victor Palladiae ligneus artis equus*. — *insolens*] Epod. 16, 14.

22. *Compesce mentem*] «Coërce, rege animum, θυμόν, μέγος.» Theogn. 355: ἴσχε νόον.

23. *tentavit*] tentamur, ut morbo (Epp. 1, 6, 28.) sic h. l. animi perturbatione.

24. *celeres*] A. P. 251. *iambus, Pes citus*.

25. *misit*] "incitavit ad iambos componendos." — «Nunc studeo *tristia*, nimis amara atque aspera relinquere, mitia autem persequi et amplecti.»

26. «Dummodo mecum te reconcilies, benevolentiam tuam mihi restituas, retractatis iam a me opprobriis.»

# ODE XVII.

## AD TYNDARIDEM.

Velox amoenum saepe Lucretilem
Mutat Lycaeo Faunus et igneam
Defendit aestatem capellis
Usque meis pluviosque ventos.
Impune tutum per nemus arbutos
Quaerunt latentes et thyma deviae

Od. XVII. v. 5. *totum* B.

**XVII.** Amicam in Sabinum suum invitat. (A. u. c. 727?)

1. *Faunus*, Latinorum priscorum deus silvestris, oracula fundens, Horatio idem est cum Graecorum Pane, ut Ovid. Fast. 2, 424: *Faunus in Arcadia templa Lycaeus habet.* Itaque ex Lycaeo (Schol. ad Theocr. 1, 123: ὄρος τῆς Ἀρκαδίας κληθὲν ἀπὸ Λυκάονος τοῦ Πελάσγου, ἐν ᾧ μαντεῖον Πανός·) saepe migrat in Lucretilem, Sabinorum montem, villae Horatianae vicinum, hodie *Monte Gennaro.* Pan autem ὀρειβάτης, *montivagus.* Ovid. Fast. 2, 285. de eodem: *Ipse deus velox discurrere gaudet in altis Montibus.*

2. Ex nostrarum linguarum ratione *mutamus* eum tantummodo locum, quem relinquimus, cum eo, quo proficiscimur; Latini de utroque v. *mutare* usurpant. Hinc iam Priscianus 18. T. 2. p. 192. Kr. explicat: «pro: Lycaeum mutat Lucretili.»

3. *defendit*] propulsat, arcet, ut Virg. Ecl. 7, 47: *solstitium pecori defendite.* Reperitur hic usus etiam in pedestri oratione. Cic. Cat. 15: *nimios solis defendit ardores.* Sic ἀμύνειν cet.

4. *Usque* apud poëtas pro v. *semper*, proprie usque ad terminum infinitum.

5. "Cum Fauni praesentia *tutum* sit nemus, *impune*, sine ullo periculo illud peragrantur *deviae*, saepe, ut solent, a tramitibus deerrantes caprae." — *Impune tutum*] Haec cumulatio summam gregis securitatem exprimit. Pedestrem orationem redolet *totum nemus.* — *arbutos latentes*] inter alias arbores picei generis, cupressos, taxos, quas caprae respuunt, dispersae.

7. *uxores*] Theocr. 8, 49: ὦ τράγε, τᾶν λευκᾶν αἰγᾶν ἄνερ.

Olentis uxores mariti,
Nec virides metuunt colubras
Nec Martiales haeduleae lupos;
Utcunque dulci, Tyndari, fistula
Valles et Usticae cubantis
Levia personuere saxa.

Di me tuentur, dis pietas mea
Et Musa cordi est. Hic tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.

Hic in reducta valle Caniculae
Vitabis aestus et fide Teïa

v. 9. *haeduleae* Bc. *haediliae* vel *haedilia* Libri. v. 14. *Hinc* C.

Virg. Ecl. 7, 7: *Vir gregis ipse caper.* — In v. *olentis* recentiores interpretes fere offendunt; ex Horatii vero iudicio, in quo facile acquiescere possumus, nihil habebat inepti aut molesti. Scil. est verbum medium omnes et gratos et foetidos odores significans.

9. *martiales*] Ut ceteri di suum quisque habent inter animalia famulum, ministrum, sic Mars lupum. Virg. Aen. 9, 566: *Martius lupus.*

10. *utcunque*] quandocunque, simul ac Fauni *fistula*, σύριγγι cet.

11. *Ustica* vallis prope Horatii Sabinum. Montem et vallem facit Acron. — *cubantis*] Theocr. 13, 40: ἡμένῳ ἐν χώρῳ.

12. *levia*] Non tam aquarum cursu attrita et levigata, quam natura λεῖα, ut sunt rupes calcareae.

14. *Hic* requiritur et propter seq. ἀναφορὰν et quia accuratius significat, «in ipso Sabino his naturae muneribus usuram esse Tyndaridem.»

15. *ad plenum*] affatim, ubertim, *zur Fülle.* Virg. Ge. 2, 444: *ager et undae — ad plenum calcentur.*

16. *Ruris honorum*] Sunt flores, poma, fruges, denique omnia, quibus rus *honestatur*, ornatur. Sat. 2, 5, 12. Epod. 11, 9. — *cornu*] «Cornu Fortunae, quod Hercules detractum Acheloo victor dicitur donasse Fortunae, quod volgo *cornu copiae*, quo dicitur divitias Fortuna consuesse largiri. SCHOL. CRUQ. (Graecis κέρας Ἀμαλθείας.)

17. *reducta valle*] convalle inter montes se retrahente, sinuosa, flexuosa. Epod. 2, 1. 1. — *fide*] lyra *Teia*, a Teo, Ioniae urbe; carminibus et modis, qui Anacreonteis sint similes.

Dices laborantes in uno
Penelopen vitreamque Circen.
Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbra; nec Semeleius
Cum Marte confundet Thyoneus
Proelia, nec metues protervum
Suspecta Cyrum, ne male dispari
Incontinentes iniiciat manus
Et scindat haerentem coronam
Crinibus immeritamque vestem.

v. 19. *Disces* C.

20. *vitream*] quippe quae nympha marina, certe insulam habitans, ab aquae colore *ὑαλίνῳ*, caeruleo. Od. 4, 2, 3.

21. *innocentis*] "lenis et caput minime laedentis." *Λέσβιον οἰνάριον* vocavit Alexis comicus apud Athen. 1, 22. et Eubulus ibid. *Λέσβιον γέροντα νεκταροσταγῆ.*

22. *duces*] Propert. 2, 9, 21: *multo duxistis pocula risu.* Epod. 14, 4: *Pocula — si traxerim.* Eurip. in Cycl. 417: *ἔσπασεν τ' ἄμυστιν ἑλκύσας.* Etiam in prosa orat. Cic. Tusc. 1, 40: *venenum obducere.* — «Nec a poculis, rixis incalescentibus ad ferrum et sanguinem venietur.» Iunguntur duo *μητρωνυμικά*, Apollod. 3, 3: *ὁ Διόνυσος ἀναγαγὼν ἐξ ᾅδου τὴν μητέρα καὶ προσαγορεύσας Θυώνην. μετ' αὐτῆς εἰς οὐρανὸν ἀνῆλθεν.* — Ut dicunt *miscere proelia*, sic h. l. *confundere*, et *παροινίας* confert proelio inter Bacchum et Martem orto.

24. *nec metues*] «Hic mecum degens tuta eris a Cyro, importuno illo amatore, qui in Urbe te persequi solet.»

25. *Suspecta*] «Cyro, suspicanti alium a te amari.» Pro *suspicaci* apud posteriores tantum aliquoties reperitur. — *male dispari*] Epp. 1, 3, 31: *male laxus calceus.* Catull. 10, 3, 3: *insulsa male et molesta.* Tibull. 4, 10, 2: *male inepta*, ubi, ut h. l., est homonymum vv. «valde, admodum,» cum vocabulo ingratae qualitatis. Est igitur «viribus longe inferiori»; non: «in amore non consentienti.»

26. *Incontinentes*] non tam de libidine interpretor, quam de iracundia et *παροινίᾳ*. Cfr. Tibull. 1, 10, 53: *dementes manus.* — *iniiciat manus*] intentet manus; pulsatio amicarum, ut iam vidimus Od. 1, 13, 9., a moribus iuvenum Romanorum minime abhorrebat. Propert. 2, 5, 21. Ovid. Am. 1, 7, 3.

27. *haerentem*] impositam et fasciola, ne decidat, alligatam.

28. *vestem*] Tibull. 1, 10, 61:

# ODE XVIII.

## AD QUINTILIUM VARUM.

**Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem**
**Circa mite solum Tiburis et moenia Catili.**
**Siccis omnia nam dura deus proposuit neque**
**Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.**

*Si satis e membris tenuem discindere vestem. Immeritam* autem, ut Sat. 2, 3, 7: *paries immeritus.* Est ergo: «Quae nihil commisit, cur discinderetur.»

XVIII. Alcaei carmen, cuius primus versus superest (Fragm. 30: *Μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλω·*) imitatus eiusque vel metrum servans, novus tamen in eo est, quod Varum appellat Tiburisque meminit; rebus igitur praesentibus et Romanis antiquum Graecum exemplar popularium suorum mentibus veluti appropinquat. (a. u. c. 726?) «Videtur esse *Quintilius*, quem Scholl. Horat. et Serv. ad Virg. Ecl. 5, 20. *Varum* appellant. Fuit is Virgilii et Horatii amicus, et acutus severusque carminum iudex (A. P. 438.), quem a. 730. mortuum Horat. Od. 1, 24. deflet. Idem haud dubie est, qui Epod. 5. commemoratur.» IAHN.

1. *sacra vite*] Sic iam Ennius in Athamante Ed. Columnae Neap. p. 405: *Lyaeus vitis inventor sacrae*, propter vini libationes in re divina facienda. — *Serere* de vitium plantatione verbum proprium.

2. *Catili*] Solinus c. 2: *Tibur, sicut Cato facit testimonium, a Catillo Arcade, praefecto classis Euandri, sicut Sextius, ab Argiva iuventute. Catillus enim, Amphiarai filius, post prodigialem patris apud Thebas interitum Oeclei avi iussu, cum omni fetu ver sacrum missus tres liberos in Italia procreavit, Tiburtum, Coram, Catillum, qui depulsis ex oppido incolis veteribus Sicanis, a nomine Tiburti fratris natu maximi urbem vocaverunt. Tibur* igitur *et moenia Catili*, est: «Tibur, quod oppidum Catillus condidit.» In Tiburis igitur solo fertili et aëris temperie grato fundum habebat Varus.

3. *Siccis*] sobriis, abstemiis. — *dura*] «operosa reddidit, constituit, ut, quicquid incipiant, minime procedat.» Od. 3, 21, 13.

4. *mordaces*] *δακέθυμοι*, *θυμοβόροι μελεδῶνες*, quae et animum rodunt et corpus enecant. Od. 2, 11, 17.

Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat? 5
Quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Venus?
At, ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero

Debellata, monet Sithoniis non levis Evius,
Cum fas atque nefas exiguo fine libidinum 10
Discernunt avidi. Non ego te, candide Bassareu,
Invitum quatiam nec variis obsita frondibus

Sub divum rapiam. Saeva tene cum Berecyntio
Cornu tympana, quae subsequitur caecus amor sui,

Od. XVIII. v. 7. *Ac ne* C. *super merum* Oudendorp.

5. «Quis bene potus militiae aut paupertatis incommoda in ore habet ac propterea queritur?» Ex v. autem *crepat* (Epp. 1, 7, 84: *vineta crepat mera:*) ad seq. vers. quivis cogitatione supplebit: «Bacchum et *decentem* (*χαρίεσσαν*, amabilem) Venerem in ore habet atque assiduis laudibus praedicat.»

7. *modici*] modum amantis, verecundi, ut vocatur Od. 1, 27, 3. — *transiliat*] «aviditati cedens omnem in bibendo excedat modum.»

8. Pugna orta inter Lapithas et Centauros in nuptiis Pirithoi, regis Lapitharum, cum Hippodamia, quam Eurytus, alias mulieres alii Centauri rapere conati erant; Centaurorum autem magna strages edita. Odyss. *φ*, 295. Ovid. Met. 12, 169.

9. *debellata*] armis diiudicata. — *Sithoniis*] populus Thracicus ad Salmydessum fl. Thracum autem compotationes non nisi caedibus finiri solebant (Od. 1, 27, 1.), quas poenas a Baccho iis *non levi*, immiti, irato impositas esse volt. — *Evius* ab acclamatione *εὐοῖ, εὐάν*.

10. *exiguo fine*] «illo pertenui discrimine, quod inter fas et nefas statuere, servare solent libidines, quae saepenumero prorsus confundunt ac miscent utrumque.» *Avidi* autem absolute ut saepe.

11. *candide*] Ovid. Fast. 3, 772: *Candida formosi venerabimur ora Lyaei.* Est «pulchritudine splendens, formosus», non «simplex et apertus.» Cfr. Virg. Ge. 2, 392. — *Bassareu*] *βασσαρὶς*, pellis volpina, a *βάσσαρα*, quae Thracibus volpes. Alibi Bacchae, quae itidem *Βάσσαραι* (Orph. Hymn. 44, 2.), gestant *νεβρίδας*.

12. *quatiam*] *κινήσω, οὐ σοῦ ἄκοντος βασσαρήσω*. «Non invito te, leges tuas sacratas violans, orgia tua celebrabo nec sacrilego conatu arcana tua in cistis my-

Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem, 15
Arcanique fides prodiga perlucidior vitro.

# ODE XIX.

## DE GLYCERA.

Mater saeva Cupidinum
Thebanaeque iubet me Semeles puer

sticis reposita et *variis* (*ποικίλοις*), omnis generis frondibus, pampinis maxime atque hedera involuta, ex iis promam et *sub divum*, caelum apertum, in profanorum etiam conspectum protraham.»

13. *saeva*] propter terribilem sonum. Virg. Aen. 9, 651: *saeva sonoribus arma.* — *tene*] Sensus est: «Sed tu quoque, Liber, contine, cohibe, tempera cornuum strepitum» cet., id est, «noli nimis mentem nostram concitare, ne in furorem acti, in eos errores incidamus, quos statim enumerat, *φιλαυτίαν*, *gloriam*, iactantiam, *ἀπιστίαν*.» — *Berecyntio*] A Berecynto, Phrygiae monte, ubi Cybeles sacra eodem quo Bacchi orgia furore peragi solebant.

15. *vacuum*] caput inane, vanum. Loquitur ergo de vana hominum volgarium iactantia, qui frustra de suis meritis gloriantur. — *plus nimio*] plus aequo, *ὑπερφάγαν*. Erat etiam sermonis cotidiani. Antonius ad Cic. Ep. post Ep. 8. Lib. 10. ad Att.: *nimio plus te diligo*.

16. «Ebrietas efficit, ut arcana fidei nostrae commissa *prodigamus*, imprudenter prodamus et cum primo quoque communicemus.» Fides prius, ante vina, servata, cum effutit arcana, fides esse desinit. Od. 3, 24, 59: *fides peritura* scil. facta. — *perlucidior*] «Vino succumbentes pectus sic aperimus, ut, quaecunque in eo latent, convivarum oculis pateflant. Notanda caesura in voc. composito.

XIX. Finitos cum crederet amores, amore Glycerae denuo captum se profitetur. (a. u. c. 730?)

1. *saeva*] propter violentiam, quam in miseros amantes exercet. Hunc versiculum hoc ipsum carmen significaturus consulto repetiit Od. 4, 1, 5. — *Cupidinum*] Recentiores poëtae, amorum varietatem respiciéntes, multos Cupi-

Et lasciva Licentia
Finitis animum reddere amoribus.

Urit me Glycerae nitor
Splendentis Pario marmore purius;
Urit grata protervitas
Et voltus nimium lubricus adspici.

In me tota ruens Venus
Cyprum deseruit, nec patitur Scythas
Et versis animosum equis
Parthum dicere nec quae nihil attinent.

Hic vivum mihi cespitem, hic
Verbenas, pueri, ponite turaque

dines Veneris comitatui adiungunt. Cfr. Propert. 2, 29, 1. Claudian. Nupt. Hon. 72. Bacchus autem saepe Veneris et Amoris comes ac sodalis. — *Licentia*] Est Τβρις dea. Cic. de Legg. 2, 17. τροπικῶς: (a Clodio) *in meorum Larium sedibus exaedificatum templum Licentiae.*

4. *Finitis*] Satis iocose, cum iuvenis etiamtunc esset, semel, ut ait, sibi proposuerat renuntiare amori, in quem statim relabitur. — *animum reddere*] «denuo dedere me amori, quem iam excussum arbitrabar.»

7. *protervitas*] iocosa petulantia, quae tantum abest, ut offendat, ut alliciat amatorem.

8. *lubricus adspici*] «Veluti in via lubrica pes labitur, ita in eius voltu propter nimias illecebras oculi tuto figi vix possunt; sed in eo aspiciendo propter hoc ipsum periculum est, ne amoris igne flagres.»

10. Alcman Fr. 33. W.: Κύπρον ἱμερτὰν λιποῖσα καὶ Πάφον περιῤῥύταν. — «Amore abreptus et Veneris veluti praeda nequeo carmine dicere Scythas incursiones semper in nos facientes et semper repulsos, nec Parthos eo ipso animosos, quod callida fuga hostem eludunt denuoque aggrediuntur»; tum παρὰ προσδοκίαν *nec quae nihil attinent* ad me amoresque meos, quasi cetera omnia merae sint nugae.

11. *versis equis*] Virg. Georg. 3, 31: *Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis.*

13. *vivum cespitem*] virentem et nunc ipsum dolabra recisum ab humi superficie, ex quo saepe temporarias struebant aras.

Bimi cum patera meri:
Mactata veniet lenior hostia.

# ODE XX.

## AD MAECENATEM.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Graeca quod ego ipse testa
Conditum levi, datus in theatro
Cum tibi plausus,

14. *Verbenae*, pontificum sermone *sagmina*, herbae purae ex loco sancto arcessitae, ut ait Festus.

16. «Post rem divinam rite factam mitior huc ad me veniet Venus», non, ut alii volunt, Glycera.

XX. Maecenatem suum ad convivium minime sumptuosum invitat. (a. u. c. 735.)

1. *Vile*] Modeste simul et iocose loquitur de Sabino nequaquam comparando cum Caecubo cet. v. 9. Erat πάντων κουφότερον, teste Athenaeo I. p. 27., crudum austerumque. Plin. H. N. 14, 2. — *modicis*] parvis (ut Sat. 1, 5, 2: hospitio *modico*. Epp. 1, 5, 2. *modica patella*) «quippe cum ab tenui mea domo absit omnis profusio.»

2. *Cantharis*] poculi genus erat ansatum, sic nominatum a figulo inventore. Virg. Ecl. 6, 17: *attrita pendebat cantharus ansa*. Huiusce modi poculis maioribus in laetis occasionibus utebantur. — *Graeca testa*] amphora vino Graeco prius imbuta, quo aliquanto melius fieret Sabinum. — *ego ipse*] «non per pueruum aliquem meum, sed summa cum cura, quia tibi destinaram.»

3. *levi*] Oblinere solebant corticem in collo amphorarum pice et gypso. Od. 3, 8, 9. «*Levi* igitur ego, summa laetitia elatus, cum plausu exceptus esses in theatro; (ut Od. 2, 17, 25.) «iam tum hoc vinum tibi tacite pollicitus, ubi aliquando meus conviva esse velles.»

Care Maecenas eques, ut paterni
Fluminis ripae, simul et iocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.

Caecubum et praelo domitam Caleno
Tu bibes uvam; mea nec Falernae
Temperant vites neque Formiani
Pocula colles.

Od. XX. v. 5. *Clare* B.

5. *Care*] In tali odario familiaris ac blanda allocutio unice apta, ut Od. 2, 20, 7: *Dilecte Maecenas*, Epod. 1, 2: *Amice Maecenas;* non *clare*. — *eques*] «Qui equestri ordine contentus, nunquam inhiasti honoribus, quibus tamen, si cupe-res, te libenter extolleret Caesar.» Vellei. 2, 88: *vixit angusti clavi fine contentus*. — *paterni*] Tiberis ab Etruria urbem influit. *Tuscum alveum* vocat Od. 3, 7, 28. Cilnia autem gens ex Arretio, Etruriae oppido. Od. 1, 1, 1.

7. *Vaticani*] Echo ad Ianiculum, collis Vaticani partem, quae e regione erat theatri Pompeii lapidei in Campo Florae, medio inter utrumque Tiberi.

8. *imago*] ut Od. 1, 12, 3: *iocosa imago*, neutro loco addito *vocis*, ut Virg. Ge. 4, 50: *vocisque offensa resultat imago*.

9. *domitam*] in prosa orat. «pressam.»

10. *tu bibes*] «Domi tuae et alibi generosiora utique vina quam apud me bibes», ut ex *Caecubo* agro Latii iuxta Fundos ad viam Appiam. — *Cales* Campaniae oppidum, ager *Falernus* item in Campania ad radices Massici montis, *Formiae* Latii municipium in Auruncis prope Caietam.

11. *temperant*] «producunt vinum, quod meis in poculis cum aqua *temperetur*, misceatur.»

# ODE XXI.

## IN DIANAM ET APOLLINEM.

Dianam tenerae dicite virgines,
Intonsum, pueri, dicite Cynthium
Latonamque supremo
Dilectam penitus Iovi.

Vos lactam fluviis et nemorum coma, 5
Quaecunque aut gelido prominet Algido,

Od. XXI, v. 5. *comam* G.

XXI. Carmen *ἀποτρόπαιον*, averruncandis civitatis calamitatibus destinatum, compositum, ut videtur, post famem ac pestilentiam a. u. c. 731. et 732. Dio Cass. 53, 33. 54, 1.

1. *dicite*] Sic saepe Latini, ubi recentiores linguae requirunt *canere, praedicare, laudibus extollere*. Sol et Luna mortalibus *σωτῆρες*, *ἀλεξίκακοι*.

2. *Intonsum*] *ἀκερσεκόμην*. Epod. 15, 9. Tibull. 1, 4, 37: *Solis aeterna est Phoebo Bacchoque iuventa: Nam decet intonsus crinis utrumque deum.* — *Cynthus*, Deli mons.

3. *supremo*] Ex formularum usu. Pind. Nem. 1, 90: *Διὸς ὕψιστον προφάταν*. Terent. Adelph. 2, 1, 42: *Pro supreme Iuppiter!*

4. *penitus*] *κηρόθι*, intimis sensibus.

5. Dianam, quae fluviis delectatur et nemoribus. Catull. 34, 9. — *coma*] Odyss. *ψ*, 195: *ἀπέκοψα κόμην τανυφύλλου ἐλαίης*. frequens apud antiquos de arboribus tropus.

6. «Quod *nemus* (pars silvae amoenior cum pascuis) *prominet*, est in iugo aliquo editiore montium, quos nominat, et propterea late conspicitur.» Cfr. Virg. Aen. 1, 164. Ovid. Met. 1, 568. A. A. 3, 689. — *Algidus*] mons Latii inter Tusculum et montem Albanum, quem *Diana tenet* (Carm. sec. 69.), hodie *Monte Compatri*. *Nivalem* vocat Od. 3, 23, 9.

Nigris aut Erymanthi
Silvis aut viridis Cragi;

Vos Tempe totidem tollite laudibus
Natalemque, mares, Delon Apollinis,
Insignemque pharetra
Fraternaque humerum lyra.

Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
Pestemque a populo et principe Caesare in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

v. 13. *Haec bellum* B. susp. v. 14. *a populo, principe* Scaliger.

7. *nigris*] umbrosis. Od. 4, 4, 58: *nigrae feraci frondis in Algido.* — *Erymanthus* mons Arcadiae, ubi venatur. Odyss. ζ, 102.

8. *Cragus*, Lyciae mons, in quo θεῶν ἀγρίων ἄντρα. Stephanus in v.

9. *Tempe*] amoenissima convallis inter Olympum et Ossam. Aelian. V. H. 3, 1.

11. *insignem*] Construe: *Laudate Apollinem insignem humerum* (accusativo Graeco), non vero: *humerum insignem Apollinis.*

12. *fraterna*] quam a fratre Mercurio, illius inventore, dono accepit.

13. *lacrimosum*] Iliad. ε, 737: ἐς πόλεμον - δακρυόεντα.

14. *et principe*] Scaliger delendum censuit *et*, ut sit non tam «dum Caesar est princeps», quam: «propterea quod princeps est Caesar»; suntque similia Epp. 2, 1, 156: *Et formidatam Parthis te principe Romam.* Od. 3, 14, 14: *tenente Caesare terras.* Od. 4, 15, 17: *custode rerum Caesare.* Sed Codd. lectio teneriorem praebet sensum, quia Caesar ita cum populo Romano artissime coniungitur.

15. *Persas*] Parthos. — *Britannos*] Od. 1, 35, 29: *Serves iturum Caesarem in ultimos Orbis Britannos* (a. u. c. 727.) Utrumque populum ut hostes imperii Romani, non ut remotos dumtaxat hic quoque designare videtur.

# ODE XXII.

## AD ARISTIUM FUSCUM.

Integer vitae scelerisque purus
Non eget Mauris iaculis neque arcu
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra,

Sive per Syrtes iter aestuosas
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum vel quae loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Od. XXII. v. 2. *Mauri* C.

XXII. Securitatem poëtae nullius culpae sibi conscii et a diis vel inter maxima pericula benigne custoditi praedicat.

1. *Integer vitae*] Frequenter sic construunt poëtae. Sat. 2, 3, 220: *integer animi*. Ovid. Met. 9, 440: *integer aevi*. — *scelerisque purus*] Sic καθαρὸς ἀδικίας. Contra ex usu prosae orat. Sat. 2, 3, 213: *purum vitio cor*.

2. *Mauris*] Mauretanicis, ut Od. 3, 10, 18: *Mauris anguibus*. — *gravida*] plena. Cum abl. item Virg. Aen. 7, 507: *stipes gravidus nodis*; cum genit. Sil. 2, 220: *mollis apes gravidae*. Arma maxime formidolosa consulte memorat, Maurorum iacula et sagittas veneno viperino oblitas.

4. *Fusce*] Intimos animi sensus hac simplici allocutione cum carissimo amico communicat, de quo vide Sat. 1, 9, 61. Epp. 1, 10.

5. *Syrtes aestuosas*] Explico de ora litorali arenosa Syrtibus vicina, per quam aditus erat in nemus ac templum Iovis Ammonis, ut Virg. Aen. 5, 51: *Gaetulis agerem si Syrtibus exul*.

6. Aeschyl. Prom. 19: ἀκάνθωπον πάγον vocat.

7. 8. *Hydaspes*, Indiae fluvius inter Indum et Gangem, usque ad quem Alexander M. penetrarat. De eo multa *fabulosa* a poëtis narrabantur, ut auriferum gemmiferumque esse, praesertim in Dionysiacis; et tota India portentorum

Namque me silva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen et ultra
Terminum curis vagor expeditis,
Fugit inermem:

Quale portentum neque militaris
Daunias latis alit aesculetis,
Nec Iubae tellus generat, leonum
Arida nutrix.

Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura,
Quod latus mundi nebulae malusque
Iuppiter urget;

Pone sub curru nimium propinqui
Solis in terra domibus negata;

v. 11. *expeditus* C. v. 14. *Daunia in latis* B.

plena. — *lambit*] praeterlabitur et placide alluit.

9. *silva*] prope Sabinum suum. Od. 3, 16, 29. de eadem: *silvam iugerum paucorum.*

10. *Lalagen*] *Livia Lalage* reperta est in columbario Liviae Augustae apud Bianchini N. 139, quam nonnulli sine ulla causa pro Horatiana habuerunt. Frequens hoc libertinarum nomen a λαλαγέω.

11. *terminum*] fundi mei, intra quem a feris nihil metuendum erat. — *curis expeditis*] in pedestri oratione *curis expeditus*. Catull. 31, 7: *O quid solutis est beatius curis!*

13. *portentum*] πέλωρον, μέγα χρῆμα θηρός. Eurip. Hippol. 1214: κὔμ' ἐξέθηκε ταῦρον, ἄγριον τέρας. — *militaris*] quae milites generat strenues ac fortes.

14. *Daunias*] adiect., Daunias terra, pars Apuliae circa Garganum montem. («Daunia Apulia appellatur a Dauno Illyricae gentis claro viro, qui eam propter domesticam seditionem excedens patria occupavit. Festus.» Postea Diomedis socer factus est.) Sic semigraece *Ambracias*, *Caspias*, *Amazonias securis*, *Pelias hasta*, *Nasamonias Arpe* apud poëtas. — *Iubae tellus*] Mauretania et Numidia. Utrum intellexerit Iubam I. devictum ad Thapsum, an eius filium Iubam II., qui tunc regnabat, vix definiri potest.

Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

---

# ODE XXIII.

## AD CHLOEN.

Vitas hinnuleo me similis, Chloë,
Quaerenti pavidam montibus aviis
Matrem non sine vano
Aurarum et siluae metu.

Nam seu mobilibus veris inhorruit
Adventus foliis seu viridis rubum

Od. XXIII. v. 5. 6. *vepris - - Ad ventum* Bc.

16. *nutrix*] Iliad. Θ, 47: *Ἴδην - μητέρα θηρῶν.* Epigr. Anth. Pal. I. p. 201: *Μῆτερ ἐμὴ, γαίη Φρυγίων, θρέπτειρα λεόντων.*

17. *pigris*] «*ἀργοῖς*, nihil producentibus, adeo ut ne arbores quidem ibi proveniant, quae *recreari*, revirescere possint afflatu tepidarum primae aestatis aurarum.»

19. *latus*] mundi plagam, cui *malus Iuppiter*, caelum triste atque insalubre graviter incubat.

22. *domibus negata*] inhabitabili propter zonae torridae aestum.

23. *dulce ridentem*] Sic iam Catull. 51, 3: *Lesbiam dulce ridentem*, Graeco modo, ut Odyss. ξ, 465: *ἀπαλὰν γελάσαι.*

XXIII. 1. Anacr. Fr. 49. Bergk.: *Ἀγανῶς οἷά τε νεβρὸν νεοθηλέα Γαλαθηνὸν, ὅστ' ἐν ὕλης κεροέσσης Ἀπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἐπτοήθη.* — *hinnulei* cervarum, damarum, caprearum pulli.

4. *siluae*] trisyll. ut Epod. 13, 2. — *vano*] «sine ulla causa metuit hinnuleus aurarum per silvam *sonorem* (Virg. Ge. 3, 198.)»

5. *Veris adventus* eo significatur, quod Favonii, *veris comitis* (Od. 4, 12, 1.) flatu *inhorrescunt*, se subrigunt et tremunt folia novella. Volgaris esset constructio: «folia inhorrescunt, varie agitantur, auris vernis.» *foliis* est casus sextus.

Dimovere lacertae,
Et corde et genibus tremit.

Atqui non ego te tigris ut aspera
Gaetulusve leo frangere persequor:
Tandem desine matrem
Tempestiva sequi viro.

---

# ODE XXIV.

## AD VIRGILIUM.

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam cari capitis? Praecipe lugubres

7. *dimovere*] «rapide perlapsae sunt rubos.» Virg. Ecl. 2, 9.

10. Virg. Aen. 5, 351: *tergum Gaetuli immane leonis.* — *frangere*] Ferae primum cervices cervorum *frangunt*, deinde eos lacerant. Iliad. λ, 113: Ὣς δὲ λέων ἐλάφοιο ταχείης νήπια τέκνα Ῥηϊδίως ξυνέαξε λαβὼν κρατερῇσιν ὀδοῦσιν.

12. *tempestiva viro*] Virg. Aen. 7, 53: *Iam matura viro, plenis iam nubilis annis.*

XXIV. A. u. c. 730. De Quintilio Varo vide ad Od. 1, 18.

1. Pedestris orationis constructio haec esset: «Quis desiderii sit pudor, quis desiderio modus?» Iam utramque contraxit ut Martialis 8, 64: *Sit tandem pudor et modus rapinis.*

2. *praecipe*] «Doce me canere modos, dum tu eos praeis, praecinis.»

3. *Melpomene* alibi tragoediae, hic θρήνου, naeniae Musa. — *liquidam*] suaviter fluentem, puram et claram.

5. *Ergo*] Est admirationis cum maerore coniunctae exclamatio: «Fierine potest, ut» cet.

6. *Urget*] Virg. Aen. 10, 745: *Illi dura quies oculos et ferreus urget Somnus.* — *Pudor*] Ex Romanorum usu virtutes, comites quae fuerant Quintilii, numinum personas induunt. Sic *Αἰδὼς* dea Eurip. Fragm. Hippol. vel. 4. — *soror*] Cic. de Off. 2, 7: *Est enim fundamentum*

Cantus, Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.

Ergo Quintilium perpetuus sopor
Urget? cui Pudor et Iustitiae soror,
Incorrupta Fides nudaque Veritas
Quando ullum inveniet parem?

Multis ille bonis flebilis occidit,
Nulli flebilior quam tibi, Virgili.
Tu frustra pius heu non ita creditum
Poscis Quintilium deos.

Quodsi Threïcio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem,
Non vanae redeat sanguis imagini,
Quam virga semel horrida,

Od. XXIV. v. 13. *Quid si* C. v. 15. *Num* C.

*iustitiae fides*. Virtutes autem sorores iam Pindaro Olymp. 13, 6.

7. *nuda*] quia simplex et aperta.

11. «Tum, cum votis ac precibus Quintilium deorum fidei tamquam sacrum depositum concredebas (commendabas), non hoc exspectabas, ut tibi tam duro fato tam cito eriperetur; sed frustra pius fuisti neque nunc eum a diis reposcere tibi concessum est.» — Hactenus effuso luctui indulget poëta; sensim Virgilium consolari incipit a necessitate fortiter ferenda.

13. *Quodsi*] a Codd. satis firmatur, et unice rectum est; nam *Quid? si* cet. esset excitantis: «Quin pulsas lyram?» post quam adhortationem exspectares; «Fortasse amico vita redibit», neutiquam vero: *Non vanae* cet. — *moderari* h. l. ut Od. 4, 3, 17: *temperare strepitum testudinis*. — *fidem*] apud poëtas pro plurali.

15. *vanae imagini*] Recordare Homeri *νεκύων εἰδωλα καμόντων*. Virg. Aen. 6, 293: *ni docta comes tenues sine corpore vitas Admoneat volitare cava sub imagine formae.*

16. *virga*] *Mercurii ψυχοπομπεῖον*. Od. 1, 10, 18. Lucian. Catapl. 3: *πλησίον αὐτὸς οὗτος, ὡς ὁρᾷς, πολλοὺς τινας ἡμῖν ἄγων, μᾶλλον δὲ, ὥσπερ τι αἰπόλιον, ἀθρόους αὐτοὺς τῇ ῥάβδῳ σοβῶν.*

Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.
Durum: sed levius fit patientia,
Quidquid corrigere est nefas. 20

---

# ODE XXV.

## AD LYDIAM.

Parcius iunctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris iuvenes protervi

Od. XXV. v. 2. *Iactibus* C.

17. *Non lenis*] «nunquam exoratus, ut ruptis fati legibus reditum ex Orco, eius ianuam quasi reserans, cuiquam concedat.»

18. *Nigro*] Eadem constructione Tibull. 1, 1, 5: *me vitae traducat inerti;* in pedestri orat. "ad, in gregem nigrum umbrarum." — *corrigere*] «Ex animi nostra sententia in melius, ut nobis certe videtur, mutare fato sic iubente non licet.» — *nefas*] *ἀθέμιτον, ἀδύνατον.* Sophocl. Fragm. 521. Dind.: *ἀλγεινὰ, Πρόκνη, δῆλον· ἀλλ' ὅμως χρεὼν Τὰ θεῖα θνητοὺς ὄντας εὐπετῶς φέρειν.*

XXV. Lydiae, puellae olim nimis durae ac superbae, qualis propter senectutem paullatim obrepentem iuvenum contemptus mox eam mansurus sit, non sine amara irrisione praedicit. (a. u. c. 734?)

1. *iunctas*] valvas fenestrarum sera occlusas. Ovid. ex Pont. 3, 3, 3: *fenestrae bifores.*

2. *ictibus*] Volgo explicant de vectibus, quibus effringantur. Sed praestat, opinor, de lapidum iactibus explicare, cum vectibus et securibus potius ianuae expugnentur, (Od. 3, 26, 8. et Theocr. 2, 127.) nec facile illis attingi possint cubiculi fenestrae.

3. *amatque*] Virg. Aen. 5, 163: *Litus ama*, serva. «Aegre igitur ianua recedit a limine, obserata iam manet, quae ante *multum facilis*, te amatorum precibus cedente, libentissime et crebro aperiebatur.» *Facilis ianua* potius iungo quam *cardines facilis* accus. antiq. Cfr. Tibull. 1, 2, 7: *Ianua difficilis dominae.* Contra Iuven. 4, 63: *facili patuerunt cardine valvae.* —

Nec tibi somnos adimunt, amatque
Ianua limen,
Quae prius multum facilis movebat
Cardines. Audis minus et minus iam:
« Me tuo longas pereunte noctes,
Lydia, dormis? »
Invicem moechos anus arrogantes
Flebis in solo levis angiportu,
Thracio bacchante magis sub inter-
lunia vento;
Cum tibi flagrans amor et libido
Quae solet matres furiare equorum,
Saeviet circa iecur ulcerosum,
Non sine questu,

v. 5. *faciles* C. v. 7. *longam — noctem* Bc.

*multum facilis*] ut Sat. 1, 3, 57: *multum demissus homo*. Sat. 2, 3, 147: *medicus multum celer*.

7. *Me*] ut Od. 3, 10. παρακλαυσίθυρον s. cantilena est amatorum: «Dum ego, tuus qui sum, per longas noctes exclusus excrucior» cet.

9. «Ut antea dura eras, ita mox poenas insolentiae datura vicissim querere de moechorum te repellentium arrogantia, quando in solitario angiportu, contempta ab omnibus frustra captabis, qui te vetulam velit.»

10. *levis*] «nullo loco habita.» Seneca Herc. fur. 1308: *anima levis*, id est, vilis et abiecta. — *angiportus*, iter compendiarium in oppido. Festus. Alteram formam *angiportum*, i habet Terent. Eun. 5, 2, 6: *ego me in pedes, quantum queo, in angiportum quoddam desertum*. — «Flebis tum, cum aquilo vehementius etiam solito flat atque saevit spississimaeque sunt noctis tenebrae, utpote in interlunio», intermenstruo, μεσοσελήνῳ, biduo illo, quo in coitu solis luna non conspicitur. Veget. de Re mil. 5, 10: *Interluniorum dies tempestatibus plenos et navigantibus quam maxime metuendos non solum peritiae ratio, sed etiam volgi usus intelligit*.

14. *furiare*] in furorem adigere, ut Virg. Aen. 2, 407: *furiata mente Choroebus*. Virg. Ge. 3, 266: *Scilicet ante omnes furor est insignis equarum*.

15. *ulcerosum*] «tamquam ulceribus corrosum, misere exagitatum propter ardorem libidinis, cuius

Laeta quod pubes hedera virente
Gaudeat pulla magis atque myrto,
Aridas frondes hiemis sodali
Dedicet Hebro.

## ODE XXVI.

### AD AELIUM LAMIAM.

Musis amicus tristitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum

v. 20. *Euro* B. cum Aldo.

sedes est iecur.» Theocr. 11, 16. Id. 13, 71. Epp. 1, 18, 7.

18. *pulla*] «quae ex viridi colore nigrescit», non *novella*, ut Schol. Cruq. *Μυρσίνην μέλαιναν* et *λευκήν* distinguit etiam Dioscorides. «Iuventus», inquit, «ut coronas recentes hederae atque myrti praefert flaccescentibus, ita teneras puellas tibi iam vetulae.» Eadem allegoria Od. 4, 13. 9. *aridas quercus.*

20. *Hebrus*, fluvius Thraciae, terrae frigidissimae; iam cum circa Hebrum assidue moretur Hiems, ille huius *sodalis* appellatur, ut Claudianus Bell. Get. 339. Danubium et Rhenum *Boreae Martisque sodales* vocat, et Od. 3, 18, 6. *Veneris sodalis* est cratera. In flumen igitur coronas iam vietas et arefactas contemptim spargunt. — *dedicat*] iocose: «tamquam donum glaciali flumine dignum inutiles illas frondes ei tradit, immittit.» *Hebrus* ponitur pro fluvio quocunque frigido iam apud Alexandrinos. Theocr. 7, 111.

XXVI. «Musa, cui totus deditus res extra me positas nihil curo, celebra Lamiam meum!» (a. u. c. 731.) L. (non Q.) Aelius Lamia nobilissima gente ortus consul a. u. c. 756. Cfr. Od. 3, 17, 1. Epp. 1, 14, 6. Tacit. Ann. 6, 27., ubi ad ann. u. c. 786. eius mors refertur.

1. *amicus*] «Ego, cui favent quemque tuentur Musae, curas omnes longe a me pello.»

2. *protervis*] Epod. 16, 22. Similiter Lucret. 6, 110: *petulantibus Euris.* Virg. Aen. 1, 536: *procacibus Austris.*

3. *portare ventis*] Frequenter etiam apud Graecos. Apollon. Rh. 1, 1335: *ἀλλ' ἀνέμοισι δώομεν ἀμπλακίην.* Theocr. 22, 167. Tibull. 1, 5, 35: *nunc Eurusque Notusque Iactat odoratos vota per Armenios.*

Portare ventis, quis sub Arcto
Rex gelidae metuatur orae,

Quid Tiridaten terreat, unice
Securus. O, quae fontibus integris
Gaudes, apricus necte flores,
Necte meo Lamiae coronam,

Pimplea dulcis! Nil sine te mei
Prosunt honores; hunc fidibus novis,

Od. XXVI. v. 9. *Pimplei* Bc. v. 10. *Possunt* B.

1. «A quibus rex gelidae orae in Septentrione positae, id est, Scytharum rex, metuatur,» scilicet a Tiridate eiusque asseclis. Iustin. 42, 5: *Victoria de Antonio insolentior Phraates*, Parthorum rex, *redditus, cum multa crudeliter saeviret, in exilium a populo suo pellitur. Itaque cum magno tempore finitimas civitates, ad postremum Scythas precibus fatigasset, Scytharum maximo auxilio in regnum restituitur. Hoc absente regem Parthi Tiridaten quendam constituerant, qui audito adventu Scytharum cum magna amicorum manu ad Caesarem in Hispaniam bellum tunc temporis gerentem profugit.* Cfr. Dio Cass. 51, 18. et 53, 33.

5. *unice*] «prorsus incuriosus, quam volgares homines multa ea de re loquuntur.»

6. *integris*] ἀχηράτοις (Eurip. Hippol. 73.), a nemine contaminatis, puris atque illibatis; idem significat, quod *fidibus novis*, carminum genus novum. Lucret. 4, 2. Virg. Ge. 2, 173.

7. *apricos*] «in locis apricis natos et propterea melius olentes.»

8. *coronam*] Saepe de carminibus in laudem alicuius compositis. Pind. Olymp. 6, 147: ἀνδράσιν αἰχμηταῖσι πλέκων ποικίλον ὕμνον. Ceterum v. 8. est praecedentis ἐπεξήγησις· «necte flores, quibus coronetur Lamia.»

9. *Pimplea*] Strabo 9, 25. p. 410: ἐνταῦθα (in Boeotia) ἐστὶ τό τε τῶν Μουσῶν ἱερὸν καὶ ἡ Ἵππου κρήνη καὶ τὸ τῶν Λειβηθρίδων νυμφῶν ἄντρον· ἐξ οὗ τεκμαίροιτ' ἄν τις Θρᾷκας εἶναι τοὺς τὸν Ἑλικῶνα ταῖς Μούσαις καθιερώσαντας· οἱ καὶ τὴν Πιερίδα καὶ τὸ Λείβηθρον καὶ τὴν Πίμπλειαν ταῖς αὐταῖς θεαῖς ἀνέδειξαν. Hinc Musae apud Alexandrinos Πιμπληΐδες et Πιμπληιάδες.

10. *Prosunt*] firmatur a nostris

Hunc Lesbio sacrare plectro
Teque tuasque decet sorores.

---

# ODE XXVII.

## AD SODALES.

Natis in usum laetitiae scyphis
Pugnare Thracum est: tollite barbarum

Codd. antiquiss. Quamquam valde blanditur *possunt*, vide tamen ne substitutum sit a librario nimis memore Virgiliani illius Aen. 9, 446: *Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt.* — *honores*] ut Pind. Nem. 9, 24: ἐπασκήσω κλυταῖς ἥρωα τιμαῖς. — *fidibus novis*] novo genere lyrico a Lesbiis poëtis Alcaeo et Sapphone ad Romanos traducto.

11. *sacrare*] immortalitati consecrare. Stat. Silv. 4, 7, 7: *Si tuas cantu Latio sacravi, Pindare, Thebas.*

XXVII. Convivium cum amicis celebratum lyrice describit. (A. u. c. 725?) «Odes sensus sumptus est ab Anacreonte in libro tertio.» Porphyr. Servavit locum Athen. 10. p. 427. Anacr. Fr. 62. Bergk.: Ἄγε δὴ φέρ' ἡμῖν, ὦ παῖ, Κελέβην, ὅκως ἄμυστιν Ἡρκίλω, τὰ μὲν δέκ' ἐγχέας Ὕδατος, τὰ πέντε δ' οἴνου Κυάθους, ὡς ἀνυβριστὶ Ἀνὰ δηῦτε βασσαρήσω. Ἄγε δηῦτε μηκέθ' οὕτω Πατάγῳ τε καλαληιτῷ Σκυθικὴν πόσιν ταρ' οἴνῳ Μελετῶμεν, ἀλλὰ καλοῖς Ὑποπίνοντες ἐν ὕμνοις.

1. *Natis*] «velut natura factis, ad hoc unice destinatis.» Schol. comparat Lucilii v.: *Iudicis Hortensi est ad eam rem nata palaestra*, similiter de re arte facta. — *Scyphis* proprie Baccho sacer. Macrob. 5, 21.

2. *pugnare*] poculis pro telis uti in παροινίᾳ Thracum est, *hominum violentorum.* Aemil. Prob. in Alcib. 7, 11, 4. Callimachi Fragm. 109. Blomf. — *tollite*] «Procul maneto a nostro convivio mos ille.»

3. «Arcete rixas, nolite eas excitare, ut, quemadmodum debet, *verecundus* maneat Bacchus nihilque committatur, quod dedecea ac perturbet quietam nostram compotationem.»

4. *prohibete*] Eadem constr. Cic. Manil. 7, 18: *aliquem calamitate prohibere;* Epp. 1, 1, 31: *corpus prohibere cheragra.*

5. Post Thracas alterius imma-

**Morem vereeundamque Bacchum**
**Sanguineis prohibete rixis.**

**Vino et lucernis Medus acinaces**
**Immane quantum discrepat: impium**
**Lenite clamorem, sodales,**
**Et cubito remanete presso.**

**Voltis severi me quoque sumere**
**Partem Falerni? dicat Opuntiae**
**Frater Megillae, quo beatus**
**Volnere, qua pereat sagitta.**

nitatis barbarae exemplum affert, *Medos* s. Persas Parthosque, qui *acinace*, incurvo gladio accincti mensae accumbebant, cum Romanis non liceret cum telo in urbe esse. — *vino et lucernis*] «Ἀ συμποσίῳ per noctem producto abhorrent tela.»

6. *immane quantum*] ἀμήχανον ὅσον. Hoc modo teste Nonio iam Salustius usus est: *immane quantum animi exarsere*. Contra Cic. Orat. 26, 87: *nimium quantum*. Liv. 2, 1, 11: *mirum quantum*. — *impium*] Quatenus pax, quae in convivio libationibus in deûm honorem finiendo servari debet, nefarie turbatur: sicque accedit ad notionem: «insanum, furibundum.»

8. *cubito — presso*] cubito sinistro placide pulvillis innixo.

9. *severi*] δριμέος, austeri, fortis Sat. 2, 4, 24. Athen. 1, 24: εἰδὴ δύο τοῦ Φαλέρνου, ὁ αὐστηρὸς καὶ ὁ γλυκάζων.

10. «Ea dumtaxat condicione bibam, ut Megillae frater amores suos nobis narret.» Hoc autem sermonis velut deverticulo clamorem convivarum sedare studet. — *Opus* Locrorum oppidum. — *frater*] Ficta persona, ut ipsa *Megilla Opuntia*, in qua ita a patria denominanda rursus gratum sonum secutus est, per quem omnes vocales sine littera canina resonant. Eleganter non nominat adolescentem ipsum, sed a pulchra sorore degnat, ut sodalium iuvenum attentionem acuat.

11. *sagitta*] ut saepe Graeci τόξον, βέλος Ἔρωτος. De amoribus suis ut in conviviis inter se confabularentur iisque propinarent iuvenes, moris erat. Theocr. 14, 18., ubi Schol.: οὕτω γὰρ εἰώθασι ποιεῖν ἐν τοῖς συμποσίοις, ἄκρατον λαμβάνειν καὶ ὀνομάζειν τινὰς ἐρωμένους ἢ φίλους καὶ ἐπιχεῖν τῇ γῇ καὶ φθέγγεσθαι τῶν φιλτάτων τὰ ὀνόματα.

Cessat voluntas? Non alia bibam
Mercede. Quae te cunque domat Venus,
Non erubescendis adurit
Ignibus ingenuoque semper

Amore peccas. Quidquid habes, age,
Depone tutis auribus. Ah miser,
Quanta laborabas Charybdi,
Digne puer meliore flamma!

Quae saga, quis te solvere Thessalis
Magus venenis, quis poterit deus?

Od. XXVII. v. 19. *laboras in Charybdi* B. cum Aldo.

13. *cessat*] tardat; «hoc temporis momento non adest voluntas, sed fortasse statim veniet.» — *Voluntas* autem «confitendi», non bibendi», ut Porphyrion.

14. *Venus*] Virg. Ecl. 3, 66: *Parta meae Veneri sunt munera.*

15. *adurit*] In hac re dicunt etiam *exurere* Tibull. 4, 2, 5. et Prop. 2, 30, 29: *Iuppiter ut Semela est combustus.*

16. *ingenuo*] ingenuae mulieris, non ancillae vel libertinae.

17. *peccas*] quatenus omnis amor animi est perturbatio; et sic frequenter Latini de amoribus v. *peccandi* usurpant. Cfr. Od. 1, 33, 9. Sat. 1, 2, 63. Sic *in ancilla delinquere* Ovid. Am. 2, 8, 9. — «Quaecunque amica tua est, insusurra mihi in aurem eius nomen; ego arcanum tuum religiose servabo."

19. *laborabas Charybdi*] «sanctus eras amore puellae rapacis et avarae," quales etiam Comici cum Chimaera, Scylla, Harpyiis, Charybdi compararant. Imperfectum autem *laborabas* refertur ad id tempus, quo puellae nomen ex eo quaesierat Horatius et quo ille respondere cunctatus erat.

21. *Thessalis venenis*] medicamentis, incantamentis. Thessalia autem propter magos et φαρμακευτρίας infamis erat. Plin, 30, 21.

23. *illigatum*] tamquam draconis flexibus. Scil. vv. *triformi Chimaera*, ad utrumque v. et *illigatum* et *expediet* referri debent: «illigatum te Chimaera, ab ea te exexpediet." — *triformi*] Confer Iliad. ζ, 181: *Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.* Chimaera Lyciae monstrum ex Typhone et Echidna natum. Hesiod. Theog. 325: *Τὴν μὲν Πήγασος εἶλε καὶ ἐσθλὸς Βελλεροφόντης.* Bellerophon Pegasi, equi alati, a Minerva in

Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimaera.

---

# ODE XXVIII.

## ARCHYTAS.

Te maris et terrae numeroque carentis arenae
Mensorem cohibent, Archyta,
Pulveris exigui prope litus parva Matinum
Munera, nec quidquam tibi prodest

hanc rem ei traditi ope occidit monstrum illud ignivomum.

XXVIII. (A. u. c. 717?) Argumentum hoc: «Apud Archytae tenue sepulchrum loquens inducitur umbra hominis naufragio exstincti, qui fati sui acerbitatem cum simili Archytae sorte, tum clarissimorum hominum comparatione atque imposita tandem omnibus necessitate solatur, denique a nauta eam oram casu praetervehente corporis sui flagitat sepulturam.» — Ratio vero, quam plerique sequuntur, haec est, ut nauta litus radens conspiciat Archytae corpus eiusque sortem deploret, inde a v. 7. philosophi umbra loquens inducatur, primum exemplis ille semet ipse consoletur, deinde a v. 21. nautam oret, ut ter pulverem corpori iniiciat: cum morantem videat, diras illi minitetur. Archytas Tarentinus, philosophus Pythagoreus, astronomus et geometra, aequalis Platonis, inter cuius epistolas subditicias et duodecima inscribitur. Etiam in re publica domi militiaeque illustrissimus fuit. Nihil quidem antiqui memorant de naufragio, quo perierit; sed potuit eius rei facere fidem scriptor aliquis nunc deperditus vel vetusta Tarentinorum fama.

1. *arenae*] Ignoramus, utrum Archytas in libro περὶ ἀρχῶν iam egerit de numero arenae ineundo, ut post eum Archimedes in Ψαμμίτῃ. Hic initio p. 2. Ed. Wallis: οἴονται τινὲς τοῦ ψάμμου τὸν ἀριθμὸν ἄπειρον εἶμεν τῷ πλήθει· id quod deinceps refutat.

3. *Matinum*] ora Calabriae occidentalis a promontorio Matino.

4. *munera*] «Exiguus tumulus, tibi, Archyta, a nescio quo tamquam munus structus, te amplectitur, tegit.» *Pulvis* pro terra, humo, ut apud Stat. Theb. 10, 428:

Aërias tentasse domos animoque rotundum
Percurrisse polum morituro.
Occidit et Pelopis genitor conviva deorum,
Tithonusque remotus in auras
Et Iovis arcanis Minos admissus habentque
Tartara Panthoiden iterum Orco
Demissum, quamvis clipeo Troiana refixo
Tempora testatus nihil ultra

*angusti puero date pulveris haustus, Exiguamque facem.*

5. *aërias tentasse domos*] *tentare* pr. tangendo explorare; hinc etiam, ut hoc loco, eniti, provehi aliquo, non sine audaciae notione. Virg. Ecl. 4, 32: *tentare Thetin ratibus.* Tacit. Germ. 34: *Ipsum quin Oceanum illa tentavimus.* «Nihil» inquit, «te iuvat astrologiae ope sidera dinumerasse atque eorum sphaeras cursusque investigasse atque universi mundi formam et constructionem explicasse», quae antiquissimae philosophiae summa erat. Ptolemaeus astronomus in Anthol. Pal. II. pag. 205: *Οἶδ' ὅτι θνατὸς ἐγὼ καὶ ἐφάμερος· ἀλλ' ὅταν ἄστρων Μαστεύω πυκινὰς ἀμφιδρόμους ἕλικας, Οὐκέτ' ἐπιψαύω γαίης ποσὶν, ἀλλὰ παρ' αὐτῷ Ζανὶ θεοτροφίης πίμπλαμαι ἀμβροσίης.*

6. *rotundum - polum*] caelum quasi concameratum, fornicis speciem habens. — *morituro*] «Cum nihilominus mori debueris», (ut Od. 2, 3, 1. «Quamquam» inquit, «haec communis est sors omnium, etiam heroum, etiam sapientium.» Fundus huius consolationis est Iliad. σ, 117. Achilles: *Οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη Ἡρακλῆος φύγε Κῆρα, Ὃσπερ φίλτατος ἔσκε Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι· Ἀλλά ἑ Μοῖρ' ἐδάμασσε καὶ ἀργαλέος χόλος Ἥρης. Ὣς καὶ ἐγὼν cet.*

7. *Pelopis genitor*] Tantalus, epulis supremi Iovis adhibitus. Pind. Olymp. 1, 54: *Εἰ δὲ δή τιν' ἄνδρα θνατὸν Ὀλύμπου σκοποὶ Ἐτίμασαν, ἦν Τάνταλος οὗτος.* Eurip. Orest. 9.

8. *Tithoni* fabulam v. in Hom. Hymn. in Ven. 219. Laomedontis fuit filius, Priami frater. — *remotus in auras*] "ab Aurora in caelum raptus". Eurip. Troad. 855: *Ὃν ἀστέρων τέθριππος ἔλαβε χρύσεος ὄχος ἀναρπάσας.* *Remotus* igitur a terra amotus, ablatus.

9. *Minos*] Odyss. τ, 149: *Διὸς μεγάλου ἀριστῆϊ*, qui admissus secretis Iovis colloquiis ab eo leges, quas Cretensibus dedit, acceperat.

10. *Tartara*] hoc loco non de damnatorum sede, sed de universo Orco, et sic iam Graeci. Theognis 1036: *ὅταν αὐτὸν (θνητὸν ἄνδρα)*

Nervos atque cutem morti concesserat atrae,
Iudice te non sordidus auctor
Naturae verique. Sed omnes una manet nox
Et calcanda semel via leti.

Dant alios Furiae torvo spectacula Marti,
Exitio est avidum mare nautis;
Mixta senum ac iuvenum densentur funera, nullum
Saeva caput Proserpina fugit.

Od. XXVIII. v. 14. *Iudice me* Criticus apud Cuningh. v. 18. *avidis* C.

*ἔχῃ Τάρταρος ἠερόεις.* — *Panthoiden*] Iliad. π, 808: *Πανθοίδης Εὔφορβος, ὃς ἡλικίην ἐκέκαστο Ἔγχεϊ θ' ἱπποσύνῃ τε ποδέσσι τε καρπαλίμοισιν.* A Menelao occisus; propterea Argis clypeus eius dicatus Iunoni. Iam, ut veteres fabulabantur, Pythagoras affirmabat se Troiani belli temporibus fuisse Euphorbum, tum ex aliis in alia migrasse corpora, tandem Pythagoram factum. Cui rei ut fidem faceret, clipeum in Iunonis templo inter alia *ἀναθήματα* affixum, suum, cum Euphorbus esset, fuisse contendebat, hocque ipsum nomen clipeo inscriptum mox *refixo*, detracto eo, repertum esse ferunt. Diog. Laërt. 8, 5. Ovid. Met. 15, 153. — *iterum Orco demissus*] « Etsi *παλιγγενεσίαν, μετεμψύχωσιν*, quam docebat, illo modo testatus erat, tamen denuo mori ei necesse fuit nuncque eum retinet Orcus, hodie nusquam comparet.»

12. *nihil ultra* cet.] corporis dumtaxat exuvias.

14. *Iudice te*] "Mortem obiit ille quoque, quem tu, Archyta, secutus eras non contemnendum, immo egregium investigatorem naturae verique magistrum."

16. *via leti*] Lucret. 2, 915: *et leti vitare vias.* Tib. 1, 3, 50: *nunc leti mille repente viae.*

17. *Furiae* h. l. (ut Iliad. δ, 440: *Δεῖμός τ' ἠδὲ Φόβος καὶ Ἔρις.* Hesiod. Scut. 249: *Κῆρες κυάνεαι*) in proeliis versantur (Virg. Aen. 7, 323: *Alecto - cui tristia bella cordi:*) pugnantesque ad mutuas caedes excitant, quo gratum praebent spectaculum Marti caedibus laetanti. Tota imago desumpta est a muneribus gladiatoriis. Ludus autem Martis pugnae. Od. 1, 2, 37.

18. *avidum*] ut Od. 3, 29, 61: *avarum mare.* Mare ipsum navigantium opibus inhiat. *Avidis* h. l. otiosum esset *ἐπίθετον.*

19. *densentur*] *Densere* antitiquior et poëtica forma pro *densare*, reperitur etiam apud Tacit. Ann. 2, 14. ex Cod. Med.: *denserent.*

20. *saeva*] Odyss. λ, 47: *ἐπαινῇ Περσεφονείῃ.* — *fugit*] Hoc perfectum *ἀορίστως*, "remota ma-

Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis.
At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae
Ossibus et capiti inhumato
Particulam dare. Sic, quodcunque minabitur Eurus
Fluctibus Hesperiis, Venusinae
Plectantur silvae te sospite, multaque merces,
Unde potest, tibi defluat aequo

net, abstinet a nullo capite." Proserpina ipsa ad moribundos accedit iisque tamquam victimis καταρχῆς loco cincinnum desecat, ut Θάνατος apud Eurip. Alc. 74. Virg. Aen. 4, 698: *Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem Abstulerat Stygioque caput damnaverat Orco.* Stat. Silv. 2, 1, 147: *Iam complexa manu crinem tenet infera Iuno.*

21. *devexi*] ad occasum vergentis, ut Od. 3, 27, 18: *pronus Orion.* Epod. 15, 7. Virg. Aen. 7, 719. *hibernis Orion conditur undis.* Occidit autem Orion ineunte Novembri, quo anni tempore saeviunt procellae, quocirca Notus *comes Orionis* vocatur. Hesiod. Ἔργ. 617: Εὖτ' ἂν Πληϊάδες, σθένος ὄβριμον Ὠρίωνος Φεύγουσαι πίπτωσιν ἐς ἠεροειδέα πόντον, Δὴ τότε παντοίων ἀνέμων ζαὶ ουσιν ἀῆται. — *Illyricis*] maris Hadriatici, cuius intimo sinui adiacet Illyria.

23. Iam umbra conspicit navem radentem litus Matinum, eiusque magistrum alloquitur. Ad totam imaginem cfr. Iulianum in Anthol. Pal. I. p. 484: Πλώεις ναυηγόν με λαβὼν καὶ σήματι χώσας; Πλῶε Μαλειάων ἄκρα φυλασσόμενος. Αἰεὶ δ' εὐπλοΐην μεδέποις φίλος· ἢν δέ τι ῥέξῃ Ἄλλο Τύχη, τούτων ἀντιάσαις χαρίτων. — *vagae*] a ventis hinc illinc iactatae. — *parce*] «Noli denegare ossibus exiguam arenam.» Usus hic v. *parcere* reperitur etiam apud Livium 34, 32: *parce sis fidem ac iura societatis iactare;* frequentius apud poëtas. Virg. Aen. 3, 42: *Parce pias scelerare manus.* — Ut *benignus* largus, sic *malignus* h. l. non tam malevolus quam nimis parcus, maxime propter morae metum.

25. «Sic opto, ut procellae incolumem te sinant evellantque tantum pinus atque abietes silvarum circa Venusiam» (Horatii patriam, oppidum mediterraneum non longe dissitum a Matino) «qua quidem re nullum tibi damnum infertur.» — *sic*] cfr. Od. 1, 3, 1.

27. *plectantur*] «luant, quasi ipsae poenae dignae essent.» — «Magnum pietatis pra emium

Ab Iove Neptunoque sacri custode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere? Fors et
Debita iura vicesque superbae

Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis,
Teque piacula nulla resolvent.
Quamquam festinas, non est mora longa; licebit
Iniecto ter pulvere curras.

v. 31. *forsan* C. *forsit* Pulmann.

libi conferatur a propitio Iove, qui ante omnes alios deos illam remunerari potest.»

28. *unde potest*] Est *παρένθεσις* similis illarum Epod. 17, 45. Od. 1, 12, 32. *Unde* de persona, ut Virg. Aen. 1, 6: *genus unde* (ab Aenea) *Latinum*. — *defluat*] Summam facilitatem exprimit, qua Iuppiter largitur sua munera.

29. Taras, Tarenti conditor mythicus, teste Aristot. apud Pollucem 6. p. 180. filius fuit Neptuni et Nymphae indigenae; unde Neptunus, *custos* (*πολιοῦχος*) comparet in nonnullis Tarentinorum nummis.

31. «Parum curas, pro nihilo habes culpam huiusmodi in te admittere?» — *postmodo* equidem iungo cum *nocituram*; alii cum *te natis*, ubi otiosum est. — *fraudem*] *ἄγος*, «quam noxam aliquando liberi tui expiabant.» Fundus huius opinionis Odyss. λ, 72. Elpenor ad Ulixem: *Μή μ' ἄκλαυτον, ἄθαπτον ἰὼν ὄπιθεν κατάλειπειν, Νοσφισθείς, μή τοί τι θεῶν μήνιμα γένωμαι.* — *fors, forsan, forsit* apud poëtas; *forsit*, reperitur Sat. 1, 6, 49.

32. *debita iura*] *δίκην, ἣν ὀφείλεις.* — *vices*] *ἀντίποινα.* «Quomodo tu superbe rejicis preces meas, aeque in te *superba* (*ὑβριστική*) erit etiam vindicta divina.»

33. *maneant*] Etiam apud Ciceronem paucissimis locis exceptis (Hand Turs. 2. p. 716.) *forsitan* propter incertum rei exitum (qui exprimitur etymo huius v. *fors sit an*) cum coni. construitur. — «Si relinquar a te inhumatus, inultae non remanebunt meae imprecationes, exsecrationes.» Sic Caesar B. G. 6, 30: *omnibus precibus detestatus Ambiorigem.* Epod. 3, 86.

34. *Piacula, καθαρμοί*, scelere, quo *obstricti* sumus, nos *solvunt*.

36. *licebit — curras*] «Post brevem sepeliendi moram cursum tuum prosequi poteris.»

# ODE XXIX.

## AD ICCIUM.

Icci, beatis nunc Arabum invides
Gazis et acrem militiam paras
Non ante devictis Sabaeae
Regibus horribilique Medo
Nectis catenas. Quae tibi virginum

XXIX. Compositum est carmen ante expeditionem, quam iussu Augusti Aelius Gallus a. u. c. 730. suscepit in Arabiam felicem, sed improspero successu. Cfr. Strab. 16, 22. Dio Cass. 53, 29. Amabili et amica ironia sine ulla acerbitate usus miratur poëta, quomodo Iccius deposito ad tempus philosophiae studio occasionem et opes et gloriam in illa expeditione parandi captarit. Ad priora autem studia Iccium postea reversisse patet ex Epp. 1, 12. Omnino iniquius de innocente hoc Horatii sodali, plerique interpretes iudicarunt, quasi fuerit homo et sordide avarus et stultus, cuiusmodi propudii amicitiam procul dubio respuisset Horatius.

1. *beatis*] Od. 3, 34, 1: *Intactis opulentior Thesauris Arabum.* — *nunc*] «cum praeter spem subita occasio te ditandi sese offert.»

3. *Sabaeae*] populus Arabiae felicis, quorum caput Saba. Plin. 6, 28: *Sabaei Arabum propter tura clarissimi — — ditissimi silvarum fertilitate odorifera, auri metallis.*

4. *regibus*] A Strabone et Dione rex eorum nominatur Σαβώς. Propter num. plur. cogitare licet de principibus, *Emirs. — horribilique Medo*] «Parthis, qui nobis sunt formidolosi.» In unos Sabaeos cum pararetur expeditio, omnes iam Orientis populos devictum iri auguratur poëta, ut Od. 1, 12, 56. et Od. 1, 36, 31.

6. In pros. or. vel *virgo barbara* vel *virginum barbararum.* Sic Apollonides in Anth. Pal. II. p. 698: Χαρίτων δέ μοι ἀγχόθι καλὴν ἀθρήσας, pro Χάριν καλήν. Recte interpretantur de filia regis, ut Od. 3, 2, 8: *adulta bellantis tyranni virgo.*

7. *puer*] Non filius regis, sed puer regius, *Page.* Liv. 45, 6: *pueri regii apud Macedonas vocabantur principum liberi ad ministerium regis electi.* Etiam apud Orien-

Sponso necato barbara serviet?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur unctis,
Doctus sagittas tendere Sericas
Arcu paterno? Quis neget arduis
Pronos relabi posse rivos
Montibus et Tiberim reverti,
Cum tu coëmptos undique nobilis
Libros Panaeti, Socraticam et domum
Mutare loricis Hiberis,
Pollicitus meliora, tendis?

Od. XXIX. v. 13. *nobiles* C.

tales, de quibus loquitur poëta. Tales autem pocillatores s. pincernae in Inscriptt. *pueri ab cyatho, a potione, a lagena* vocantur. — *ad cyathum statuatur*] «quem exhaustum repleat ac porrigat domino.»

9. *doctus sagittas*] Seres, ultimus Orientis populus Romanis notus, ut omnes Orientales, nobiles erant sagittarii. «More igitur gentis suae (id quod significatur vv. *arcu paterno*) callet sagittandi artem, qua te dominum oblectabit.» *Telum* autem *tendere* pro *κυρτῷ arcum tendere* etiam Virg. Aen. 5, 508, sed per zeugma: *Post acer Mnestheus adducto constitit arcu Alta petens, pariterque oculos telumque tetendit.*

11. *pronos*] «a cursu naturali repulsi praecipitanter ad montes, unde delabuntur, relabi, et ad fontem Tiberim reverti.» Eurip. Med. 410: *Ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί, Καὶ δίκα καὶ πάντα πάλιν στρέφεται.*

13. *nobilis* iunge cum *Panaeti*, non *nobilis* s. *nobiles libros*. Sic Epp. 1, 19, 39: *nobilium scriptorum auditor et ultor*. Cic. Phil. 5, 5: *Phaedri, philosophi nobilis* cet.

14. *Panaetius* Rhodius, Stoicorum princeps, Posidonii doctor, Scipioni Africano minori et Laelio familiarissimus. Eius libros *περὶ τοῦ καθήκοντος* praecipue secutus est Cicero (cfr. de Off. 1, 2. et 3, 2.) — *Socraticos*] in primis Platonem, Xenophontem, Aeschinem. Seneca Ep. 29: *Idem hoc omnes tibi ex omni domo acclamabunt Peripatetici, Academici, Stoici, Cynici.*

15. *Iberis*] Hispaniae Tarraconensis et Norici ferra inter praestantissima.

16. *pollicitus meliora*] «te philosophaturum, non rei militari operam daturum.» Excidere videtur ex ironia, verum loquitur cum sodali, qui de his ipsis verbis, ut

# ODE XXX.

## AD VENEREM.

O Venus, regina Cnidi Paphique,
Sperne dilectam Cypron et vocantis
Ture te multo Glycerae decoram
Transfer in aedem.

Fervidus tecum puer et solutis
Gratiae zonis properentque Nymphae
Et parum comis sine te Iuventas
Mercuriusque.

doëta praevidebat, subridere debebat. — *tendis*] «studiose cogitas.» Epp. 1, 19, 16: *tenditque disertus haberi.*

XXX. Glycerae amicae Veneri domi suae supplicaturae, pacem divae precatur.

1. *Cnidus*, urbs Doridis in Caria, ubi colebatur Venus a Praxitele ad Phrynes exemplar sculpta (Pausan. Att. 1, 1, 3: *Κνίδιοι τιμῶσιν Ἀφροδίτην μάλιστα·*); Odyss. Θ, 362: *Ἡ δ' ἄρα Κύπρον ἵκανε φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη Ἐς Πάφον· ἔνδα δέ οἱ τέμενος βωμός τε θυήεις.* Alcman Fr. 33. Welck.: *Κύπρον ἱμερτὰν λιποῦσα καὶ Πάφον περιῤῥύταν.*

2. *Sperne*] ut Od. 1, 19, 9: *Venus Cypron deseruit.*

3. *ture*] «Ut plurimum de ture et floribus ei sacrificabatur.» Schol.

4. *Transfer*] «Eo ex loco, ubi nunc moraris, confer te cet.» — *aedem*] Plerique interpretantur de sacrario sive larario. Sed huius condicionis puellae minus convenire videtur proprium sacrarium, cum potius poëtae obversetur sigillum Veneris aereum a Glycera cultum. Apud Livium in primis frequenter num. sing. et plur. a librariis confunduntur. Cfr. Drakenb. ad 4, 25.

7. *parum comis*] «sine Veneris gaudiis longe minus grata Iuventas, *Ἥβη*.»

8. Plutarch. Coniugalia Praec. Prooem.: *οἱ παλαιοὶ τῇ Ἀφροδίτῃ τὸν Ἑρμῆν συγκαθίδρυσαν, ὡς τῆς περὶ τὸν γάμον ἡδονῆς μάλιστα λόγου δεομένης, τήν τε Πειθὼ καὶ τὰς Χάριτας, ἵνα πειθόντες διαπράττονται παρ' ἀλλήλων, ἃ βούλονται, μὴ μαχόμενοι μηδὲ φιλονεικοῦντες.*

# ODE XXXI.

## AD APOLLINEM.

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? quid orat de patera novum
Fundens liquorem? Non opimae
Sardiniae segetes feraces,

Non aestuosae grata Calabriae
Armenta, non aurum aut ebur Iudicum,
Non rura, quae Liris quieta
Mordet aqua taciturnus amnis.

Od. XXXI. vv. 3. 4. *opimas - feracis.* C.

XXXI. Cum Caesar Octavianus a. u. c. 726. pro victoria Actiaca templum Apollinis cum bibliotheca in Palatio dedicasset (Suet. Octav. 29. Dio Cass. 53, 1, quid poëta αὐτάρκης a deo petere debeat, exponit, sua vota avidis volgi precibus opponens, ut Pind. Nem. 8, 37: χρυσὸν εὔχονται, πεδίον δ' ἕτεροι Ἀπείραντον· ἐγὼ δ' ἀστοῖς ἀδὼν καὶ χθονὶ γυῖα καλύψαιμ' Αἰνέων αἰνητά, μομφὰν δ' ἐπισπείρων ἀλιτροῖς.

1. *Dedicatur* deus ipse, cui nova aedes consecratur. Cic. de N. D. 2, 33: *ut Fides, ut Mens, quas in Capitolio dedicatas videmus.*

2. *novum*] Vino hornotino libare solebant, ut Od. 3, 5, 3: *horna fruge immolare.*

3. *opimae - - feraces*] Ex auctoritate Codd. antiquiss. haec lectio praestat alteri: *opimas - - feracis.* Regionibus idem tribuit ἐπίδειτον Od. 1, 7, 11. et Od. 2, 12, 22.

4. *Segetibus* tribuitur ἐπίδειτον *feraces*, quod proprie agrorum est. Siciliam et Sardiniam «benignissimas urbis Romae nutrices» vocat Val. Max. 7, 6.

5. *aestuosae*] «solis ardore torridae.» Epod. 1, 27. — *grata armenta*] «Quae, dum pascuntur, *gratum* non solum domino, verum etiam per pascua deambulanti viatori spectaculum praebent.»

7. *Liris* fluvius in finibus Latii et Campaniae, perfluens Minturnas, hodie *Garigliano.* Od. 3, 17, 8.

8. *mordet*] Simili imagine etiam *rodere* et *terere* de fluviis ripas sensim eluentibus usurpatur. Lucret. 5, 257: *et ripas radentia flumina rodunt.* Claudian. Cons. Prob. 259: *terens querceta Maricae Liris.*

Premant Calena falce, quibus dedit
Fortuna, vitem; dives et aureis
Mercator exsiccet cululis
Vina Syra reparata merce,

Dis carus ipsis, quippe ter et quater
Anno revisens aequor Atlanticum
Impune. Me pascunt olivae,
Me cichorea levesque malvae.

Frui paratis et valido mihi,

v. 9. *Calenam* Bc. v. 10. *ut aureis* B. v. 15. *pascant* Bc.

9. Sententiae ita nectuntur: «Id vero mea minime refert, quid optent homines de plebe. Habeant sibi, quae expetunt; equidem paucis contentus sum.» — *premant*] pro pedestri v. *putent;* quia nimiam pampinorum ac palmitum luxuriem falx *vineatica* Catoni R. R. 11., *putatoria* Palladio 1, 43, 1, cultellus incurvus vinitoris, comprimit, compescit. Virg. Ge. 1, 157: *ruris opaci Falce premes umbras.* — *Cales*, Campaniae oppidum in agro Sidicino. In prosa orat.: «Vineas feraces Calibus habeant, quibus id concessit Fortuna.» Od. 1, 20, 9.

11. *exsiccet*] epotet, cum aliqua aviditatis significatione. Cic. ad Fam. 16, 26: *lagenae--furtim exsiccatae.* Od. 1, 35, 27. — *cululli*] «Calices fictiles, quibus pontifices virginesque Vestales in sacris utebantur.» Schol. Tum de divitum grandioribus poculis *(Humpen)*. Art. poët. 434.

12. *Syra merce*] aromatis atque unguentis ex India et Arabia in Syrae Phoenicesque oppida convectis et inde Romam delatis; pro his igitur mercator *reparat*, vicissim parat, vina Graeca et Italica.

13. *Dis carus ipsis*] *Κατ' εἰρωνείαν*. «Mercatori isti deos valde propitios esse, magis certe quam pauperi poëtae, illud profecto clare demonstrat, quod quotannis aliquoties in terras longe remotas sine ulla iactura et sine naufragio penetrat. Ego vero deliciis, quibus ille fruitur, spretis, simplicissimis quibusque cibis utor.»

15. Indicativus *pascunt* et auctoritate Codd. commendatur, et ipsa sententia, quae potius requirit rem certam, praestat coniunctivo.

16. *cichorea*] Quasi a *κιχορεῖον* pro *κιχώριον*, volgari Latinorum pronuntiat. *cichorium*. Celsus 2, 24: *stomacho apta sunt intubus* (cichorii species), *lactuca* cet. — *leves*] "stomachum non gravantes, facile concoquendae." Epod. 2, 58. Celsus 2, 20: *boni suci urtica, malva.*

17. *paratis*] partis. Plaut. Rud.

Latoë, dones et precor integra
Cum mente nec turpem senectam
Degere nec cithara carentem.

# ODE XXXII.

## AD LYRAM.

Poscimur. Si quid vacui sub umbra
Lusimus tecum, quod et hunc in annum

v. 18. *at precor, ac precor* C.

Ode XXXII. v. 1. *Poscimus, si* C. Ibid. *sub antro* B.

Prol. 38.: *Rem bene paratam comitate perdidit.* Epp. 2, 2, 49: *comportatis rebus bene - uti.* — *Latoe*] a Graeco *Λητῴος, Λατῴος*, ut Anth. Pal. 1, 277: *Λατῴα*. — Respondere sibi *et valido* (quod ad corpus attinet) *et integra cum mente* non perspicientes scripserunt *at precor* alii, alii *ac precor*. Iuvenal. 10, 356: *Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.* «Dones mihi frui paratis et valido, et integra cum mente degere senectutem, eamque propter id ipsum nec despectam neque *ἄλυρον*.»

19. *integra cum mente*] Non *sceleris pura* (Od. 1, 22, 1.), sed «sana, omnes suas vires conservante.» — *turpem*] «miseram et contemptam propter animi et corporis vires debilitatas atque exstinctas.»

20. *cithara carentem*] *ἄλυρον*, «in qua poëticis studiis renuntiare cogar.»

XXXII. Proprium impetum sequens et a se posci maius aliquid fingens, quod melicis Graecorum carminibus digne opponatur, ut fere Od. 4, 6, 25. barbiton suum salutat, eiusque, ut Musae, favorem invocat. (a. u. c. 731., veluti sit praeludium Od. 1, 2.?) Sic Sappho Fr. 24. Neue: *Ἄγε δῖα χέλυ μοι λέγε, φωνήεσσα δὲ γίγνεο.*

1. *Poscimur*] Ovid. Met. 5, 333: *Poscimur, Aonides.* Pind. Isthm. 8, 10: *αἰτέομαι χρυσέαν κελαδεῖσαι Μοῖσαν* — *vacui*] Od. 1, 6, 17: *nos proelia virginum - - Cantamus vacui.* — *sub umbra*] Epp. 2, 2, 77: poëta *Rite cliens Bacchi somno gaudentis et umbra.* Varia lectio *sub antro* est ex illis, in quas prope inviti incidebant librarii, cum similes loci obversarentur animo scribentium, ut Od. 2, 1, 39. Od. 3, 4, 40.

2. *Lusimus*] Spontaneus nec legibus obstrictus poëtarum impetus crebro lusui comparatur. Virg. Ecl. 1, 10.

Vivat et plures, age dic Latinum,
Barbite, carmen,

Lesbio primum modulate civi;
Qui ferox bello tamen inter arma
Sive iactatam religarat udo
Litore navim,

Liberum et Musas Veneremque et illi
Semper haerentem puerum canebat
Et Lycum nigris oculis nigroque
Crine decorum.

3. *vivat*] Epp. 1, 19, 2: *Nulla placere diu nec vivere carmina possunt* cet.

4. *barbite - - modulate*] mascul. genere, ut apud Graecos posterioris aetatis. Antea vel ἡ *βάρβιτος* vel τὸ *βάρβιτον*. — *dic*] de instrumentis musicis, ut de iisdem apud Graecos ᾄδεγγεσθαι et ἰαλεῖν. «Si quid unquam tecum lusimus, (quod non male nobis cesserit), age nunc dic Latinum carmen, quod et in hunc et in plures annos vivat»: id est, Latinum carmen immortalitate dignum. — Particulam *si* in obtestationibus usitatam esse docuit Bentleius. Virg. Aen. 1, 603: *Di tibi - si quid usquam iustitia est, - - Praemia digna ferant.* Aen. 2, 536. Aen. 6, 529.

5. « Quo primum Alcaeus usus est, » qui floruit Olymp. XLIV. a. Chr. a. 604. — *Modulate* passive, ut saepe. Quintil. 9, 2, 35. *cantibus aut aliorum similitudinem modulatis.* Modulamur autem proprie carmen modos ei aptantes; deinde etiam lyram ipsam, modos carmini aptos ex ea cientes.

6. *ferox bello*] Dimicavit et adversus Athenienses et adversus tyrannos patriae suae, Myrsilum atque Pittacum. Od. 2, 13, 30. Athen. 10, 23: Ἀλκαῖος πρότερα τῶν κατὰ ποιητικὴν τὰ κατὰ τὴν ἀνδρείαν τίθεται, μᾶλλον τοῦ δέοντος πολεμικὸς γενόμενος.

7. *religarat*] «retinaculis destinarat." Sat. 1, 5, 18: *retinacula - Nauta - saxo religat.* Virg. Aen. 7, 106. Ovid. Metam. 14, 248. Est igitur: « Sive erat in castris, sive in portu aliquo manserat a longa ac difficili navigatione requiescens.» Alterum *sive* omissum, ut saepenumero apud Tacitum. — *Udum* (ἁλίκτυπον) *litus* hoc exemplum secuti usurparunt posterio-

O decus Phoebi et dapibus supremi
Grata testudo Iovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cunque salve
Rite vocanti.

# ODE XXXIII.

## AD ALBIUM TIBULLUM.

Albi, ne doleas plus nimio memor
Immitis Glycerae neu miserabiles

res quoque poëtae. Virgilius sic loqui nondum ausus est, cum *udus* proprie dicatur de interno humi humore.

9. *Liberum*] Significat eius ἄσματα συμποσιακά, ut Fragm. 31. Matth.: *Οἶνον γὰρ Σεμέλας καὶ Διὸς υἱὸς λαθικαδέα Ἀνθρώποισιν ἔδωκε.*

10. *puerum*] Cupidinem, perpetuum matris comitem. *Haerere* autem *alicui* etiam Virg. Aen. 10, 780: *missus ab Argis Haeserat Evandro.*

11. *Lycum*] puerum amatum. Cic. N. D. 1, 18: *Naevus in articulo pueri delectat Alcaeum.* In eius reliquiis hoc nomen non reperitur.

13. *decus*] ἄγαλμα. Tibull. 4, 2, 22: *Et testudinea Phoebe superbe lyra.* — *dapibus*] Omnino testudo δαιτὸς ἑταίρη. Hom. Hymn. in Merc. 31.

15. *cunque*] Ex antiquiore consuetudine Latina *cunque* sic usurpatum est ὁπωςδήποτε, quocunque, quoquo modo. «Opto, ut omnino mihi *rite*, caste et pie, quemadmodum decet in talibus precibus, te invocanti adsis.»

XXXIII. Albium Tibullum, dulcissimum illum poëtam, Horatio intima familiaritate coniunctum (Epp. 1, 4.) consolatur de fide ei a Glycera laesa. (anno u. c. 728—730?) Glycere autem ab ipso Tibullo nunquam memorata, utique diversa videtur et a Delia et a Nemesi, ficta fortasse ab Horatio.

1. *plus nimio*] ut Od. 1, 18, 15. Etiam in pedestri orat. M. Antonius Ep. ad Att. 10, 8. B.: *te nimio plus diligo*, ac similiter Plaut. Bacch. v. 645: *nimio minus, multo parum.* Vel propter caesuram melius iungas *plus nimio memor*, quam *doleas plus nimio.*

Decantes elegos, cur tibi iunior
Laesa praeniteat fide.

Insignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor; Cyrus in asperam
Declinat Pholoën; sed prius Appulis
Iungentur capreae lupis,

Quam turpi Pholoë peccet adultero.
Sic visum Veneri, cui placet impares
Formas atque animos sub iuga aënea
Saevo mittere cum ioco.

Od. XXXIII. v. 12. *loco* F.

3. *decantes*] Ut nostrum *hersingen*, de cantilena flebiliore et vocis varietate carente. — *miserabiles elegos*] Liv. 26, 3: *miserabiliter scriptae litterae*. «Propter perfidam illam» («quam aut te vera amas, aut quam a te amari per iocum fingo:" hoc enim nos ignoramus:) «noli flebiles, queribundos elegos componere, ut fecisti in Deliae (fortasse etiam Nemesis) amore, propterea quod iunior tibi rivalis anteponatur.»

4. *praeniteat*] pr.: «Glycerae nitidior ac venustior videatur.»

5. Inconstantiam amorum atque dissidia certis quibusdam exemplis, a se, ut opinor, fictis, cum delectu nominum grate sonantium depingit. — *tenui fronte*] Epp. 1, 7, 26: *nigros angusta fronte capillos*. Martial. 4, 41, 9: *Frons brevis atque modus breviter sit naribus uncis*.

6. *torret*] Eadem metaphora Sappho Fr. 13: ὀπτᾶς ἄμμε.

7. *Pholoën*] Od. 2, 5, 17: *Pholoë fugax*. Od. 3, 17, 7. Marathi et Pholoës amores atque dissidia canit Tibullus 1, 8.

7. *declinat*] «A Lycoride aversus propendet in Pholoën difficilem ac renitentem.»

8. *Iungentur*] Cfr. Epod. 16, 30. Aristoph. in Pace v. 1076: πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ. Virg. Ecl. 8, 26: *Iungentur iam gryphes equis*.

9. *peccet*] «sese dedat Cyro, qui turpis ei videtur, laedatque fidem alii datam.» — *Adulter* autem, ut Od. 1, 36, 19: *nec Damalis novo Divelletur adultero*. Od. 1, 25, 9. *moechus*, idem quod amator.

10. *Sic visum Veneri*] «Venus, quae crudele oblectamentum ex hoc ioco sibi quaerit, incendit et mares et feminas amoribus, quorum propter animorum et formarum dissimilitudinem nullus est successus nec fructus, itaque eos ament necesse est, a quibus non

Ipsum me melior cum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale
Libertina fretis acrior Hadriae
Curvantis Calabros sinus.

# ODE XXXIV.

Parcus deorum cultor et infrequens
Insanientis dum sapientiae
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare atque iterare cursus

redamentur.» Cfr. Od. 3, 9, 18.

12. *ioco*] Non «deus *Iocus*», ut Od. 1, 2, 34: *Quam Iocus circum volat et Cupido*, sed «lusus», ut Od. 3, 27, 67.

13. «Cum melioris puellae amore iam saucium factum me sentirem, in servitute tamen me retinuit prior amor.» — *compede*] ut Od. 4, 11, 23.

15. *fretis acrior*] «mobilior atque iracundior.» Od. 3, 9, 23: *improbo iracundior Hadria*.

16. *Curvantis*] pr. «impulsu undarum curvam reddentis oram Calabriae, id est, sese in Calabriam insinuantis et in his ipsis sinubus tumultuantis», (quod inest in v. *acrior*). Picturae poëticae inservit, ut Od. 4, 5, 14.

**XXXIV.** Fulmen per sudum demissum religiosum sibi terrorem incussisse dicit, ita ut Epicuri de diis doctrinam reiecturus sit.

1. *Parcus*] «exigua tantum sacrificia, si quando, afferens.» — *infrequens*] «qui raro deorum delubra adit.»

2. *insanientis sapientiae*] Apud Lucret. 5, 10. Epicuri doctrina *κατ' ἐξοχήν sapientia* vocatur; iam, huius perversitatem significaturus *insanientem* appellat, ut Aeschyl. Prom. 550: *ἄχαριν χάριν*. Soph. Aiac. 665: *ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα*. Gregor. Naz. Invect. pr. in Iulian. Ed. Paris. 1778. p. 79.: *ἄσοφος, ἵν' οὕτως ὀνομάσω, σοφία*. Cic. de Orat. 3, 58: *innuptae nuptiae*. Philipp. 1, 2, 5: *insepulta sepultura*.

3. *sapientiae consultus*] Nove dictum, ut *iuris consultus*; «versatus in ea doctrina.» Liv. 10, 22: *iuris atque eloquentiae consultus*. — *erro*] «Dum quasi per mare nullo certo consilio vagor, nunc reverti cogor ad saniorem illam

Cogor relictos: namque Diespiter,
Igni corusco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantes
Egit equos volucremque currum,

Quo bruta tellus et vaga flumina,
Quo Styx et invisi horrida Taenari

Od. XXXIV. v. 5. *relectos* B. de N. Heinsii coni.

rationem, quae deorum vim agnoscere ac pie colere nos iubet, itaque (priore imagine *erroris* magis etiam explicata) cogor *παλινδρομεῖν*, denuo ingredi cursum, quem reliqueram.» Qui retrorsum eo, unde profectus est, vela dat, *relinquit* cursum, quem tenere coeperat eumque *iterat* in reversione.

5. *Diespiter*] Varro L. L. 5, 66. Muell.: *Antiquius Iovis nomen; nam olim Diiovis et Diespiter dictus, id est dies* (genit. antiq.) *pater.*

7. «Iuppiter Fulgurator, qui fere semper nubes fulmine diffindit, hodie per sudum, de caelo innubilo fulmen misit.» Huiuscemodi autem fulmina pro gravissimis ostentis habebantur.

8. *volucrem*] Plato Phaedr. p. 246. E. ex poëta aliquo: *ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων.* Od. 1, 12, 58.

9. *bruta*] Od. 3, 4, 45: *iners*, immobilis. Festus: *Brutum antiqui gravem appellabant.* Talis autem est tellus, si cum reliquis elementis comparetur.

10. *Taenari*] promontorium Laconicae, hodie *Cap Matapan.* Ibi Neptuni templum super antrum, per quod descendi in Orcum posse antiqua fama tradebat, ut fecerat Hercules Cerberum inde abducturus. Virg. Ge. 4, 467: *Taenarias fauces, alta ostia Ditis.* — Omnia autem, quae ad mortem pertinent, et diis et hominibus sunt *invisa*, horrida, formidolosa, ut Od. 2, 14, 23. Virg. Aen. 8, 245. Iliad. *υ*, 65: *οἰχία Αἰδαλε', εὐρώεντα, τάτε στυγέουσι θεοί περ.*

11. *Atlanteusque finis*] Eurip. Hippol. 3: *τέρμονες Ἀτλαντικοί.* — «Omnia, etiam Orcum concutit supremi Iovis potentia, sive nutu sive fulmine utitur. Iam ut in naturam inanimatam vim suam exercet deus, ita etiam in vitam hominum; quae apud hos summa sunt, repentina conversione saepe deiiciuntur et pessum dantur.» Odyss. *τ*, 211.

12. *Valere* cum infinitivo (qua constructione nunquam utitur Cicero) frequens iam est apud Lucretium et Virgilium.

Sedes Atlanteusque finis
Concutitur. Valet ima summis
Mutare et insignem attenuat deus
Obscura promens; hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hic posuisse gaudet.

v. 13. *insigne* B.

13. *insignem*] «Viros illustres, principes, reges omni dignitate atque opibus spoliat.»

14. «*Obscura* contra promit ex tenebris et splendore circumdat.» Consulto genus mutavit; nam si praetulisset *insigne* vel *insignia* (Cuningh.) tota sententia loci communis formam minus poëticam induisset. Praeterea iam cogitat de Tiridate hinc regno exacto a Phraate, quocirca aptissimum est v. *insignem*. Cfr. Od. 1, 26, 5. Od. 2, 2, 17. *Fortuna* cum deo supremo copulatur ut iam in Homericis illis Iliad. o, 117: μοῖρα Διός. τ, 87: Ζεὺς καὶ Μοῖρα καὶ ἠεροφοῖτις Ἐρινύς. — *Apex* proprie flaminum insigne, pileus cum apice eminente; tum capitis ornamentum regum orientalium, tiara. Od. 3, 21, 20. *regum apices*. Hinc, ut *diadema*, tropice «regia potestas ac dignitas».

15. *stridore*] alarum, quae ei propter instabilitatem tribuuntur. Od. 3, 29, 53: *Fortuna si celeres quatit pennas*. Hic autem *stridor*, id est, semota imagine, subita rerum immutatio regnorumque eversio mortales perterrefacit.

16. *sustulit*] ἀορίστως. — *posuisse gaudet*] Non tam pro simplici *imponit*, quam: «suo arbitratu imponit.»

# ODE XXXV.

## AD FORTUNAM.

O Diva, gratum quae regis Antium,
Praesens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus vel superbos
Vertere funeribus triumphos,

Te pauper ambit sollicita prece
Ruris colonus, te dominam aequoris,

XXXV. Hymnus in Fortunam, quo, praedicata eius potentia, orat, ut servet Augustum et adversus Britannos et adversus Arabas bella molientem, quibus ex poëtae mente expientur civiles illae contentiones scelestae inde ab a. u. c. 694. ortae. (Od. 2, 1, 2.)

1. *gratum*] tibi, ut Od. 1, 30, 2: *dilectam Cypron.* — *Antium*] caput Volscorum, nunc *Anzo rovinato*. Strabo 5. p. 232. Cic. ad Att. 4, 8: *Antio nihil quietius, nihil alsius, nihil amoenius.* Ut Praeneste (Stat. Silv. 1, 3, 80: *Praenestinae sorores:*) sic Antii erant Fortunae duae, quae per sortes consulebantur (Suet. Calig. 57.) quas *veridicas sorores* appellat Martialis 5, 1, 3. Inscriptt. mear. Lat. N. 1738: FORTUNIS. VICTRICIBUS. ANTIATIBUS.

2. *Praesens*] «Tanta potentia praedita, ut ad gloriae atque opum fastigium quemvis mortalem etiam infimo loco natum tuo nutu evehas.» Ter. Phorm. 2, 2, 31: *Non tu hunc habeas plane praesentem deum?* «Praesentia dicuntur numina deorum, quae se potentiamque suam manifeste ostendunt.» PORPHYR.

4. *vertere*] «pompam triumphalem in funebrem mutare.» Sic Aemilii Paulli Macedonici triumphus duorum filiorum morte funestatus est. Liv. 45, 41. Est igitur: «Tibi si libet, laetitiae summae summus luctus repente succedit.»

5. Fortuna in nummis stolata, dextra tenens gubernaculum, laeva cornu copiae: sic h. l. ante omnes memorantur colonus et nauta eius *pacem petentes.* (Lucret. 5, 1228: *Divom pacem votis adit.*) *Ambitur* autem h. l. Fortuna, ut ambiebant Romani suos cives, in primis potentes, cum honores petebant.

6. *Ruris colonus*] Sic iungenda sunt vv., neque vero interpungenda: *Ruris* (dominam), *colonus, te dominam* cet. *Colonus* autem non

Quicunque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus asper, te profugi Scythae
Urbes gentesque et Latium ferox
Regumque matres barbarorum et
Purpurei metuunt tyranni,
Iniurioso ne pede proruas
Stantem columnam neu populus frequens
Ad arma cessantes, ad arma
Concitet imperiumque frangat.
Te semper anteit saeva Necessitas,

Od. XXXV. v. 14. *fremens* B. suspicio. v. 17. *serva* C.

quivis rusticus, sed significatu proprio, ut Sat. 2, 2, 114.

7. *Bithyna*] Navis ipsa dicitur constructa ex Bithynico ligno; nam materiem aptam ad naves fabricandas praebebant silvae Bithyniae et Ponti. — *lacessit*] Omnis enim nauta fluctus ventosque ad certamen secum ineundum audacter provocat.

8. *Carpathium*] a Carpatho (h. *Scarpanto*) insula inter Rhodum et Cretam; etiam Graeci *Καρπάθιον πέλαγος*.

9. *Daci*] tunc temporis incursionibus vexare solebant regiones imperii Romani vicinas. Virg. Ge. 2, 49: — *profugi*] *νομάδες*, *σκηνῖται*, *ἀμαξόβιοι*. Od. 3, 24, 9.

10. *Latium ferox*] animosum, bellicosum.

11. *Regumque matres*] apud Asianos praecipue honoratas, ut videmus Atossam in Aeschyli Persis. Hae igitur timent filiis, ne a Romanis regno spolientur. — *purpurei tyranni*] Virg. Ge. 2, 495: *Illum non populi fasces, non purpura regum Flexit.*

13. *Iniurioso*] *Ὕβριν*, contemptum illum significat, quo Fortuna tyrannidem evertit, quae stabilissima videbatur. *Columna stans* est felicitatis ac securitatis publicae stabilitatisque symbolum; qua columna proruta, simul evertitur imperium.

14. *frequens*] «Magna pars populi, turba seditiosa et concitata, alios cives *cessantes*, quietos, seditioni adversos propterea que cunctantes ad arma vocat.»

17. *saeva Necessitas*] veluti *σύναος*, *πάρεδρος* Fortunae severe ea exsequitur, quae placent Fortunae. Nolim autem ideo quod gemina fuit Fortuna Antias, putare alteram *Necessitatem* a poëta appellatam esse.

Clavos trabales et cuneos manu
Gestans aëna, nec severus
Uncus abest liquidumque plumbum.

Te Spes et albo rara Fides colit
Velata panno nec comitem abnegat,
Utcunque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.

At volgus infidum et meretrix retro
Periura cedit; diffugiunt cadis

18. *Clavos trabales*] Haud infrequens necessitatis imago. Aeschyl. Suppl. 944. de populi scito: τῶνδ' ἐφήλωται τορῶς Γόμφος διαμπὰξ, ὡς μένειν ἀραρότως. Apud Latinos in proverbium transierat: Cic. Verr. Accus. 5, 21: *ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, clavo trabali figeret.* — De *cuneis* ad firmandas machinas per excisiones traiectis cfr. Vitruv. 10, 18: *per media spatia tignorum insecantur et exciduntur formae, in quibus excisionibus includuntur capitula catapultarum cuneisque distinentur, ne in contentionibus moveantur. Uncis* autem ferreis lapides firmissime inter se devinciuntur et continentur, praesertim ubi in excisiones liquatum plumbum infunditur. (Vitr. 5, 10.) *Severum* vocat, quia artissime lapides continens vim in eos exercet.

21. *Spes*] Macedonius in Anthol. Pal. II, 301: *Τύχης ἑταίρας* vocat Ἐλπίδας. Spes et Fides Romae templa habebant. *Fides candida* P. Victor in Reg. VIII. Romae. — *albo — panno*] Innocentiae hoc atque candoris animi symbolum. Hesiod. Ἔργ. 200: *Λευκοῖσιν φαρέεσσαι καλυψαμένω χρόα καλὸν, Αἰδῶς καὶ Νέμεσις.* — *rara Fides*] Quod rari sunt homines fidi, ipsi deae tribuit. — «In qualicunque hominis fortuna et remanet ei spes, neque veri amici, etsi hi rari sunt, eum deserunt.»

22. *nec comitem abnegat*] sc, ut Terent. Eun. 2. 3, 84: *facile ut pro eunucho probes*, te.

23. *utcunque*] de tempore, «simul ac»; ut nos, *so wie du nur*. "Itaque Spes et Fides comitantur etiam exsulem." Nova imagine hoc ita exprimit: "Fortuna, *inimica*, adversa cum fit, ipsa quoque squalorem sumit atque una cum eo, qui exul miserque factus est, egreditur e domo olim *potente*; simul

Cum faece siccatis amici
Ferre iugum pariter dolosi.

Serves iturum Caesarem in ultimos
Orbis Britannos et iuvenum recens
Examen Eois timendum
Partibus Oceanoque rubro.

Eheu cicatricum et sceleris pudet
Fratrumque. Quid nos dura refugimus
Aetas? quid intactum nefasti
Liquimus? unde manum iuventus

lamen comites illi deae haerent Spes et Fides."

26. *cadis - - siccatis*] "Falsi amici, parasiti et meretrix usque ad ipsum illud temporis punctum, quo rex vel patronus in miseriam incidit, dolum voltu tegentes ei adulantur gaudentque commodis omnibus, quae opulenta domus offerre solet; tunc vero illico illum deserunt in calamitate pariter (ἐξ ἴσου) ferenda fraudulenti."

28. *ferre iugum pariter*] Theocr. 12, 15: Ἀλλήλους δ' ἐφίλησαν ἰσῳ ζυγῷ.

29. *in ultimos orbis Britannos*] Od. 4, 14, 18. iidem *remoti* appellantur. Catull. 11, 11: *Gallicum Rhenum horribilesque ultimosque Britannos*, — Consilium hoc Britannos debellandi aliquoties agitarat Augustus, sive verum illud fuit sive fictum, quo Romanorum animos a rebus domesticis averteret. Primum a. u. c. 720. Pannoniorum rebellione impeditus est. Postea a. u. c. 727. Postremo a. u. c. 728. Nunquam autem eo pervenit.

31. *recens examen*] "novum militum dilectum," qui duce Aelio Gallo expeditionem in Arabiam felicem suscepturi erant a. u. c. 730. — *Eois partibus*] "orientalibus oris, terris." *Oceanus* autem *ruber*, Erythraeum sive rubrum mare, h. l. praecipue sinus Arabicus et Persicus.

33. *cicatricum et sceleris*] Solita arte, ut Od. 1, 15, 12: *currusque et rabiem*, abstractum quod dicunt cum concreto artissime iungit. "Pudet nos et volnerum, quae per scelerata illa bella intestina invicem nobis infliximus, et *fratrum*, civium occisorum. Quid sceleris non commisimus?"

35. *nefasti*] h. l. pro nefandi, nefarii, diri. Sic Plin. H. N. 4, 11, 18. *nefastum crimen* (scelus) usurpavit. Proprie: *Ille* (dies) *nefastus*

Metu deorum continuit? quibus
Pepercit aris? O utinam nova
Incude diffingas retusum in
Massagetas Arabasque ferrum. 40

---

# ODE XXXVI.

## IN HONOREM PLOTII NUMIDAE.

Et ture et fidibus iuvat
Placare et vituli sanguine debito

*erit, per quem tria verba silentur.* Ovid Fast. 1, 47.

37. *continuit*] Non prorsus synonymum v. *abstinuit*, cum significet aliquem sapiente moderatione uti in abstinendo a rebus vetitis. — *metus deorum*] est *εὐσέβεια*; timor deorum contra *δεισιδαιμονία*. Cfr. Sat. 2, 3, 295.

38. *O utinam*] Precatur, ut dea ferrum bellis intestinis hebetatum in novam formam recudat, ne ullum in eo sanguinis civilis remaneat vestigium, atque ut novos hos gladios in Massagetas Arabasque, «iustos hostes», stringat.

39. *Diffingere* est aliter aliquid, ac prius fuerat, formare (reformare Schol.) Od. 3, 29, 47.

40. *Massagetae*, Scythiae gens intra Imaum montem. Plin. H. N. 6, 19: *Massagetarum multitudo innumera et quae cum Parthis ex aequo degat.*

XXXVI. Convivio adventicio celebrat Plotii Numidae, qui post decem annorum absentiam cum Augusto ex Hispania, ubi ille bellum Cantabricum gesserat, a. u. c. 730. reversus erat.

2. *placare*] Omni sacrificio *placantur* dii, eorum pax imploratur, etiamsi *irati* non sunt. — *debito*] «Diis debetur hostia votis susceptis promissa.» Porphyr. Od. 2, 7, 17.: *obligatam redde Iovi dapem.*

4. *Hesperia*] H. l. Hispania, ultima versus Occidentem regio; contra Od. 3, 6, 8 est Italia.

7. *Lamiae*] De L. Aelio Lamia cfr. Od. 1, 26. Lamia autem ex nobilissima gente ortus inter aequales pueros, cum una ludebant, primus fuerat et solebat a ludentibus *rex* creari. Epp. 1, 1, 59: *pueri ludentes, Rex eris, aiunt.* Graeci *βασιλίνδα παίζειν*. — *puertias*] syncope, ut Od. 2,

Custodes Numidae deos,
Qui nunc Hesperia sospes ab ultima

Caris multa sodalibus,
Nulli plura tamen dividit oscula
Quam dulci Lamiae, memor
Actae non alio rege puertiae

Mutataeque simul togae.
Cressa ne careat pulchra dies nota,
Neu promptae modus amphorae,
Neu morem in Salium sit requies pedum,

Neu multi Damalis meri
Bassum Threïcia vincat amystidē,

1, 1: *lamnae*. Od. 4, 13, 20: *surpuerat*.

9. *togae*] Cognati inter se et amici filiis aequalibus uno eodemque die, quo magis sollemnis esset caerimonia, togam puram sive virilem dabant, et quidem Liberalibus a d. XVI. Kal. April. Cic. ad Att. 6, 1, 12.

10. *Cressa*] Plin. H. N. 7, 40: *Vana mortalitas et ad circumscribendum se ipsa ingeniosa computat more Thraciae gentis, quae calculos colore* (albo et nigro) *distinctos pro experimento cuiusque diei in urnam condit ac supremo die separatos dinumerat atque ita de quoque pronuntiat. — Cressa* i. q. alba, candida, quia creta ex Cimolo, parva insula prope Cretam sita, a nautis Cretensibus Romam advehebatur.

11. «Ne modum servet parcior-que sit promus condus vel pocillator in amphoris ex apotheca depromendis, neu cessemus Saliorum, Martis sacerdotum, in modum saltare.» Ceterum *Salium* adiect. pro: *Saliarem*, non *Salium* pro *Saliorum*.

13. *multi - - meri*] «bibacissima.» Cic. ad Fam. 9, 26: *homo non multi cibi, sed multi ioci*. Licebat enim Athenis et Romae feminis liberiorem vitam amplexis interesse conviviis amantium.

14. *Bassum*] filium fortasse Q. Caecilii Bassi, a. u. c. 709, ducis partium Pompeianarum. — *amystide*] ἄμυστις, συνεχὴς πόσις, Hesych., potu labris nunquam clausis (ἀμυστί, ἀπνευστί), antequam poculum siccatum sit, uno ductu, ut ait Schol., hausto, qui Thracum mos erat. Cfr. Eurip. Cycl. 416: ἐδέξατ', ἔσπασεν ἄμυστιν ἀλκύονας. «Bassus tanto hodie gaudio abripiatur, ut ne Damalis quidem, strenua illa potatrix, eum

Neu desint epulis rosae
Neu vivax apium neu breve lilium.

Omnes in Damalin putres
Deponent oculos, nec Damalis novo
Divelletur adultero
Lascivis hederis ambitiosior.

---

# ODE XXXVII.

## AD SODALES.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus, nunc Saliaribus

in amystidis certamine superare queat.»

16. *vivax*] diu virens. Theocr. 13, 42: δάλλοντα σέλινα. Nicand. Ther. 211: σέλινον ἀείφυλλον.

17. *putres*] «Oculos marcescentes, molles et cupidine natantes defigent in Damalin, nec tamen propterea *divelletur* ab amatore (*novo*, quia tunc primum redierat:) quemadmodum alia fortasse faceret vel pudore tacta, vel alium iuvenem, ut in tali convivio, amplexatura.»

18. *deponent*] quia, ut res alicubi depositae, in illa intuenda immobiles manent.

19. *adultero*] casu sexto, non tertio. Sic Od. 1, 37, 5: *depromere cellis avitis*. *Adulter* autem h. l. amicus.

20. *Ambitiosior*] Primo voc. significatu usus est: «Artius Bassum complexa, quam solet hedera *lasciva*, modo huc, modo illuc vaga, serpens atque cortici se inflectens *ambire*, circumplicare arbores.»

XXXVII. Primo statim de Cleopatrae morte nuntio accepto sodales hortatur, ut totos in laetitiam se effundant; ita tamen, ut generosum reginae animum ipse quoque ultro agnoscat atque admiretur. (a. u. c. 724.)

1. Initium duxit ex Alcaei Fragm. 4., M.: Νῦν χρὴ μεθύσθην

Ornare pulvinar deorum
Tempus erat dapibus, sodales.
Antehac nefas depromere Caecubum
Cellis avitis, dum Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus et imperio parabat
Contaminato cum grege turpium

Od. XXXVII. v. 9. *turpium Opprobriorum* B. suspicio.

*καὶ τινα πρὸς βίαν Πίνην, ἐκεῖθή κάτθανε Μυρσίλος* (Lesbi tyrannus). — *nunc -- pede libero*] «Effusa laetitia hodie polemus et saltemus.» Od. 3, 18, 15: *gaudet -- pepulisse fossor Ter pede terram.*

2. **Ritum** igitur lectisternii in supplicationibus dis post insignem aliquam victoriam a senatu decretis applicat ad diem cum sodalibus laetissime celebrandum. Talia autem sollemnia coniuncta erant cum epulis opiparis. Od. 2, 14, 28: *Pontificum coenas.* Cic. ad Att. 5, 9: *epulari Salium in modum.*

4. *Tempus erat*] Concisa temporum attractione; «factum illud iam dudum oportebat atque etiam nunc oportet;» quo ipso cessationem reprehendit. Aristoph. Eccl. 877: *τί ποθ' ἅνδρες οὐχ ἥκουσιν; ὥρα δ' ἦν πάλαι.*

5. *Antehac*] bisyllabum. «in lucta publico.» — *Caecubum*, vinum generosissimum. Ager est Latii prope Fundos ad viam Appiam.

6. *cellis avitis*] «vinum iam ab avis nostris in apotheeis conditum.» — *Capitolio*] Lucan. 10, 63: *Terruit illa suo, si fas, Capitolia sistro.* Capitolium autem sanctissimum Romanis pignus aeternitatis imperii. Od. 3, 3, 42. 3, 30, 18.

7. *Regina*] vocabulum per se Romanis invisum. In veris Cleopatrae nummis appellatur *ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ. ΘΕΑ. ΝΕΩΤΕΡΑ.*—*dementes ruinas*] «dementer cogitatas». Cleopatra ipsa *demens*, insana dominandi libidine abrepta urbis Romae regina fieri volebat, quod si assecuta esset, eversum foret imperium Romanum atque in tyrannida orientalem mutatum. Dio Cassius 50, 5: *οὐ γὰρ ὅτι τὸν Ἀντώνιον, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους, τοὺς νε παρ' αὐτῷ δυναμένους, οὕτω καὶ ἐγοήτευσε καὶ κατέδησεν, ὥστ' αὐτὴν τῶν Ῥωμαίων ἄρξειν ἐλπίσαι τήν τε εὐχὴν τὴν μεγίστην, ὁπότε τι ὁμνύοι, ποιεῖσθαι τὸ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ δικάσαι.*

9. *Contaminato*] «cum turba spadonum atque exoletorum suorum.» Hos multa cum acerbitate vocat

Morbo virorum, quidlibet impotens:
Sperare fortunaque dulci
Ebria: sed minuit furorem

Vix una sospes navis ab ignibus,
Mentemque lymphatam Mareotica
Redegit in veros timores
Caesar ab Italia volantem

*gregem contaminatum* (impurum ac foedum) *virorum morbo turpium*, id est, qui turpi morbo illicitae libidinis laborant, morbosorum spadonum; *morbus* enim ut *νόσος* et *πάθος*, de impura voluptate. V. *turpium* autem, ut *contaminato*, in primis ad animum refertur insana libidine flagrantem, etsi etiam externa horum hominum species plerumque foeda est. Cfr. Epod. 9, 13: *Romanus - - spadonibus servire rugosis potest* (praesertim Pothino et Mardioni.) Contemptim etiam v. *grege*. Suet. Tit. 7: *spadonum greges*. V. *Virorum*, in quo multi haeserunt, est *κατ' εἰρωνείαν* dictum. Gregorius Nazianz. in Epitaphio Basilii Ed. Paris. 1778. pag. 806. eunuchos vocat *τοὺς ἐν γυναιξὶν ἄνδρας*, *ἐν ἀνδράσι γυναῖκας*.

10. *Impotens* dicitur, qui, eum sui compos non sit, propterea quidlibet audet et quamvis cupidinem explere gestit.

12. *ebria*] «rebus secundis elata et impos mentis,» solito etiam Graecis tropo. Demosth. Phil. 1, p. 54: *οἶμαι ἐκεῖνον μεθύειν τῷ μεγέθει τῶν πεπραγμένων*.

13. In pugna Actiaca commissa IV. Non. Sept. a. u. c. 723. regina quidem evasit cum classe sospite, sed Antonii classis plus quam CCC. navibus constans paene tota igne delata est, excepta praetoria triremi, qua ipse fugit Antonius. Plut. Ant. 68. Dio 50, 35.

14. *lymphatam*] «*νυμφόπληκτον*, vano pavore territam et consternatam, ita ut vix inito proelio, Antonii rebus etiam tunc integris, repentinam fugam capesseret.» Pavorem autem illum *παντικὸν* tribuit *Mareotico*, effusis illis cum Antonio compotationibus. Mareoticum vinum dulce, odoriferum et leve ad Mareoticam paludem circa Maream, oppidum Aegypti inferioris prope Alexandriam.

15. *redegit in*] In prosa or. frequentius *redigere ad*. Tacitus tamen Ann. 1, 51. *redigunt in aperta*. *Veri timores* opponuntur lymphaticis, ab animi errore profectis.

16. *ab Italia*] Quia processerat

**Remis adurgens, accipiter velut**
**Molles columbas aut leporem citus**
**Venator in campis nivalis**
**Haemoniae, daret ut catenis**

**Fatale monstrum: quae generosius**
**Perire quaerens nec muliebriter**
**Expavit ensem nec latentes**
**Classe cita reparavit oras.**

v. 24. *repetivit* Vatic. Reg. *penetravit* Bentl. susp.

usque ad Actium, e regione Italiae. Iunge *ab Italia volantem, non: ab Italia remis adurgens.* Rem poëtice ita exponit, ac si Octavianus Cleopatram statim post victoriam in Aegyptum usque persecutus esset, cum tamen demum a. u. c. 724. se ipsa interfecerit.

17. *accipiter*] Iliad. ξ, 138: *Ἠλείδης δ' ἐπόρουσε ποσὶ κραιπνοῖσι πεποιθώς· Ἤντε κίρκος ὄρεσφιν, ἐλαφρότατος πετεηνῶν, Ῥηϊδίως οἶμησε μετὰ τρήρωνα πέλειαν· ἣ δέ θ' ὑπαὶξ φοβεῖται κτλ.* Ad vv. *accipiter* et *venator* ex praecedd. cogitatione supple *adurget*, premit.

20. *Haemonia*] poëticum Thessaliae nomen. Rhianus in Schol. Apollon. 3, 1089: *Αἱμονίην ἀφ' Αἵμονος - - ὃ δ' αὖ τέκε Θέσσαλον Αἵμων.* — *daret ut catenis*] In eo enim omnia reposuerat Octavianus, ut illam triumpho reservaret.

21. *fatale*] «fato destinatum ad perdendum prope imperium Romanum.» — *monstrum: quae*] Constructio *πρὸς τὸ σημαινόμενον*, ut Odyss. λ, 90: *ψυχὴ Θηβαίου Τειρεσίαο, Χρύσεον σκῆπτρον ἔχων*. Cic. ad Fam. 1, 9: *illa furia muliebrium religionum, qui* cet. — Lucano 10, 59. est: *Dedecus Aegypti, Latii feralis Erinnys.*

22. *Nec muliebriter*] Vellei. 2, 87: *Cleopatra frustratis custodibus illata aspide, morsu eius sane expers muliebris metus spiritum reddidit.* — *expavit ensem*] Plut. Ant. 79: *Θεασαμένη τὸν Προκλήϊον ὥρμησε μὲν αὐτὴν πατάξαι (παρεζωσμένη γὰρ ἐτύγχανε τῶν ληστρικῶν ξιφίδιον) προσδραμὼν δὲ ταχὺ αὐτὴν ἐκώλυσεν.*

23. *nec latentes*] Narrat Plut. Ant. 69. de transvehendis e Nilo in sinum Arabicum navibus eam cogitasse et inde *ἔξω κατοικεῖν* voluisse; abiecisse tamen hoc consilium, cum naves aliquot primum transmissas ab Arabibus combustas audisset.

24. *classe cita*] «velociter navigante.» — *reparavit*] «Alias sibi

Ausa et iacentem visere regiam
Voltu sereno, fortis et asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum.

Deliberata morte ferocior;
Saevis Liburnis scilicet invidens
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

paravit, assequi studuit regiones, pro illis, quas amittendas Caesarique relinquendas esse videbat, id est, pro Aegypto.»

25. *iacentem*] «deiectam a fastigio suo, afflictam ac desolatam.» Cic. Orat. 67: *depressam, caecam, iacentem domum.*

26. *fortis tractare*] adeo fortis, ut attrectaret, manibus versaret aspides *asperas*, non tam propter squamas, quam «saevas, iratas», ut Virg. Ge. 3, 433: *anguis - - asperque siti atque exterritus aestu.*

28. *combiberet*] «ut mortiferum virus penitus imbiberet.» Cfr. de hoc mortis genere C. Rabirium Ed. Kreyssig p. 226: *Ille - - pendente suis cervicibus aspide mollem Labitur in somnum trahiturque libidine mortis. Κεντήματα λεπτὰ* in eius brachio apparuisse tradit Dio 51, 14. Virg. Aen. 8, 696: *Regina in mediis patrio vocat agmina sistro, Nec dum etiam geminos a tergo respicit angues.*

29. *ferocior*] «Animosior etiam facta, postquam certum moriendi consilium cepit.» Lucan. 4, 534: *stabat devota iuventus, Damnata iam luce ferox.* Stat. Theb. 12, 766: *Iam letale furens atque audax morte futura.*

30. *Saevis*] «hostilibus ipsique ultimam triumphi ignominiam minitantibus.» — *Liburnae* (*Λιβυρνίδες*) naves, parva ac velocia navigia, ad eorum similitudinem constructa, quibus olim Liburni, Illyrica gens, piraticam exercentes usi erant, fere biremes. Silius 13, 240: *agilis Liburna.* Harum maxime opera Antonii naves apud Actium disiectas esse Dio et alii testantur. — *invidens*] «iis minime concedens.»

31. *Privata*] «pristina dignitate spoliata, non iam regina.»

32. *non humilis*] «immo generosissima.» «Nam et T. Livius refert, illam, cum de industria a Caesare indulgentius tractaretur, identidem dicere solitam: *Οὐ θριαμβεύσομαι.*» Porphyr. Cfr. Flor. 4, 11. In triumpho postea Cleopatrae imaginem alligatis brachio aspidibus circumlatam esse

# ODE XXXVIII.

## AD PUERUM.

Persicos odi, puer, apparatus,
Displicent nexae philyra coronae;
Mitte sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.

Simplici myrto nihil allabores
Sedulus curo: neque te ministrum

Od. XXXVIII. v. 6. *cura* Bc. *curae* Cuningh.

docet Propertius 3, 11, 52: *Accepere tuae Romula vincla manus. Brachia spectavi sacris admorsa colubris Et trahere occultum membra soporis iter.*

XXXVIII. Auctumni tempore se sub trichila uno puero a cyatho comite non floreis corollis, sed myrto dumtaxat redimitum potaturum significat.

1. *Persicos apparatus*] Xenoph. Cyrop. 8, 8, 15: *ἀλλὰ μὲν καὶ ῥυπτικώτεροί γε νῦν πολὺ ἢ ἐπὶ Κύρου εἰσί.* — *odi*] «Minime iis delector.» — *puer*] Frequenter sic pocillatores alloquebantur Lyrici. Anacr. Fr. 62. B.: *Ἄγε δὴ φέρ' ἡμὶν, ὦ παῖ, Κελέβην.*

2. *philyra*] tenuissima tiliae corticis membrana interior, qua utebantur in nectendis coronis, varios inde lemniscos sive taenias texentes.

3. *Mitte*] "Omitte inquirere, ubi sub exitum auctumni rosae etiamnunc apud coronarum propolas reperiantur.» — *sera rosa*] Sic Luciani Nigrin. T. I. p. 73. reprehendit *τοὺς μέσου χειμῶνος ἐμπεπλαμένους ῥόδων.*

5. *allabores*] «Noli nimis sedulo rosas superaddere myrto semper

**Dedecet myrtus neque me sub arta**
**Vite bibentem.**

viridi ac propterea semper facile inveniendae. Non *curo*, nolo hoc facias.»

7. *sub arta*] densa, spissa trichila sive pergula, ὑπαμπέλῳ, vitibus tecta atque ideo umbrosa.

# Q. HORATII FLACCI

# CARMINUM

## LIBER SECUNDUS.

---

## ODE I.

### AD C. ASINIUM POLLIONEM.

Motum ex Metello consule civicum
Bellique causas et vitia et modos

I. Horatius cum Pollioni permulta deberet (cfr. Sat. 1, 10, 85), consentaneum erat, ut lyrico etiam carmine eius laudes praedicaret. Nihilominus cum ille iamdudum refrigeratus esset ab Octaviano, haud intimus in eius amicitia videtur fuisse poëta, sed eodem fere genere necessitudinis usus, quae ei intercedebat cum Munatio Planco, cum Dellio, cum Salustio Crispo minore, cum ipso M. Agrippa, quibus singulis singula dumtaxat *μέλη* inscripsit. Nihilominus grati animi plenus eam occasionem Pollionis laudandi sumit, quam offerebat bellorum civilium historia ab eo composita vel iam recitata vel mox edenda. Scriptum est carmen circa a. u. c. 725 — 727.

1. *Motum*] bella intestina, quae primordium ceperant inde ab a. u. c. 694., Q. Caecilio Metello Celere et L. Afranio coss., quo anno Caesar, Pompeius, Crassus societatem rei publicae ad suam voluntatem regendae inierunt, quem priorem triumviratum, etsi minus recte, cum magistratus non fuerit, volgo appellant.

2. *causas*] caedem Crassi, mor-

Ludumque Fortunae gravesque
Principum amicitias et arma

Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosae plenum opus aleae,
Tractas et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

Paullum severae Musa tragoediae
Desit theatris: mox ubi publicas

Od. I. v. 5. *tincta* Bc.

tem Iuliae, ambitionem aemulationemque Caesaris et Pompeii cet. — *vitia*] partim Crassi in expeditione adversus Parthos suscepta, partim Pompeii eiusque partium. — *modos*] totius belli tenorem.

3. *ludumque Fortunae*] varias vicissitudines ludibriumque Fortunae praesertim in interitu et Pompeii et Caesaris. — *graves*] Vell. 2, 44: *Caesare consule* (a. u. c. 695. sed accuratior Horatius:) *inter eum et Cn. Pompeium et M. Crassum inita potentiae societas, quae urbi orbique terrarum nec minus diverso quamquam tempore ipsis* (gravis) *exitiabilis fuit.*

5. *Nondum expiatis*] Quia nimia etiam post Antonium oppressum remanebant scelerum civilium reliquiae, longo tantum Octaviani principatu removendae. Od. 1, 2, 29. — *uncta*] «polluta.» Verbum, quod Bentleio vix Latinum videbatur, firmatur a Silio 9, 13: *hostilique unguere primus Tela cruore.*

6. *aleae*] de incerto ac fortuito eventu cuiusvis incepti, ut «Iacta est alea.». Ideo autem periculosum Pollionis inceptum, quia vix aliter fieri poterat, quam ut hunc vel illum, filios quoque et amicos eorum, quorum magnae in bello domestico partes fuerant, etiam vero simpliciter patefacto laederet.

7. *ignes*] Proverbii speciem habet. Suidas: Ἐν πυρὶ βέβηκας, Τοῦτο ἐπιλέγειν χρὴ ἐν τοῖς ἐν ἐπισφαλέσι καὶ ἐπικινδύνοις πράγμασιν ἐμφιλοχωρεῖν ἐθέλουσι.

9. *Paullum*] «Donec absoluta sit historia tua, per breve tempus utique vacare tibi licet a componendis tragoediis.» Sat. 1, 10, 42: *Pollio regum Facta canit pede ter percusso.* Virg. Ecl. 8, 10: *Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.* — *severae*] Ovid. Amor.

Rès ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,

Insigne maestis praesidium reis
Et consulenti, Pollio, curiae;
Cui laurus aeternos honores
Dèlmatico peperit triumpho.

Iam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures, iam lituì strepunt;

v. 16. *Dalmatico* C.

3, 1, 11: *Venit et ingenti violenta tragoedia passu; fronte comae torvae, palla tacebat humi.*

10. *desit*] «sese subtrahat scenae, remota maneat a scena.» «Ubi *publicas res*, id est, res inter cives gestas, eo ordine, quo gestae sunt atque inter se connexae, exposueris.» *Ordinaris*, (ut συντάττειν) utique de historia componenda, non de civitate ordinanda. *Res publicae* h. l. pro «negotiis publicis», τοῖς πολιτικοῖς.

11. *munus*] Quidquid aliquis suscipit, hoc ejus fit *munus*, partes, *Aufgabe*. *Cecropio* autem *cothurno* innixus, quia apud Athenienses, inventore Thespi, floruit hoc poësis genus.

13. Iam Asinium oratorem laudat Quintil. 12, 11, 28: *An Pollio et Messala, qui iam Cicerone tenente arcem eloquentiae agere coeperunt, parum in vita dignitatis habuerunt, parum ad posteros gloriae tradiderunt? — maestis reis*] ut, cum defendit Nonium Asprenatem, Moschum, Apollodorum, omnes veneficii reos. Senatus autem *praesidium* appellatur propter sententias e re publica in eo dictas. Proprie consul *consulit* senatum, cum sententias rogat hac formula: Dic M. Tulli; tum ipse senatus *consulere* dici potest, id est, deliberare.

16. *Delmatico*] Cum debellasset Parthinos, populum Illyrici, Delmatiae finitimum.

17. *Iam nunc*] Fingit se iamiam summa Pollionis arte historica atque ἐναργείᾳ in medias res abreptum esse, exempli causa, in ipsam pugnam Pharsalicam.

18. *perstringis*] *Perstringere* de auribus acuto vel terribili sono percussis, *praestringere* de oculis subito splendore vel fulmine prope caecatis.

Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos equitumque voltus.

Audire magnos iam videor duces
Non indecoro pulvere sordidos,
Et cuncta terrarum subacta
Praeter atrocem animum Catonis.

Iuno et deorum quisquis amicior

v. 21. *Videre* Bc.

20. *voltus*] Voltu nimirum proditur timor. Cic. pro Mil. 29: *Quid voltu extimuistis?* Nec obliviscendum in acie Pharsalica «primum equitatum esse pulsum.» Caesar B. C. 3, 94.

21. *Audire*] scil. contionantes, ut in pugna Pharsalica Pompeium, Labienum, Caesarem. Omnino autem haec omnia (strepitus lituorum, fulgor armorum, ducum militaris eloquentia) cum ex Pollionis historia lecta ad Horatii mentem perventura eamque vehementer percussura sint, rectissime per zeugma uno *audiendi* verbo utitur.

22. *sordidos*] aspersos pulvere medio in tumultu excitato, qui pulvis ipse illorum fortitudinem atque audaciam demonstrat. Marius apud Sal. Iug. 85: *sudorem, pulverem et alia talia nobis relinquunt* nobiles.

23. *subacta*] a Caesare. Vellei. 2, 56: *Caesar omnium victor regressus in urbem — quinque egit triumphos, Gallicum, Ponticum, Alexandrinum, Africum, Hispaniensem.*

24. *atrocem*] Atrocitas h. l. in laude ponitur, ut *atrocem virtutem* dixit Silius 13, 369. Ferocem igitur dicit Catonem atque imperterritum propter libertatis amorem atque virtutis conscientiam. — *Catonis*] Od. 1, 12, 35. Florus 4, 2: *Cato* (Uticae) *accepta partium* (Scipionis et Iubae ad Thapsum) *clade nihil cunctatus, ut sapiente dignum erat, mortem etiam laetus accivit. Nam postquam filium comitesque ab amplexu dimisit, in nocte lecto ad lucernam Platonis libro, qui immortalitatem animae docet, paullulum quievit, tum circa primam vigiliam stricto gladio revelatum manu pectus semel iterumque percussit. Ausi post hoc medici violare virum fomentis. Ille passus, dum abscederent, rescidit plagas, secutaque vis sanguinis moribundas manus in volnere reliquit.* (a. u. c. 708.)

25. Hinc, satis cum praedicasset Pollionis laudes, transit ad deflenda bellorum domesticorum calamitates ac scelera. — *Iuno* apud poëtas Latinos est dea patrona sive

Afris inulta cesserat impotens
Tellure victorum nepotes
Rettulit inferias Iugurthae.

Quis non Latino sanguine pinguior
Campus sepulcris impia proelia
Testatur auditumque Medis
Hesperiae sonitum ruinae?

Qui gurges aut quae flumina lugubris

praeses Africae, quia sua cum Iunone Karthaginiensium Astarten, quae in Inscriptionibus modo INVICTA CAELESTIS, modo IUNO CAELESTIS appellatur, confundebant.

26. *impotens*] h. l. primo significatu, «qui resistere non potuerat armis Romanis neque adeo ulcisci terras, quae in eorum fuerant tutela.» Dii autem *excedunt* ex urbibus devotis, certa formula, quam nobis servavit Macrobius Sat. 3, 9., *evocati*. Virg. Aen. 2, 351: *excessere omnes adytis arisque relictis Di*.

27. *nepotes*] Ante alios de iis cogitavit, qui ad Thapsum occiderunt, ubi Pompeianorum interfecti sunt X milia. Bell. Afr. 86.

28. *Rettulit*] «vicissim reddidit piaculi causa tamquam *inferias Iugurthae* Manibus.» Iugurtham autem et Horatius et Propertius in imagine non minus poëtica 3, 5, 16: *Consule cum Mario, capte Iugurtha, sedes:* prae aliis regibus devictis memorasse videntur, quod tum omnium manu terebatur praeclara Salustii cura.

29. *pinguior*] Plutarch. Opp. 2. p. 842: *Ἀρχίλοχος λέγει πιαίνεσθαι πρὸς τοῦ πολέμου τὰς ἀρούρας*.

30. *sepulcris*] Tumuli per campos exstantes testes quasi proeliorum sunt.

31. *Medis*] «Ipsis quoque Parthis fama nuntiavit imperii Romani *ruinam*, summam calamitatem ac prope interitum.»

32. *Hesperiae*] adiectivum v. *ruinae*, hic de Italia, alibi de Hispania (Od. 1, 36, 4.) — *sonitum*] in pedestri orat. «fragorem.»

33. *gurges*] Poëtae hoc v. usurpant communi notione et maris (Virg. Georg. 4, 387.) et fluminis, hinc hoc loco *gurgiti* subiunguntur *flumina* et *maria*; adiecto etiam v. *ora* consulto immoratur tristi huic imagini, nullum esse terrarum locum, qui Romano sanguine infectus non sit. Florus 4, 2: *Si locum et spatium inspicias, ubi commissum est* bellum ci-

Ignara belli? quod mare Dauniae
Non decoloravere caedes?
Quae caret ora cruore nostro?

Sed ne relictis, Musa procax, iocis
Ceae retractes munera neniae:
Mecum Dionaeo sub antro
Quaere modos leviore plectro.

## ODE II.

### AD C. SALLUSTIUM CRISPUM.

Nullus argento color est avaris
Abdito terris, inimice lamnae

vile, *intra Italiam, inde se in Galliam Hispaniamque deflexit, reversumque ab occasu totis viribus in Epiro Thessaliaque consedit; hinc in Aegyptum subito transiliit: inde respexit Asiam; inde Africae incubuit; postremo in Hispaniam regiravit et ibi aliquando defecit.*

34. *Dauniae*] adiectiv., Apulae, pro Romanis universe.

37. Quasi nimis audacter sese extulisset, ab impetu vehementissimo repente se revocat, ut Od. 3, 3, 70. — *procax*] «petulans, proterva»; sed retinet originis a v. *procandi* notionem.

38. *Ceae - neniae*] «Ne tu quoque nunc tractes mihique inspires nenias, θρήνους, cantus lugubres (Cic. de Legg. 2, 24.) quales olim composuit Simonides Ceus. Hinc tamquam proverbii loco usurpari coepta est *Cea nenia*. Catull. 36, 8: *maestius lacrimis Simonideis*. — *munera*] Neniae, ut supra v. 11., *munera* sunt omnia ea, quae praestare debet θρῆνος, ut laudem mereatur, non Μουσάων δῶρα.

39. *Dionaeo sub antro*] Dione, Veneris mater, Iliad. ε, 370. Hinc Theocr. 15, 106: Κύπρι Διωναία. Sed etiam apud Ovid. Fast. 2, 461 *Dione* appellatur ipsa Venus. Es igitur antrum Veneri dicatum, in

Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.

Vivet extento Proculeius aevo, 5
Notus in fratres animi paterni:

quod ingresso poëtae de amoribus tantummodo, non de rebus lugubribus canere licet.

II. Tac. Ann. 3, 30: *Fine anni* (u. c. 773.) *concessit vita Sallustius Crispus. Hunc equestri ortum loco C. Sallustius, rerum Romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen adscivit. Atque ille quamquam prompto ad capessendos honores aditu Maecenatem aemulatus sine dignitate senatoria multos triumphalium consulariumque potentia anteiit, diversus a veterum instituto per cultum et munditias: copiaque et affluentia luxu propiore, suberat tamen vigor animi ingentibus negotiis par, eo acrior, quo somnum et inertiam magis ostentabat. Igitur incolumi Maecenate proximus, mox praecipuus, cui secreta imperatorum inniterentur - -, aetate provecta speciem magis in amicitia principis quam vim tenuit.* Hoc carmine laudat Salustii sapientiam in divitiarum usu: neutiquam vero eum, ut rati sunt nonnulli, vel ab avaritia vel a pecuniae profusione dehortatur, quae inepta fuisset arrogantia in virum loco tam excelso collocatum. Compositum autem est carmen post a. u. c. 728., ut videtur, a. 730.

1. *color*] Plin. 33, 3, 19: *color in argento clarior est* (quam in auro) *magisque diei similis* cet. Poëtica ratio potius intelligi iubet de venis argenti in terrae gremio latentibus, quam de thesauris humo defossis. Anonymus apud Plutarchum *περὶ δυσωπίας* Vol. 3. p. 148: *Οὐκ ἔστ' ἐν ἄντροις λευκὸς, ὦ ξέν', ἄργυρος.*

2. *inimice*] in prosa orat. «contemptor.» Voc. *lamina* autem ipsum non sine contemptu, ut apud Senecam de Benef. 7, 10. — «Hoc, quod dico, verum esse tu,» inquit, «agnoscis, Crispe Sallusti, qui nihili facis laminam, nisi in quantum humanis usibus (et iis quidem sapienter moderatis, a nimio luxu alienis) inserviat.» Bentl.

3. *Crispe Sallusti*] inverso ordine, ut Od. 2, 11, 2: *Hirpine Quinti.*

5. *extento*] «longum in aevum producto.» — *Proculeius*] «Caius Proculeius Varro Muraena, eques Romanus (frater Terentiae Maecenatis), amicus Augusti, rarissimae pietatis erga fratres suos fuit, adeo ut bona sua cum iis aequis partibus diviserit, quibus illi in bello civili erant spoliati.» Porphyr. Tacit. Ann. 4, 40.

6. *notus animi*] in orat. pedestri, «notus propter animum.» Od. 4, 13, 21: *nota artium.*

Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas et uterque Poenus
Serviat uni,

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi

Od. II. v. 7. *agit* C. v. 11. *uterque pontus* Schrader.

7. *aget*] «Fama eum vehet, tollet alis suis per populos.» Virg. Aen. 9, 473: *pennata per urbem Nuntia Fama ruit.* Notum Ennianum illud: *Volito vivu' per ora virum.* — *metuente solvi*] περφυλαγμένῃ λύεσθαι, cavente languescere; «cuius nulla unquam dissolutio est futura.» Od. 3, 11, 10: *metuitque tangi*, «tangi se non patitur.» Od. 4, 5, 20: *culpari metuit fides*, «nemo est qui eam violare velit.»

10. *spiritum*] animum, τὸ ἐπιθυμητικόν. «Qui pecuniae cupiditatem domat adeoque a divitiis coacervandis sapienter abstinet, *latius regnat*, magis regis nomen meretur, beatiorque erit, quam si latifundia per Africam et Hispaniam continuet, quibus administrandis multas et molestas curas impendat necesse est.» Homines locupletes saepe *reges* dicuntur, ut Od. 1, 4, 15: *Regumque turres.*

11. *uterque Poenus*] «Cum qui Karthaginem et Uticam habet in Africa, tum qui Gades condidit; coloniae Karthaginiensium aliae in Hispania non excluduntur.» Gesn. Haud raro autem et Gaditani et ceterae Karthaginiensium coloniae in Hispaniam maxime Baeticam deductae Poenorum nomine appellantur. De Gaditanis Cic. pro Balbo 14: *Ignosco tibi, si neque Poenorum iura calles.* Livius 28, 37. Plin. 3, 1, 3. Nihil autem impedit, quo minus Horatius Karthaginienses et Poenos Hispanienses *utrumque Poenum* appellavit, etsi proprie non fuit Phoenice maior et minor, ut propterea dicitur *utraque Phrygia, utraque Armenia, uterque Maurus.* Similis continuatarum, iunctarum possessionum mentio fit Od. 3, 16, 39.

13. *hydrops*] «Morbus molestissimus ingravescit, ubi aegrotus medicorum praeceptis posthabitis sitim explere conatur; nec tamen

Fugerit venis et aquosus albo
Corpore languor.

Redditum Cyri solio Phraaten
Dissidens plebi, numero beatorum
Eximit Virtus populumque falsis
Dedocet uti

Vocibus, regnum et diadema tutum
Deferens uni propriamque laurum,

v. 18. *beatum* C.

aliter sitis ista restinguitur, nisi causa morbi sublata.»

15. *aquosus*] «Aqua intercus languidum reddit hydropicum.» — *albo*] Hoc genus aquae inter cutem λευκοφλεγματίαν vocat Celsus 3, 21.

17. *Cyri solio*] Arsacidae regum Persicorum successores sese ferebant. Inscriptio nummi huius Phraatis: *Βασιλέως βασιλέων Ἀρσάκου εὐεργέτου δικαίου ἐπιφανοῦς φιλέλληνος.* Apud Plutarch. Alex. 30. Darius: «*μηδείς*», inquit,» ἄλλος ἀνθρώπων καθίσειεν εἰς τὸν Κύρου θρόνον πλὴν Ἀλεξάνδρου.» — *Phraaten*] Phraates IV. propter immanem crudelitatem a Parthis expulsus (a. u. c. 724. Dio 51, 18.) ad Scythas confugerat, quorum ope a. u. c. 728. in regnum restitutus est. Iustinus 42, 5.

18. *beatorum*] Servavi hanc Codd. meorum scripturam sic pronuntiandam: *beátor' Eximit*, cum *beatum* Codd. et aliquot Grammaticis deberi videatur.

19. *virtus*] «Homo vera virtute praeditus immanem tyrannum beatis nunquam adnumerabit, falsisque rerum nominibus pravoque adeo iudicio imperitam multitudinem (quae propter hoc ipsum, quod Phraates regnum recuperavit, eum beatum praedicat:) uti docet, idque iudicium ut tandem missum faciat, suadet.»

21. *vocibus*] Thucyd. 3, 82: *τὴν εἰωθυῖαν ἀξίωσιν τῶν ὀνομάτων ἐς τὰ ἔργα ἀντήλλαξαν τῇ δικαιώσει.* Sal. Catil. 52: *iampridem nos vera rerum vocabula amisimus.*

22. *propriamque laurum*] ut Sat. 2, 2, 5: *propria munera.* «laurum manentem atque certam»; coronae autem laureae inter regum insignia. Iam Stoicorum erat sententia regem esse unum sapientem illum perfectum, quem animo sibi informarant.

Quisquis ingentes oculo inretorto
Spectat acervos.

---

# ODE III.

## AD Q. DELLIUM.

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis

Od. III. v. 2. *ac bonis* B.

23. *inretorto*] «Sapiens adeo contemnit thesauros eos praeteriens et videns, ut ne retorquere quidem oculos ad illes atque vel per temporis punctum eos intueri dignetur, cum incensus cupiditate avarus identidem ac dîu ad auri acervos respecturus esset.» Lucian. Piscat. 46: *προθεὶς χρυσίον καὶ δόξαν καὶ ἡδονήν, ὃν μὲν ἂν αὐτῶν ἴδῃς ὑπερορῶντα καὶ μηδαμῶς ἑλκόμενον πρὸς τὴν ὄψιν, οὗτος ἔστω ὁ τῷ θαλλῷ στεφόμενος· ὃν δ' ἂν ἀτενὲς ἀποβλέποντα καὶ τὴν χεῖρα ὀρέγοντα ἐπὶ τὸ χρυσίον, ἀπάγειν ἐπὶ τὸ καυτήριον κτλ.*

III. Seneca Suasor. p. 7. Bip.: *Dellium Messala Corvinus* desultorem bellorum civilium *vocat, quia a Dolabella ad Cassium transiturus salutem sibi pactus est, si Dolabellam occidisset, et a Cassio deinde transiit ad Antonium; novissime ab Antonio transfugit ad Caesarem. Hic est Dellius, cuius Epistolae lascivae ad Cleopatram feruntur.* Q. Dellius tunc, cum carmen hoc compositum est (a. u. c. 725?), videtur inter Caesaris Maecenatisque familiares fuisse, quapropter ei carmen unum saltem, ut aliis eiusdem condicionis viris, inscribere humanitatis et officii sui duxit Horatius. Sed cum nec valde familiaris ei esset, neque hominem ambiguum nimis suspiceret, scite admodum locum communem de recto vitae usu pertractavit, ad constantiam ac moderationem (quas virtutes ei deesse minime ignorabat:) ita eum exhortans, ut ne ullam quidem reprehensoris speciem assumeret.

1. *Aequam*] «Fortî constantique animo perfer adversam fortunam,

Ab insolenti temperatam
Laetitia, moriture Delli,

Seu maestus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni.

Quo pinus ingens albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis, quo et obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo,

v. 9. *Qua* Meinecke.

v. 11. *Ramis et* Meinecke.

si unquam tibi superveniet.» Plaut. Rud. 2, 3, 71. *Animus aequus optimum est aerumnae condimentum.*

*4. moriture*] «Quando quidem tibi quoque moriendum est ac propterea nihil te iuvant nec sollicitudines, nec effusa laetitia.»

6. *in remoto gramine*] «in prato propter ipsam solitudinem pergrato illi, qui tranquille et a nemine interpellatus potare cupit.»

8. *nota*] Nomina consulum, quibus nata erant vina, cadis inscribebantur. Iam consentaneum erat, ut in apothecis cadi vini recentis semper ponerentur ante prius conditos; unde fiebat, ut, quo vetustiora essent vina, eo longius ab ostio essent remota ac depromenda ex *interiore* cella.

9. *Quo pinus*] «Ferre iube vina *eo, ubi* cet., respondetque *huc;* — *pinus*] Italica, *Pinie*, quae sane ingentes sunt et simul ἀμφιλαφεῖς; tum *populus* (λεύκη) Virgilio Aen. 8, 276: *bicolor.*

10. *hospitalem*] «viatores ad se invitantem.» Virg. Ge. 4, 24: *Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbor.* — *consociare amant*] Sensum amoris, quo ramis sese implicantibus umbram ita inter se coniungunt, ut duabus sub arboribus una umbra fruatur viator, ipsis arboribus tribuit; non est enim simplex illud «φιλοῦσι, solent.»

11. *quo et obliquo*] Sic scribendum videbatur pro volgato: *et obliquo.* Libri ex mihi notis meliores fluctuant inter *quo obliquo* et *quid obliquo;* In nostra lectione utraque imago et arborum hospitalium et rivi grato murmure viatorem ad se vocantis, magis separatur et quidem

Huc vina et unguenta et nimium breves
Flores amoenae ferre iube rosae,
Dum res et aetas et Sororum
Fila trium patiuntur atra.

Cedes coëmptis saltibus et domo
Villaque, flavus quam Tiberis lavit
Cedes, et exstructis in altum
Divitiis potietur heres.

Divesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper et infima
De gente sub divo moreris,
Victima nil miserantis Orci.

*ποιητικωτέρως* quam in volgata aeque coniecturae debita.

12. *lympha fugax*] «Cum rivus sit *obliquus*, multis eius flexibus aqua fugax, quae naturam suam sequi et rapide decurrere cupit, retardatur, adeo ut *laboret trepidare*, non sine obstaculo deorsum fluat, ex qua ipsa mora gratum rivi murmur oritur.»

15. *res*] «tota vitae tuae condicio ac singulae occasiones;» non: «*οὐσία*, patrimonium.» — *sororum*] «Donec Parcae sinent.» (Virg. Aen. 12, 147.) Parcarum *atra* dicuntur fila, «quia nunc quidem nentur Dellio, sed necessario mortem tandem afferent.»

17. *coëmptis*] «emptionibus inter se per longum tractum iunctis,» quae tunc locupletum erat cupiditas.

18. *lavit*] In *μέλεσιν* Horatius semper utitur antiqua forma *lavere*. Villae autem propter Tiberim sitae ob commeatus facilitatem magni aestimabantur.

19. *exstructis-Divitiis*] «acervis auri argentique, vasorum, vestis stragulae cet. accumulatis.»

21. *Inacho*] «Utrum vel antiquissima stirpe ortus sis, uti ab Inacho illo, prisco Argivorum rege cet.» Virg. Aen. 7, 371. «*Dives* autem vel ideo, quod ex antiquissima et nobilissima gente descendis.»

23. *sub divo*] in pros. orat. «hac luce fruaris, in terris verseris.»

24. *nil miserantis*] Hesiod. Theog. 456 de Orco: *νηλεὲς ἦτορ ἔχοντος*.

Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur urna serius ocius
Sors exitura et nos in aeternum
Exilium impositura cumbae.

# ODE IV.

## AD XANTHIAM PHOCEUM.

Ne sit ancillae tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu: prius insolentem

25. *cogimur*] «Gregis instar compellimur, *συναγόμεθα*, aurea illa Mercurii *ψυχοπομπεῖ* virga.»

26. *Versatur urna*] Cogitanda Necessitas dea, *Μοῖρα*, *Εἱμαρμένη*, quae urnam tenet, in quam omnium hominum sortes coniectae sunt, quamque continenter *versat*, *πάλλει*, quatit. Iam cuius nomen inde *exit* (hoc v. pr. de sorte ex urna exsiliente:) huic fatale est mori. Od. 3, 1, 16.

28. *impositura cumbae*] Dativ. «Iussura nos conscendere Charontis navem, quae nos perducat in aeternum exilium, in quod pellimur a sede nostra terrestri eiusque commodis.»

IV. Per totum carmen festivissima *εἰρωνείᾳ*, quae tamen nihil habet offensionis, ridet sodalem suum, Xanthiam, ancillae callidae et lucri cupidae amoribus irretitum. Quis Xanthiae nomine tecte significetur, ignoramus; cogitavit nonnemo de *Flavio* aliquo; Cod. Turic. in Inscript.: *ad Xanthiam iatraliptam*. Cur autem *Φωκεύς* (Phocensis, non Phoceus) appelletur, nemo adhuc exputavit; verum prorsus similia sunt illa Od. 2, 5, 20. Od. 1, 27, 10. Od. 3, 9, 14. Od. 3, 12, 6.

2. *insolentem*] A. P. 122: Achilles *Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis*. V. *prius* pertinet ad totam istam exemplorum seriem: «Iam olim ante te heroes ancillarum amoribus obnoxii fuerunt.» Sed in hoc ipso inest summa huius carminis festivitas, quod fingit amicum veluti heroicis temporibus amare captivam.

Serva Briseis niveo colore
Movit Achillem;

Movit Aiacem Telamone natum
Forma captivae dominum Tecmessae;
Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta,

Barbarae postquam cecidere turmae
Thessalo victore et ademptus Hector
Tradidit fessis leviora tolli
Pergama Graiis.

Nescias, an te generum beati
Phyllidis flavae decorent parentes:

4. *Achillem*] Iliad. ι, 342: ὡς καὶ ἐγὼ τὴν Ἕκ θυμοῦ φίλεον δουρικτήτην περ ἐοῦσαν.

6. *Tecmessae*] Hinc apud Soph. Aiac. 486. eum sic alloquitur: ὦ δέσποτ' Αἴας' -- Ἐγὼ δ' ἐλευθέρου μὲν ἐξέφυν πατρὸς (τοῦ Φρυγίου Τελεύταντος) - νῦν δ' εἰμὶ δούλη.

7. *Atrides*] Dum Troia capitur, Aiax Oilei Cassandram ex Palladis templo rapuit; postea in praedae divisione Agamemnoni cessit, a quo Mycenas ducta est, ubi eam Clytaemnestra una cum Agamemnone trucidavit. Odyss. λ, 420. Vv. *medio in triumpho* iunge cum v. *arsit*, non cum vv. *virgine rapta*.

9. *Barbarae*] Frequentissimo usu apud tragicos Graecos et poëtas Latinos pro *Phrygiis*. Ennius apud Cic. Tusc. 1, 35: *astante ope barbarica*.

10. *Thessalo victore*] Hunc Graeciae populum praeter ceteros memorat, et propter Achillem, qui magnas antea strages inter Troianos ediderat, Hectoremque, *belli moram*, occiderat, et quia sine Neoptolemo, Myrmidonum tunc duce, Troia capi omnino non poterat. — *ademptus Hector*] Iliad. ω, 243: Ῥηΐτεροι γὰρ μᾶλλον Ἀχαιοῖσιν δὴ ἔσεσθε Κείνου τεθνειῶτος ἐναίρεμεν.

11. *fessis*] «Quorum vires per decennium illud duris belli laboribus prope exhaustae erant.» — *leviora*] pro «faciliora», ut Liv. 5, 23: *tandem ad id, quod levissimum videbatur, decursum est*. — *Tolli* autem in prosa orat.: «capi ac deleri.»

13. *Nescias*] «Fortasse aliquando reperies, locupletes Phyllidis parentes tibi decori esse, adeo ut sine ulla vituperatione iam nunc pro

Regium certe genus et Penates
Maeret iniquos.

Crede non illam tibi de scelesta
Plebe dilectam, neque sic fidelem,
Sic lucro aversam potuisse nasci
Matre pudenda.

Brachia et voltum teretesque suras
Integer laudo; fuge suspicari,
Cuius octavum trepidavit aetas
Claudere lustrum.

Od. IV. v. 24. *Condere* Bentl. suspicio.

uxore habeas hanc peregrinam, atque ita illorum sis tamquam gener.»

15. Summa rursus *εἰρωνεία* in seqq. inest: «Certe regis alicuius orientalis filia est et queritur de fato iniquo, cuius saevitia ex aula in servitutem detrusa est.» «Propterea maesta est, quod regium suum genus adeo depressum ac pristina dignitate spoliatum est.» — *Penates* autem *iniqui* sunt «parum propitii, quoniam patrium Phyllidis regnum tutari noluerunt.»

17. *Scelestam* vocat plebem infimam propterea quod ab eiusmodi maxime hominibus scelera, homicidia, rapinae patrantur sordidusque quaestus exercetur.

18. *dilectam*] «amatam», ut Od. seq. v. 17., non «selectam, electam». — *sic fidelem*] Omnibus his *κατ' εἰρωνείαν* contraria significari apparet.

20. *Matre pudenda*] «quae ipsa quoque ancilla fuisset, servi alicuius contubernalis, sive focaria», ut posteriores loquebantur.

22. *Integer*] «sine ulla cupiditate, innocens et castus, utpote cui minime propositum sit, illam a te divellere mihique conciliare.» Haec omnia iocose.

23. *trepidavit*] «Etenim rapido temporis decursu iam quadragenarius factus sum adeoque minus iam propensus ad res amatorias.» Compositum igitur est carmen a. u. c. 729.

# ODE V.

## LALAGE.

Nondum subacta ferre iugum valet
Cervice, nondum munia comparis
Aequare nec tauri ruentis
In venerem tolerare pondus.

Circa virentes est animus tuae
Campos iuvencae, nunc fluviis gravem
Solantis aestum, nunc in udo
Ludere cum vitulis salicto

Praegestientis. Tolle cupidinem
Immitis uvae: iam tibi lividos

V. Ut in carmine praecedente ridet amorem ancillarem, sic in hoc amorem puellae immaturae venustissimis coloribus nobis depingit.

1. *iugum*] frequenti imagine, etiam in v. δάμαρ conspicua. Plaut. Curcul. 1, 1, 50. de puella: *Iamne ea fert iugum?*

2. *munia comparis*] «In trahendo plaustro et in arando nondum pariter est robusta atque alter iuvencus, quocum *aequo*, eodem iugo iuncta est.» *Compar* idem quod iugalis. Ovid. Am. 3, 5, 38: *in vacca compare taurus eras.*

4. *Circa virentes*] «Minime adhuc tauri impetum fert, sed nihil aliud quaerit quam herbosa pascua.»

6. *iuvencae*] Sophocl. Trach. 511. de Deianira: ἀπὸ ματρὸς ἄφαρ βέβαχεν ὥστε πόρτις ἐρήμα.

9. *praegestio*, ὑπερπροθυμοῦμαι. Glossar.

10. *immitis*] acerbae, ὄμφακος.

11. Verba sic ordinanda: *Auctumnus varius distinguet colore purpureo racemos lividos*, non: *Auctumnus distinguet racemos lividos varius colore purpureo.* «Mox Auctumnus varians fructuum colores uvam *distinguet* [aliter tinguet, purpureo colore, quem

Distinguet Auctumnus racemos
Purpureo varius colore.

Iam te sequetur: currit enim ferox
Aetas et illi, quos tibi dempserit,
Apponet annos; iam proterva
Fronte petet Lalage maritum.

Dilecta, quantum non Pholoë fugax,
Non Chloris albo sic humero nitens,
Ut pura nocturnis renidet
Luna mari, Cnidiusve Gyges,

Od. V. v. 14, *quod tibi dempserit, Apponet annum* vel *quot — annos* Bentl. suspicc.

statim sequetur niger, plenae maturitatis signum. Velut auctumnus fructibus maturitatem praebet, ita tempus amatam puellam maturam et habilem tibi reddet.»

13. *ferox*] indomita, intractabilis illa aetas, qua puellae viros fugere solent.

14. *dempserit*] Anni vitae et vere vitalis et sperandae *demi* nobis videntur post annum aetatis circiter XLV.; *adolescentibus* contra et virginibus iidem illi anni felices, ut nobis videtur, *apponuntur* usque ad annum XX virgini Italicae, XXV. Germanicae, XXXV. vel si mavis XL. inveni, ubi cogitamus hunc vel illum annum viridioris aetatis, qua gaudent aequales nostri aliquanto iuniores, nobis iam praeteritum esse.

17. «Dilecta omnibus, quantum hic Pholoë neque Chloris neque Gyges.» Ita vv. *albo — mari* continent Chloridis praeconium, ut in seq. strophа laudatur Gyges. Inest autem in utroque elogio Chloridis et Gygae vere *ἀντιστρόφῳ* venustissima, ut ita dicam, malitia. Eam enim ob causam laudat puellas puerumque pulcherrima forma insignes et amari sese iam sinentes, quo Lalagen stimulet, ut quam primum illi choro accedat.

19. *pura*] «Habens serena nocte lumen integrum.» SCHOL. — *renidet*] *ἀντιλάμπει* explicat Philoxenus. Ut hic *nitens* de vivo splendore, de mitiore *renidet*, sic Apul. Met. 2. p. 108. Oud.: *Quid? cum capillis — nitor splendidius illuxit et contra solis aciem vegetus fulgurat vel placidus renidet.*

20. *Cnidus* s. *Gnidus*, Cariae urbs.

Quem si puellarum insereres choro,
Mire sagaces falleret hospites
Discrimen obscurum solutis
Crinibus ambiguoque voltu.

---

# ODE VI.

## AD SEPTIMIUM.

Septimi, Gades aditure mecum et
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra et

21. Fingit *hospitibus*, convivis advenis, qui puerum non prius nossent, advocatis in conclave induci puellarum chorum atque inter eas feminea veste sumpta etiam Gygem, passis crinibus et voltu nondum lanugine ab illis distincto. «Tum quantumvis perspicaces, si iis significasset convivator puerum latere inter puellas, mirum in modum deciperentur vixque eum agnoscerent.» — *mire* iunge cum v. *falleret*, non cum v. *sagaces*. *Sagaces* autem propterea, quod curiose hospitis iocum detegere cuperent.

24. *crinibus*] Alebant comam pueri, etiam ingenui ac pudici, usquedum togam puram sumerent. Iuven. 15, 136: pupillus ingenuus, *cuius manantia fletu Ora puellares faciunt incerta capilli*. Iungendum: *discrimen obscurum falleret hospites solutis crinibus*, non: *discrimen obscurum solutis crinibus* (propter crines solutos aegre dumtaxat perspiciendum) *falleret hospites*.

VI. Kirchnerus refert hoc carmen ad a. u. c. 718., quo sane ducit recordatio militiae, quam a. u. c. 728. vel etiam 734. commemorare prope ridiculum fuisset. Utique probabilis est Vanderburgii sententia carmen certe compositum esse, antequam Maecenas poëtae Sabinum prope Tibur donasset. Septimius, eques Romanus, Horatio inde a vetere commilitio tempore pugnae Philippensis coniunctissimus, idem videtur, de quo Augustus in Epistola ad Horatium apud Suet. Vit. Hor. Ed. Wolf. 2. p. 49: *Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro audire.*

1. *Gades*] Cfr. Od. 1, 2, 11. —

**Barbarus Syrtes, ubi Maura semper**
**Aestuat unda;**

**Tibur Argeo positum colono**
**Sit meae sedes utinam senectae,**
**Sit modus lasso maris et viarum**
**Militiaeque.**

**Unde si Parcae prohibent iniquae,**
**Dulce pellitis ovibus Galaesi**
**Flumen et regnata petam Laconi**
**Rura Phalanto.**

*aditure*] «Si opus fuerit, etiam ad extremas ac ferissimas regiones tu me comitabere; tanta est tua in me amicitia.» Proverbium erat: *τὸ ἐχέκεινα Γαδείρων οὐ πορρώτερον.* Gregor. Naz. Or. 43, 24.

2. *Cantabri* ab Augusto a. 729. et iterum a. 730. victi in fide non permanserant, sed *pertinaci in rebellando erant animo* Flor. 4, 12. Devicti demum sunt a M. Agrippa a. 734.; igitur *iugum Romanum* ferre nondum didicerant, cum hoc carmen composuit. Cfr. etiam Od. 3, 8, 22. Od. 4, 14, 41.

4. *aestuat*] h. l. non de calore, sed de turbido mota fluctuum, quem describit Sallustius Iug. 78.

5. *Argeo*] Graeca forma Ἀργείῳ. — *positum*] conditum, ut Ovid. Met. 12, 587: *Irrita qui mecum posuisti moenia Troiae.*

6. *senectae*] «Senectuti meae ibi sit paratum refugium.» V. *senectae* accipere casu tertio praestat.

7. *viarum*] «itinerum militarium olim M. Bruto duce factorum.» Iam duplex sese offert constructio: 1) *lasso maris*, ut Virg. Aen. 1, 182: *fessi rerum*. Stat. Theb. 3, 395: *fessus bellique viaeque*. 2) Sed cum *sit modus* sic absolute dici haud nimis placeat, praefero equidem: *sit modus maris et viarum lasso* scilicet harum molestiarum *maris et viarum*; itaque hic quoque locus ex iis est, ubi per attractionem duplex locum habet constructio.

9. *Unde*] «Si Tiburis refugium mihi a fato adverso negatum erit, petam Tarentum.» Epp. 1, 7, 44.

10. *pellitis*] Solebant oves maxime Tarentinae opperiri pellibus, ne lana, quae pretiosissima erat,

Ille terrarum mihi praeter omnes
Angulus ridet, ubi non Hymetto
Mella decedunt viridique certat
Baca Venafro.

Ver ubi longum tepidasque praebet
Iuppiter brumas, et amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis
Invidet uvis.

Ille te mecum locus et beatae
Postulant arces; ibi tu calentem

Od. VI. v. 19. *Fertilis* B. cum Codd.

aëris iniuria corrumperetur aut rubis spinisque obnoxia esset. — *Galaesi*] hodie *Galaso* prope Tarentum.

11. *regnata*] Prorsus sic Ovid. Her. 10, 69: *tellus iusto regnata parenti*; ulterius etiam procedens Tacit. Hist. 1, 16: *gentibus, quae regnantur*.

12. *Phalanto*] «Phalantus Lacedaemonius fuit eiectus patria hac de causa, quod absentibus Lacedaemoniis bello Messeniaco eorum filiae ex servis gravidae pepererant, quos filios tali culpa genitos (παρθενίους) reversi a bello Lacedaemones patria eiecerunt, quorum dux Phalantus fuit, qui Tarentinam condidit civitatem; ut fertur, octavus ab Hercule.» Schol. Cruq.

14. *Hymetto*] melli Hymettio in Attica, quod etiamnunc celebratur propter colorem album et summam dulcedinem.

16. *Baca*] «Eius olivae certant cum illis, quas producit Venafrum, (*viride* propter ipsa oliveta) extremum in Septentrionem Campaniae oppidum prope Minturnas. Oleum autem Venafranum teste etiam Plinio 15, 2, optimum erat inter omnia.

18. *Aulon*] «Mons Calabriae iuxta Tarentum ferax optimi vini.» Schol. Cruq. Nemo tamen Geographorum *montem Aulonem* nominat; est potius recessus depressior regionis Tarentinae, qui propter vineas suas dicitur *amicus esse Baccho*, a Baccho, fertilitatis datore, amari. «Vina igitur Tarentina aequant Falerna in Campania.»

Debita sparges lacrima favillam
Vatis amici.

---

# ODE VII.

## AD POMPEIUM VARUM.

O saepe mecum tempus in ultimum
Deducte Bruto militiae duce,
Quis te redonavit Quiritem
Dis patriis Italoque caelo,

21. *locus*] Aulon ille. — *beatae arces*] «loca excelsa, colles amoeni» potius quam proprie *arces*, ἀκρόπολις, Tarenti. Virg. Ge. 4, 461: *ferunt Rhodopeiae arces.*

23. *debita*] «amicitiae data ideoque iusta et pia.» Anthol. Pal. 2, 855: *μέμνεο κεἰν ζωοῖς ἐμέθεν καὶ πολλάκι κύμβῳ Σπεῖσον ἀπὸ βλεφάρων δάκρυ ἀποιχομένῳ.*

VII. Pompeio Varo, ut dicunt Scholiastae, reditum in patriam congratulatur. Scriptum videtur carmen a. u. c. 715., quo Sex. Pompeius Cn. F. teste Velleio 2, 77. pace inita cum triumviris *omnibus proscriptis allisque, qui ad eum ex diversis causis fugerant, reditum salutemque patriae est.*

1. *tempus in ultimum*] in summum vitae discrimen. Sic Catull. 64, 151: *supremo in tempore* et v. 169: *extremo tempore saevus Fors.*

2. *Bruto*] «Per biennium prope (a. 711. 712.) in proeliis a Bruto commissis una saepe experti sumus summa pericula;» id quod non magis fortitudinis esse potest quam casus. (Moneo propter v. 10.)

3. *Quiritem*] id est, capite non iam deminutum, sed integro civitatis Romanae iure rursus donatum; nam exules minorem capitis deminutionem patiebantur et ad peregrinitatem redigebantur. Singularis *Quiritem* valde memorabilis visus est Grammaticis (Cledonio p. 1898. P.); certe a poëtis dumtaxat usurpatur et in antiqua formula praeconis in funeribus in-

Pompei meorum prime sodalium? 5
Cum quo morantem saepe diem mero
Fregi coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.

Tecum Philippos et celerem fugam
Sensi relicta non bene parmula, 10

dictivis apud Festum p. 217. Lind. *Ollus Quiris leto datus est.*

4. *Dis patriis*] imperii Romani Penatibus, qui tamen simul singulos cives tuentur. Virg. Ge. 1, 498: *Di patrii, Indigetes et Romule Vestaque mater.*

6—8. *morantem*] «Qui, nisi una genio indulsissemus, nimis longus nobis visus esset, eum *fregi*, breviorem reddidi, corona redimitus circum capillos unctos malobathro, oleo expresso ex huius nominis frutice Indico.» *Syrium* dicitur ideo, quod omnino Indiae merces a mercatoribus Romanis e Syria Romam advehebantur. Od. 1, 31, 12. Od. 2, 11, 26.

9. *Philippos*] Postquam sub finem anni 712. debellatum esset ad Philippos, ineunte a. 713. Horatius in patriam rediit. — *Philippos et celerem fugam*] in pedestri orat. «fugam Philippensem».

10. *Sensi*] *Sentire* saepe de rebus ingratis ac detrimentum afferentibus dicitur. Ovid. Heroid. 9, 46. — *non bene*] non honeste. — *parmula* proprie gladiatorum parvum scutum. Iam ex communi quidem antiquorum opinione scuti abiectio summae erat ignominiae. Verum cum inter primarios Graecorum poëtas tres, Archilochus, Alcaeus, Anacreon, idem de se vel confessi essent vel etiam praedicassent, idem Horatius reprehensionis prorsus securus de se dicere poterat, et quidem non sine festivissima in semet ipsum εἰρωνείᾳ, quae grata accidere debebat in primis Pompeio, qui diutius in partibus Pompeianis perseverarat, sive re vera poëta parmam proiecit, sive, ut potius reor cum Iacobsio Lectt. Ven. 15. p. 326., imago dumtaxat poëtica celeris illius fugae est aeque ac Mercurii auxilium. Archilochus Eleg. Fr. 51. Lieb.: Ἀσπίδι μὲν Σαίων (Thraciae populus est) τις ἀγάλλεται, ἣν παρὰ θάμνῳ, Ἔντος ἀμώμητον, κάλλιπον οὐκ ἐθέλων, Αὐτὸς δ' ἐξέφυγον θανάτου τέλος· ἀσπὶς ἐκείνη Ἐρράτω· ἐξαῦτις κτήσομαι οὐ κακίω. Item Anacreon de se Fragm. 26. Bergk: Ἀσπίδα ῥῖψ' ἐς ποταμοῦ καλλιρόου προχοάς. De Alcaeo Herod. 5, 95: Ἀλκαῖος ὁ ποιητὴς συμβολῆς γενομένης καὶ νικώντων τῶν Ἀθηναίων αὐτὸς μὲν

Cum fracta virtus et minaces
Turpe solum tetigere mento.

Sed me per hostes Mercurius celer
Denso paventem sustulit aëre;
Te rursus in bellum resorbens
Unda fretis tulit aestuosis.

Od. VII. v. 12. *Turpe solum* B. cum G. Fabricio.

*φεύγων ἐκφεύγει, τὰ δέ οἱ ὅπλα ἴσχουσι Ἀθηναῖοι καὶ σφέα ἀνεκρέμασαν πρὸς τὸ Ἀθήναιον τὸ ἐν Σιγείῳ· ταῦτα δὲ Ἄλκαῖος ἐν μέλεϊ ποιήσας ἐπιτιθεῖ εἰς Μυτιλήνην, ἐξαγγελλόμενος τὸ ἑωυτοῦ πάθος Μενίππῳ ἀνδρὶ ἑταίρῳ.*

11. *minaces*] quia nimis certi erant victoriae. De vitiis harum partium cfr. Plutarchi Brut. c. 30 — 35.

12. *turpe solum*] Nec pro exclamatione v. *turpe* nec pro adverbio *turpiter*, ut volt Porphyrion, haberi potest. Iam volgaris interpretatio haec est: «solum cruore foedatum *tetigere mento*, id est, cum interficerentur, humum ore momorderunt.» Sed nec *turpe* per se significare potest «cruore pollutum», nec *mentum* poni pro *ore*. Idcirco cum H. Peerlkamp ad alteram explicationem redeo propositam iam ab Acrone: «*turpe – solum* – – quo turpiter prostrati precarentur.» Sic *turpe solum* suum locum tuetur: «turpe, ignominiosum fuit supplicibus ita vitam dono accipere; me contra fuga (prope honestior) servavit.» Curt. 8, 5: *Alexandrum venerantibus Persis Polysperchon, qui cubabat super regem, unum ex iis mento contingentem humum per ludibrium coepit hortari, ut vehementius id quateret ad terram.*

13. 14. *Mercurius*] «Me trepidantem propter cladem, qua undique circumdatum me videbam, Mercurius *celer* (*ὠκύχους* Eurip. Hel. 247.) servavit involutumque densa nube (hoc enim est *aëre*, *ἠέρι πολλῇ*, ut Virg. Aen. 1, 411: *At Venus obscuro gradientes aëre saepsit:*) per medios hostes me sursum tollens eripuit discrimini.» In Mercurii autem tutela *Mercuriales viri* (Od. 2, 17, 19.), poëtae. Sic Iliad. γ, 380. Venus Paridem nube tectum e certamine eripit. Post cladem illam Horatius Messalae Corvini, Bibuli aliorumque exemplum imitatus in Italiam rediit.

15. 16. *resorbens unda*] Imago ducta est a naufrago, qui, cum inibi esset, ut litus attingeret, ab aliquo fluctu decumano rursus corripitur atque in turbidum mare reiicitur. Significat Pompeium prope invitum in bellum retractum esse.

Ergo obligatam redde Iovi dapem
Longaque fessum militia latus
Depone sub lauru mea nec
Parce cadis tibi destinatis.

Oblivioso levia Massico
Ciboria exple, funde capacibus
Unguenta de conchis. Quis udo
Deproperare apio coronas

— *fretis aestuosis*] sexto casu, ut Quintil. 6, 2, 6: *aestu fertur*.

17. *obligatam*] «Sacrum fac cum epulis, quod voveris, obligatus ideo ad votum hoc *reddendum*, solvendum, veluti debitum.»

18. *Longa - - militia*] quinquennii fere a. u. c. 710—715.

19. *Depone*] «resupina, reclina.» Schol. — *lauru mea*] Symbolum est studii poëtici, cui iam unice vacare constituerat Horatius, idemque ut iuvet amicum suaviter optat.

21. *Oblivioso*] «sollicitudinum oblivionem afferente.» Alcaeus Fr. 31: *Οἶνον γὰρ Σεμέλας καὶ Διὸς υἱὸς λαθικάδεα Ἀνθρώποισιν ἔδωκε*. — *leviâ*. «(*λεῖα*), in tuum honorem detersa ac polita.» Noli scribere *laevia*. — *Massico*] in Campania.

22. *Ciboria*] poculi genus ore superius lato, inferius angusto, instar fabae Aegyptiae, quam colocasiam appellabant, cuius folliculus vasorum ac poculorum usum Aegyptiis praestabat. Grandiora erant ciboria. — *exple*] «imple», ut e gloss. habebat Cod. Faërni. — *funde*] Non de libatione accipiendum, quae vino fiebat, sed: «defunde in crines tuos.» *Conchae* autem vasa unguentaria concharum formam referentia.

24. *udo - - apio*] «ὑγρῷ, flexibili.» Theocr. 7, 68: *πολυγνάμπτῳ τε σελίνῳ*. Videtur significari *ἑλεοσέλινον*, *Sumpfeppich*, quo coronabantur victores in ludis Isthmiacis, *ὀρεοσελίνῳ* Nemeae. — *deproperare*] «propere contexere», ut Virg. Ge. 4, 171: *Cyclopes fulmina massis Cum properant*, cet.

25. *Venus*] id est, iactus Venereus, ubi tali quattuor, quibus ludere solebant, diversos numeros 1, 3, 4, 6. ostenderent. Opponitur *canis*. Propert. 4, 8, 45: *Me quoque per talos Venerem quaerente secundos, Semper damnosi subsiluere canes*: hoc est, unitas in

Curatve myrto? quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? Non ego sanius
Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere est amico.

## ODE VIII.

### AD BARINEN.

Ulla si iuris tibi peierati
Poena, Barine, nocuisset unquam,
Dente si nigro fieres vel uno
Turpior ungui,

Od. VIII. v. 2. *Carine* Meinecke. Alii Critici *Earine*, *Barcine*, *Iberine*.

omnibus talis. — *dicet*] «designabit συμποσίαρχον.»

27. *Edonis*] Thraciae populus, Bacchiacis orgiis deditus.

28. *furere*] Od. 3, 19, 18: *Insanire iuvat*. Similiter Pseudoanacreon 31: Θέλω, θέλω μαίνεσθαι.

VIII. Festiva cum Barine, perfida puella, expostulatio (a. u. c. 723?).

1. «Scenicum principium; intelligendum enim aliquos sermones praecessisse, quibus Barine haec noctem ei, iure iurando interposito promiserit; deinde, postquam fefellerit eum, in haec verba poëtam erupisse.» PORPHYR. — *iuris peierati*] Ex analogia v. *ius iurandum* nove, ut videtur, dixit *ius peieratum* pro *periurio*.

2. *nocuisset*] Credebant veteres eos, qui deos peierando laedere veriti non essent, aliqua corporis parte mutilari debilitarique. TOUR. Cfr. Ovid. Amor. 3, 3, 1: *Esse deos, i, crede. Fidem iurata fefellit: Et facies illi, quae fuit ante, manet.*

3. 4. *uno*] Refer etiam ad v. *dente*. — *ungui*] velut reduvia deformato.

Crederem. Sed tu, simul obligasti
Perfidum votis caput, enitescis
Pulchrior multo iuvenumque prodis
Publica cura.

Expedit matris cineres opertos
Fallere et toto taciturna noctis
Signa cum caelo gelidaque divos
Morte carentes.

Ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident
Simplices Nymphae, ferus et Cupido
Semper ardentes acuens sagittas
Cote cruenta.

5. *Crederem*] «fidem tribuerem iuri iurando tuo, quia tum sperarem te promissa tua exsecuturam; caveres enim tibi a mendacio, semel poena admonita.» *simul*] «simulatque per caput tuum fidem alicui iurasti, eam mox, ut soles, violatura.» *Obligamus caput votis*, iis malis, quae, si fefellerimus fidem, nobis ipsi imprecamur.

7. *prodis*] «foras in publicum.» «Ubi per plateas incedis, omnes iuvenes in te cupidos oculos coniiciunt.»

9. *Expedit*] «Itaque, cum ipso periurio formosior semper fias, prodest scilicet tibi fallere fidem cum iure iurando per matris tuae cinerem sepultum, per omnia sidera, testes amoris, datam, securaque violas infera, supera, deos immortales ipsos». Cic. pro Quint. 31: *obsecravit per fratris sui mortui cinerem.*

10. *taciturna*] Virg. Aen. 2, 255: *tacitae per amica silentia lunae.*

13. *Venus ipsa*] Tibull. 1, 4, 23: *Gratia magna Iovi: vetuit pater ipse valere, Iurasset cupide quidquid ineptus amor.* Sententia deducta est iam ab Hesiodo apud Schol. Plat. ad Symp. p. 45. Ruhnk.: Ἐκ τοῦ δ' ὄρκον ἔθηκεν ἀποίνιμον ἀνθρώποισι Νοσφιδίων ἔργων πέρι Κύπριδος.

14. *simplices*] «ab omni fraude alienae, *einfaltsvoll*», quippe quae *colant amnes solaque rura deae.* Ovid. Fast. 1, 398. Nymphae autem, ut saepe, Veneris comites.

15. *acuens sagittas*] Imago et a poëtis et ab artificibus saepe expressa. Philodemus in Anthol. Pal. I. p. 118: Ἀλλ' ἤδη θοὰ τόξα νέοι θήγουσιν Ἔρωτες.

Adde quod pubes tibi crescit omnis,
Servitus tibi crescit nova; nec priores
Impiae tectum dominae relinquunt
Saepe minati.

Te suis matres metuunt iuvencis,
Te senes parci miseraeque nuper
Virgines nuptae, tua ne retardet
Aura maritos.

v. 24. *Cura* Bentl. susp. dubia.

---

# ODE IX.

## AD C. VALGIUM.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros aut mare Caspium

16. *cruenta*] propter volnera amoris; quod proprie sagittarum est, tribuit coti eas acuenti.

17. *pubes tibi crescit*] «Idcirco tantummodo iuventus succrescere videtur, ut tibi uni serviat.»

18. *Servitus*] «Catervae amatorum semper novorum te circumsistunt, nec priores, quos misere decepisti, te missam faciunt.»

20. *iuvencis*] Poëtis Latinis honestum nomen et de adolescentulis et de puellis nubilibus. Ovid. Am. 3, 5, 37.

22. *miserae*] «maestae propter coniugum infidelitatem;» *puellae* autem et *virgines* haud raro etiam *nuptae* dicuntur, ut Od. 3, 14, 11.

24. *aura*] Est «odor ille a iuvenca emissus, quo captato taurus in venerem ruit.» Virg. Ge. 3, 250: *Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum Corpora, si tantum notas odor attulit auras?*

IX. De C. (non T.) Valgio Rufo, consule suffecto a. u. c. 742., rhetorico, grammatico, poëta docte disputavit Weichert Poëtt. Latt. p. 208 seqq. Scriptum videtur hoc carmen a. u. c. 734. Consolari conatur amicum de pueri delicati immatura morte.

1. *hispidos*] V. *hispidus*, quod proprie de pilis densis squamis-

Vexant inaequales procellae
Usque, nec Armeniis in oris,

Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnes aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant
Et foliis viduantur orni:

Tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademptum, nec tibi Vespero

Od. IX. v. 3. *Versant* Fea e Codd.

que horrentibus usurpatur, transfert ad agros stipulis et omnis generis plantis arboribusque foliis et frondibus spoliatis horridos atque asperos.

2. *mare Caspium*] Pomponius Mela 3, 5: *Mare Caspium omne atrox, saevum, sine portubus, procellis undique expositum.*

3. *vexant*] «turbant, quietum esse non sinunt.» «Qui fertur et raptatur atque huc illuc distrahitur, is *vexari* proprie dicitur.» H. Peerlkamp. — *inaequales*] «modo maiore, modo minore cum impetu flantibus;» non: «quae mare inaequale reddunt.»

4. *Armeniis*] De Tauri iugis loquitur perpetua nive opertis, ubi magnum frigus iam Xenophon (Anab. 4, 4.) et deinde Lucullus (Plut. Luc. 32.) cum copiis suis senserunt.

5 — 8. *stat*] «riget, horret,» ut Od. 1, 9, 1. — *Garganus* mons Apuliae Dauniae prope Sipontum. — *viduantur*] in prosa orat. «spoliantur.»

9. *urges*] «Tu contra perpetuo insequeris maestis elegiis Mysten, non filium, ut olim multi opinabantur, sed puerum amatum, tibi praecipitata morte ereptum.» Supersunt aliquot elegiarum Valgii reliquiae. *Urges* ut Propert. 4, 11, 1: *Desine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulcrum.*

11. *decedunt amores*] «A te sese removent, ita ut per aliquod saltem tempus a maestitia vaces, quam tibi Mystae memoria excitat.»

12. *rapidum*] propter celerrimum cursum ex opinione veterum quotidie et rursus inceptum et finitum.

Surgente decedunt amores
Nec rapidum fugiente Solem.

At non ter aevo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos, nec impubem parentes
Troïlon aut Phrygiae sorores

Flevere semper. Desine mollium
Tandem querelarum, et potius nova
Cantemus Augusti tropaea
Caesaris et rigidum Niphaten,

13. *ter aevo*] Iliad. α, 250: (*Νέστορι*) *ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων Ἐφθίατο -- μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν.*

14. *Antilochus* a Memnone interfectus bis memoratur in Odyss. γ, 111. et δ, 186. Aristoteles in Peplo 15: *ὃς θάνεν ἐν Τροίῃ ῥυσάμενος πατέρα.*

16. *Troilus*, Priami filius. Virg. Aen. 1, 475: *Infelix puer atque impar congressus Achilli. — Phrygiae sorores*] Polyxena, Cassandra, Iliona cet.

17. *Desine mollium*] Graeca constructione. Eurip. Phoeniss. 1086: *λήξασ' ὀδυρμῶν πενθίμων τε δακρύων.* Od. 3, 27, 69.

19. *Augusti tropaea*] Quo a nimio luctu amicum avertat, eum hortatur, ut secum quasi certaturus carmine illa celebret, duplex sic propositum assequens, ut et Augustum propter res prospere gestas oblique laudet, et poëticam Valgii facultatem praedicet, cum tamen probe sciret nec sibi propositum esse Augusti praeconium panegyricis carminibus facere neque id ausurum Valgium, qui se continuisse intra elegias videtur.

20. 21. *Niphates*, Armeniae mons. Virg. Ge. 3, 30: *Addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphaten*, id est, victos Armenios. — *Medus*, fluvius in Araxen influens prope Persepolin. *Medum* autem *flumen* ut Od. 4, 4, 37: *Metaurum flumen.*

22. *minores*] Quia debellatum se sentit, fastum, quo prius tumebat, abiecit; cuius demissi iam animi signum nobis proponit eius vortices minus aestuosos quam antea, cum nunc *gentibus*

Medumque flumen gentibus additum
Victis minores volvere vertices,
Intraque praescriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

---

# ODE X.

## AD LICINIUM.

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo neque, dum procellas

*additum*, id est, imperio Romano subiectum sit. Tacit. Ann. 1, 79.

23. *Gelonos*] Virg. Aen. 8, 725: Geloni, Scythiae Europaeae populi, finibus suis multati, intra terminum ab Augusto praescriptum in posterum iam Nomadum more *equitabunt*, excursiones suas aliorsum quam in Romanam dicionem facient. «Cesserant Parthi Armenia et signa militaria Crassi exercitui adempta reddiderant a. u. c. 734., deinde etiam obsides misere (Od. 3, 3, 43.). Dacos et Sarmatas *(Gelonos)* Danubio Lentulus prohibuit.» Bothe.

X. L. Licinius Varro Murena, frater Proculeii et Terentiae Maecenatis, ἀχράτῳ (inquit Dio 54, 3.) καὶ κατακορεῖ παῤῥησίᾳ πρὸς πάντας ὁμοίως ἐχρῆτο. Homo igitur turbulentus atque ambitiosus Augusti dominationem acerbe exagitare solebat novasque res semper moliri. Initis denique cum Fannio Caepione Augusti occidendi consiliis iisque detectis, ambo, cum die dicta in iudicio non comparuissent, absentes exsilio damnati sunt et paullo post necati a. u. c. 732. Dio l. l. Vell. 2, 91. Licinii mores probe cum nosset Horatius, eum exhortari studet ad moderationem atque universae vitae aequabilitatem, ipso quoque dicendi genere ad argumentum attemperato. Scriptum videtur carmen a. u. c. 728.

1 — 4. Vitam humanam comparat cum navigatione, in qua non expedit cursum *urgere*, pertinaci studio semper dirigere in altum

Cautus horrescis, nimium premendo
Litus iniquum.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

Saepius ventis agitatur ingens
Pinus et celsae graviore casu

Od. X. v. 9. *Saevius* Fea e Cod. Sorbon.

*mare*, neque *premere* (radere, legere) litus *iniquum*, *male fidum* (Virg. Aen. 2, 23.) propter vada et scopulos.

5. *Auream*] «omnibus rebus anteferendam.» — *mediocritatem*] μεσότης, τὸ μέτριον, ex Graeco illo dogmate περὶ μεσότητος in cupiditatibus ac praesertim in opum quaerendarum studio. Aristot. Polit. 4, 11: ὁ μέσος βίος βέλτιστος.

6 — 8. *tutus*] Totius clausulae constructio eo ducit, ut v. *tutus* referamus ad primum dumtaxat incisum, quemadmodum *sobrius* ad alterum pertinet; *cavere* autem, id est, «remotum manere», recte et de sordida casa et de regia aula summis opibus referta dicitur. — *Obsoletum* dicitur quidquid vetustate et sordibus corruptum est, veluti vestis *obsoleta*, detrita et squalida; sic domus, cuius trabes putrescunt, parietes rimas agunt, situs omnia occupat, *obsoleta*.

9. *Saepius*] Herodot. 7, 10: Ὁρᾷς τὰ ὑπερέχοντα ζῶα ὡς κεραυνοῖ ὁ θεὸς οὐδὲ ἐᾷ φαντάζεσθαι, τὰ δὲ σμικρὰ οὐδέν μιν κνίζει· ὁρᾷς δὲ ὡς ἐς οἰκήματα τὰ μέγιστα αἰεὶ καὶ δένδρεα τὰ τοιαῦτ' ἀποσκήπτει τὰ βέλεα· φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν. V. *saevius* haud multum differret a vv. *graviore casu*; sic vero duas percipimus notiones distinctas; «Et frequentius et periculosius praecipitat in adversam fortunam homo excelsiore loco constitutus quam humilis.»

10. *turres*] Sic omnia aedificia alta et ampla vocantur, οἰκήματα τὰ μέγιστα Herodot. l. l. Iuvenalis 10, 105: *numerosa parabat Excelsae turris tabulata, unde altior esset Casus et impulsae praeceps immane ruinae.*

Decidunt turres feriuntque summos
Fulgura montes.

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum
Pectus. Informes hiemes reducit
Iuppiter, idem

Summovet. Non, si male nunc, et olim
Sic erit. Quondam citharae tacentem
Suscitat musam neque semper arcum
Tendit Apollo.

v. 12. *Fulmina* C. v. 18. *cithara* C.

12. *Summos - - montes*] «montium cacumina.» *Fulgur* proprie est splendor fulminis. Sed ex auctoritate Codd. et Hieronymi quater sic afferentis v. *fulgura* reretinendum: «nam *fulgur* idem saepe notare ac *fulmen* apud Virgilium, Plinium, Tacitum cet. adeo notum est, ut exemplis id probare minime hic necesse sit.» BENTL.

14. *Alteram sortem*] «contrariam ei, in qua nunc versatur.» Similiter apud Graecos ἄτερος δαίμων. Pind. Pyth. 3, 34: δαίμων δ' ἕτερος Ἐς καχὸν τρέψαις ἐδαμάσσατό νιν. — *bene praeparatum*] «sapientia instructum ac munitum ad tolerandam qualemcunque fortunam.»

15. *Informes*] «quae deformant gratum terrarum aspectum.» Virg. Ge. 3, 353.

17. *Non si male*] Theocr. 4, 41: Θαρσεῖν χρή, φίλε Βάττε· τάχ' αὖριον ἔσσετ' ἄμεινον. Χὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὗει.

18. *Quondam*] «interdum». Virg. Aen. 2, 367. — *tacentem*] «Arcum cum tendit infensus Apollo, pestem atque interitum hominibus minitatur, ut est in Iliadis initio: idem tamen interdum mitis ac propitius mortalibus lyram pulsat, quae antea seposita tacebat.» Similiter Carm. sec. 33. Iunge: *musam*, id est, cantum, gratum sonum *citharae suscitat*, ἐγείρει. Lucret. 2, 414. Alteram lectionem *cithara* explicant: «pulsa cithara Musam quoque ad cantum excitat.» Sed *musa* h. l. est sine πρωσοποποιΐᾳ, ut alibi Venus, Ceres, Bacchus pro rebus, quibus praesunt.

Rebus angustis animosus atque
Fortis appare; sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

---

# ODE XI.

## AD QUINTIUM.

Quid bellicosus Cantaber et Scythes,
Hirpine Quinti, cogitet Hadria
Divisus obiecto, remittas
Quaerere nec trepides in usum

22. *appare*] «monstra te ceteris hominibus.»

23. *Contrahes vento*] Desinit carmen in eadem allegoria, qua in exordio usus erat. *Vela* (passa) *contrahere* (vel *subtrahere:* Propert. 3, 9, 30: *Ventorum plenos subtrahis ipse sinus:*) ὑποστέλλειν τὰ ἱστία, dicunt de modo sapienter tenendo, ubi nimia fortuna ad fastum ac superbiam nos allicit. Ovid. Trist. 3, 4, 32. Iunge autem *vento nimium secundo*, «qui initio quidem videtur secundus, semper autem crescens atque in navem vehementius praecipitans eam tandem submergit;» neutiquam vere cum recentioribus nonnullis: *nimium turgida vela*, quae ratio pedestrem redolet orationem.

XI. Quintium Hirpinum, sodalem suum, ad quem est Epp. 1, 16., ad sapientem vitae usum exhortatur. Scriptum est carmen a. u. c. 734.

1. *Cantaber*] diu rebellis. Cfr. Od. 2, 6, 2. Od. 3, 8, 22. Epp. 1, 12, 26. — *Scythes*] Sic vocat Sarmatas, Danubii accolas, et Gelonos. Od. 2, 9, 23.

2. *Hirpine Quinti*] Hirpini adhuc ignoti in gente Quintia. *Hirpinus* pro mero cognomine, non populi nomine, habendum, ut sunt *Antias*, *Sabinus*, *Soranus*. — *cogitet*] «machinetur, moliatur.»

3. *Hadria divisus*] «ac propterea nobis minime formidolosus.» — — *remittas*] Rariore usu pro «omittas.» Terent. Andr. 5, 1, 8.

4. *trepides*] «Noli sollicitus et

Poscentis aevi pauca. Fugit retro
Levis iuventas et decor, arida
Pellente lascivos amores
Canitie facilemque somnum.

Non semper idem floribus est honor
Vernis neque uno Luna rubens nitet
Voltu. Quid aeternis minorem
Consiliis animum fatigas?

Cur non sub alta vel platano vel hac

anxius esse in quaerendis rebus ad vitae usum ac conservationem necessariis.» Od. 3, 29, 31. *Trepidare in usum* est «anxie providere usui.»

5. *poscentis aevi pauca*] Nam etiam quae infra memorantur, Falernum, nardus atque ea, *quibus dolet natura negatis*, pauca sunt atque exigua ex hominum tunc viventium opinione. Cfr. egregium Manilii locum 4, 1 — 80. (v. 8: *Cumque sui parvos usus natura reposcat, Materiam struimus magnae per vota ruinae?)*

6. *Levis*] «λεία, imberbis ac tenera.» Tibull. 1, 8, 31. — *arida*] «quae ex siccitate nascitur.»

8. *Facilem* somnum dixit etiam Od. 3, 21, 2. (et *leves somnos* Od. 2, 16, 15.) «qui facile obrepit nec vigiliis interrumpitur.»

9. *honor*] pulchritudo; brevi enim marcescunt.

10. *Luna rubens*] «Variat luna semper crescendo et decrescendo.»

11. *quid aeternis*] «Quid tu animum cogitationibus infinitis, ad longissimi temporis curam pertinentibus, conficis, quibus par esse nequeat? tamquam si immortalitas tibi concessa sit.» Cfr. Od. 1, 11, 6. — *minorem*] ut ἥττων τινός.

13. *platano*] *Genialem* dixit Ovid. Met. 10, 95., quia sub eius umbra libenter genio indulgebant Romani.

14. *sic temere*] Homeri illud Iliad. β, 120: μὰψ οὕτω. Donatus ad Ter. Andr. 1, 2, 4: «*sic* pro leviter et negligenter, quod Graeci οὕτως dicunt.» Virg. Aen. 9, 329: *famulos temere inter tela iacentes*, ὡς ἔτυχον.

15. *Canos*] Horatius erat *praecanus* Epp. 1, 20, 24. Od. 3, 14, 24. Pseudoanacr. 36: Ὁλιαὶ στέφουσι κάρα· Διὸς ὕδωρ, βάλ' οἶνον, ὦ παῖ. — *odorati*] «rosis bene olentibus coronati;» nam de oleo rosaceo cum

**Pinu iacentes sic temere et rosa**
**Canos odorati capillos,**
**Dum licet, Assyriaque nardo**

**Potamus uncti? Dissipat Evius**
**Curas edaces. Quis puer ocius**
**Restinguet ardentis Falerni**
**Pocula praetereunte lympha?**

**Quis devium scortum eliciet domo**
**Lyden? eburna, dic age, cum lyra**

Schol. explicari non potest, cum *sequatur nardo uncti.*

16. *Assyria* pro «advecta ex Syria» apud poëtas frequenter. Tibull. 1, 3, 7: *Assyrios odores.* De *nardo* v. Od. 2, 7, 8.

17. *Euius*] *Εὔιος*, Liber pater, ab acclamatione *εὐοῖ εὐάν.* Ovid. A. A. 1, 563: *pars clamant Evoe evoe.*

18. *curas edaces*] Od. 1, 18, 4: *mordaces – – sollicitudines.* Hesiod. O. et D. 6: *γυιοκόρους* (al. *γυιοβόρους*) *μελεδῶνας.* — *Quis puer*] in pedestri or.: «Quis inter vos nostrae compotationis ministros primus refrigerabit temperabitque aqua ex praetereunte rivo hausta vinum nostrum Falernum?»

19. *ardentis*] Iuven. 10, 27: *lato Setinum ardebat in auro*, de vino vehementi. Eurip. Alc. 758: *ἐθέρμηνʼ αὐτὸν ἀμφιβᾶσα φλὸξ οἴνου.*

21. *devium scortum*] «non volgare nec nimis prostitutum, in recessu aliquo, non in lupanari habitans, remotum a Subura, celeberrima illa Romae regione secunda, ubi erant lupanaria; quod cum *κατάκλειστον* delicias faciat, nec statim, etiam quo tamquam fidicina invitatur, se confert, promissis *eliciendum est.*» V. *scortum* minime disconvenit sermonis cum sodali habiti hilaritati. Voss: «*die einsam hausende Lyde.*»

23. *maturet*] «venire ad nos properet.» Asclepiades Ep. 28, 6. herus ad servum: *Καὶ Τρυφέραν ταχέως ἐν παρόδῳ κάλεσον* ad convivium. «Ordo vv. est: *more Lacaenae religata comas in comptum nodum.* Bentleius correxit *incomptam comam rel. nodo.* Sed, praeterquam quod *incompta coma* puellam magis dedecorat quam ornat, voc. *nodo*, quod salvo sensu abesse posset, sic nude in fine positum vehementer friget. Aptum contra locum habet, ubi addito adiectivo accu-

Maturet in comptum Lacaenae
More comas religata nodum.

Od. XI. v. 23. *incomptum* C. *incomptam* Bc. v. 24. *comam* C. *nodo* B.

---

# ODE XII.

## AD MAECENATEM.

Nolis longa ferae bella Numantiae
Nec dirum Hannibalem nec Siculum mare

Od. XII. v. 2. *durum* C.

ratius describitur. Lectio *incomptum nodum* linguae leges violat, cum praepositio *in* abesse in his non possit.» IAHN. — *in comptum*] «in compositum; festinantes enim mulieres pexum tantum capillum in nodum colligere consueverunt.» SCHOL. CRUQ. Od. 3, 14, 22. Utrobique non tam ad comandi moram respicit quam ad simplicem elegantiam nodi, qui opponitur artificiosis comas nectendi generibus. — *Lacaenae*] Sic in Laconum choro apud Aristoph. Lysistr. 1316: Ἀλλ' ἄγε κόμαν Παραμπύκιδδε, unde crinis ligamen παραμπύκιον.

XII. «Nolis (id est, nemo velit) a me lyrice celebrari res gestas maiorum nostrorum neque antiquas illas heroum pugnas; pariterque et tu et quivis alius scriptor melius pedestri oratione enarrabit fortia Caesaris facta; verum, cum res istae belficae meo quidem ingenio minus aptae sint, praedicabo Licymniam tuam.» Compositum videtur carmen a. u. c. 726.

1. *longa bella*] ab a. u. c. 613. usque ad a. 621. — *ferae Numantiae*] Florus 2, 18: *Deplorato exitu in ultimam rabiem furoremque conversi postremo mori hoc genere destinarunt: duces suos seque patriamque ferro, veneno subiectoque undique igne peremerunt.*

2. *dirus*] ut Od. 3, 6, 36. et Od. 4, 4, 42. perpetuo ἐπιθέτῳ nominatur Hannibal, quia Romani eius memoriam propter saevitiam ac perfidiam exsecrabantur. Altera

**Poeno purpureum sanguine mollibus**
**Aptari citharae modis,**

**Nec saevos Lapithas et nimium mero**
**Hylaeum domitosque Herculea manu**
**Telluris iuvenes, unde periculum**
**Fulgens contremuit domus**

**Saturni veteris: tuque pedestribus**
**Dices historiis proelia Caesaris,**

quidem lectio *durus* invenustam efficeret oppositionem v. *mollibus*.

3. *Poeno sanguine*] primum cum C. Duilius a. u. c. 495. classem Hannibalis maioris ad Mylas superavit. Rursus L. Lutatius Catulus cos. a. u. c. 511. ad Aegates insulas Poenos proelio navali devicit cet.

4. *Aptantur* citharae *modis* (ῥυθμοῖς καὶ μέλεσι) verba ex metri legibus ordinata, quibus modi concinere debent.

5. *Lapithas*] Vide Od. 1, 18, 8. — *nimium mero*] «vino ardentem, temulentum.» Eadem constructione Tacit. Hist. 1, 35: *nimii verbis*.

6. *Hylaeum*] unum e Centauris, de quo diversae ferebantur fabulae, cum alii eum ab Atalanta, pudicitiam suam defendente, alii a Theseo, alii ab Hercule occisum narrarent. Virg. Ge. 2, 456.

7. *Telluris iuvenes*] Terrae filios, Gigantes, quos commemorat quidem Hesiodus Theog. 185., nec tamen novit post Titanomachiam alteram Giganteam pugnam cum diis pugnatam. Herculis quae partes in hac fuerint, docet Apollodorus 1, 6. — *unde periculum*] «a quibus motum periculum» cet. Terent. Eun. 1, 2, 35: *e praedonibus, Unde emerat, se audisse dicebat*.

8. *fulgens*] quia aethere cincta. Od. 1, 3, 29. Od. 3, 3, 33. — *contremuit*] cum accusativo, ut Virg. Aen. 3, 648: *sonitumque pedum vocemque tremisco*.

9. *Saturni veteris*] Virg. Aen. 7, 180: *Saturnusque senex*. — *pedestribus*] Inter scriptores, qui supersunt, Horatius primus hoc v. usus est ad Graecorum imitationem, πεζὸς λόγος. Plat. Sophist. p. 237. A.: πεζῇ τε ὧδε ἑκάστοτε λέγων καὶ μετὰ μέτρων. — «Et certe melius prosa oratione exponentur Caesaris res gestae.»

Maecenas, melius ductaque per vias
Regum colla minacium.

Me dulces dominae Musa Licymniae
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos et bene mutuis
Fidum pectus amoribus;

Quam nec ferre pedem dedecuit choris

v. 12. *minantium* C.

11. *ductaque*] Nota *que - - que* non sibi respondere, ut alibi, sed sententiarum nexum hunc esse: «Et certe melius dicentur - - proelia triumphique cet.» — *per vias*] a porta triumphali per Sacram viam ad Capitolium.

12. *colla minacium*] Scriptor Consolat. ad Liv. Aug. 273: *Aspiciam regum liventia colla catenis Duraque per saevas vincula nexa manus Et tandem trepidos voltus; inque illa ferocum Invitis lacrimas decidere ora genis. Spiritus ille minax et Drusi morte superbus Carnifici in maesto carcere dandus erit.* — *minacium*] «antequam devicti essent.»

13. «Me iubet Musa celebrare illam, quam tu tenerrimo amore amplecteris.» — *dulces*] Etiamsi scribas *dulcis*, nihilominus erit accusat. plur. iung. cum v. *cantus*, non *dulcis dominae*. Unica enim vera constructio est: *Musa voluit me dicere dulces cantus dominae Licymniae.* — *Licymniae*] Sicuti teste Appuleio Apolog. 106. Catulli Lesbia vero nomine erat Clodia, Tibulli Delia, Plania, Propertii Cynthia, Hostia, Ticidae Perilla, Metella, ita scilicet, ut ad conservandam etiam in amoribus dignitatem matronalem, nomini Romano aliud substituerent Graecum eadem syllabarum quantitate: sic arbitrantur h. l. *Licymniam* significare Terentiam, Maecenatis uxorem; ideo autem potissimum Graecum hoc nomen delectum esse, quod simile esset Terentiae fratris L. Licinii Varronis Murenae nomini.

14. *lucidum Fulgentes*] ut Od. 1, 22, 23: *dulce ridentem*. Od. 2, 19, 6: *turbidum laetatur*. Od. 3, 27, 67: *perfidum ridens*.

15. *bene fidum*] ut Cic. ad Att. 14, 17: *litterae bene longae*. Tusc. 2, 19: *dolor bene plane magnus*.

17. *ferre pedem*] «Cuius summus est decor ac venustas in saltatione», quae iamdudum saltem

Nec certare ioco nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus sacro
Dianae celebris die. 20

Num tu, quae tenuit dives Achaemenes,
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes
Permutare velis crine Licymniae,
Plenas aut Arabum domos?

intra privatos parietes in usu erat matronis (ut Semproniae apud Sallustium Cat. 25.), cum antiquioribus temporibus indecora haberetur. Distinguenda a Dianae choris v. 18. haec saltatio domestica.

18. *certare ioco*] Nihil impedit quo minus interpretemur de conviviis, in quibus iis, qui iocorum salibus, certis convivis iudicibus, ceteros superarent, praemia proposita essent. — *dare brachia*] Haec maxime demonstrant matronam Romanam hic significari, quibus solis ducere licebat sacros Dianae choros, una cum virginibus ingenuis. A. P. v. 232: *Ut festis matrona moveri iussa diebus.* Cfr. Od. 3, 14, 11. Od. 4, 6, 31. Qui de libertina interpretantur, privatum volunt esse sollemne Dianae, cui explicationi obstant vv. *Dianae celebris.*

19. *Ludentem*] *Ludum* choreas illas vocat propter gestus ac motus varietatem. Sic παίζειν Hom. Hymn. Apoll. 201. et Virg. Ecl. 6, 27: *Tum vero in numerum Faunos ferasque videres Ludere.* — *nitidis*] «festo ornatu decoris.»

20. *Dianae celebris*] «cuius dies festus magna populi frequentia celebratur.» Tibull. 4, 4, 23.

21. *Achaemenes*] heros, mythicus conditor stirpis Achaemenidarum inter Persas.

22. *Mygdonias*] A Mygdone, prisco rege, pars Phrygiae magnae appellabatur Mygdonia. Iliad. γ, 185.

23. *crine*] Bentleius atque interpretes nonnulli Germanici acceperunt, ac si esset *uno crine*, cum tamen nihil frequentius sit quam *crinis* sing. collect. pro *crinibus.*

24. *Arabum*] Od. 1, 29, 1. Propert. 2, 10, 16: *Et domus intactae te tremit Arabiae.* Memorat tres populos orientales propter opes «barbaricas» a poëtis saepe celebratos.

Dum flagrantia detorquet ad oscula,
Cervicem aut facili saevitia negat,
Quae poscente magis gaudeat eripi,
Interdum rapere occupet.

v. 25. *fragrantia* Lamb. v. 28. *occupat* C.

---

# ODE XIII.

## IN ARBOREM, CUIUS CASU IN AGRO SABINO PAENE OPPRESSUS EST.

Ille et nefasto te posuit die,
Quicunque primum, et sacrilega manu

25. *detorquet*] hic quoque suum servat significatum: «a solita colli positura recta ita se deflectit, ut mariti amantis osculis occurrat.»

26. *facili*] «simulata et propterea facile exoranda.»

27. *Quae poscente*] Vera constructio est: «quae, dum negat, sibi eripi magis gaudeat a poscente.» Cfr. Od. 1, 6, 2. In volgari explicatione: «magis quam ille, qui oscula poscit, ea cupit, Licymnia cupit sibi ab eo eripi» admodum frigidus fingitur amator.

28. *occupet*] Sic Codd. optimi, ac mihi certe concinnius videtur, ut idem modus servetur, quam ut legentes *occupat* regrediamur ad partic. *dum*. *Occupat rapere* est φθάνει ἁρπάζουσα.

XIII. Arborem exsecratur, cuius casu paene oppressus erat in agro suo Sabino. Deinde immoratur in sententia de incertis vitae casibus desinitque in contemplanda piorum beatitudine, maxime cum aures praebent Alcaei et Sapphus carminibus. Ter autem praeterea illius periculi mentionem facit: Od. 2, 17. Od. 3, 4, et 8. Scriptum videtur carmen a. u. c. 733.

1. *Ille et*] Constructio est: *Ille et nefasto te posuit die, Quicunque primum posuit* (plantavit), *et* (postea) *produxit sacrilega manu.*

Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem opprobriumque pagi;

Illum et parentis crediderim sui
Fregisse cervicem et penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis; ille venena Colcha

Et quidquid usquam concipitur nefas
Tractavit, agro qui statuit meo
Te, triste lignum, te caducum
In domini caput immerentis.

Quid quisque vitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas: navita Bosporum

— *nefasto*] Cfr. Od. 1, 35, 36. H. l. est dies *ἀπόφρας*, ater, funestus, usu, qui per poëtas maxime invaluisse videtur.

3. 4. *produxit*] «coluit, educavit, curavit, ut cresceres, velut eo consilio, ut aliquando *nepotum*, posteriorum alicui incideres, quo facto perpetua infamia premeret totum pagum (maxime quidem si *Romanae fidicen lyrae* eo casu elisus esset).»

6. *Fregisse cervices*] «strangulasse patrem.» ut Sal. Catil. 55. *frangere gulam laqueo*. — *penetralia*] «Intimam aedium partem, (ubi erant Penates, qua re augetur scelus:) noctu sparso hospitis cruore polluit.» Proximum autem parricidio laedere Iovem Hospitalem.

8. *venena Colcha*] forma poëtica, ut Ovid. Met. 13, 24: *Colcha carina*. Sunt venena, qualia fuerant Medeae Colchidis, praesentissima.

10. *Tractavit*] Venena *tractare* idem quod praeparare, miscere. Zeugma facillimum est, ut ex v. *tractavit* ad vv. *Et quidquid usquam concipitur nefas* eliciamus v. *patravit*.

11. *triste*] Non *infelix* eo significatu quo ruscus, rubus, pirus silvatica (v. Macrob. Sat. 2, 16.), sed «noxium ac sceleratum», ut Virg. Ecl. 3, 80: *triste lupus stabulis*. — *caducum*] «quod prope casurum erat.» Sic Aen. 10, 622: *iuvenis caducus*, «mox casurus.»

14. *Cautum*] Iunge: «nun-

Poenus perhorrescit neque ultra
Caeca timet aliunde fata;

Miles sagittas et celerem fugam
Parthi, catenas Parthus et Italum
Robur; sed improvisa leti
Vis rapuit rapietque gentes.

Quam paene furvae regna Proserpinae
Et iudicantem vidimus Aeacum

quam ab homine satis *cautum est*, caveri potest singulas *in horas.*» Noli vero lacerare orationem sic: «*Quid quisque vitet in horas, nunquam* cet.» — *navita - - Poenus*] Sidonius vel Tyrius, Sophocl. Fragm. 756. Dind.: *Φοίνιξ ἀνὴρ, Σιδώνιος κάπηλος.* — *Bosporum*] Thracium Ponti fretum, rapido aquarum cursu et procellis infame. Od. 3, 4, 30.

15. 16. *ultra - - aliunde*] relicto videlicet Bosporo, in Ponto vel, ubi revertitur, in mari Aegaeo, ex alia parte. — *caeca*] «quorum causae ignorantur.» — *timet*] Syllaba producitur in arsi.

17. *celerem*] Bentleius coniectans *reducem fugam* poëtam correxit, non librarios. «Tum, cum minime exspectant Romani, fugam simulatam capessunt Parthi, ut incaute sequentes hostes sagittis figant aversi et statim versis equis redeuntes maiore cum impetu incursent.» Virg. Ge. 3, 31: *Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis.* Ovid. A. A. 3, 687: *Ut celer aversis utere Parthus equis.*

19. *Italum robur*] «carcerem robureum, Tullianum,» quem describit Salust. Catil. 58., in quem nudus detrusus est etiam Iugurtha. Tacit. Ann. 4, 29: *robur et saxum aut parricidarum poenas minitari.*

21. *furvae*] Iam Festus notavit similem sonum vv. *furnus, fuscus, fuligo, funus.* Vetus est vocabulum (Gell. 1, 18.) vel pontificium in hoc usu: *hostiae furvae*, nigrae, quas dis inferis immolabant; apud poëtas de rebus ad inferos spectantibus usurpatur.

22. *Aeacum*] Achillis avum. Plat. Gorg. p. 526. A.: *καὶ τοὺς μὲν ἐκ τῆς Ἀσίας Ῥαδάμανθυς κρινεῖ, τοὺς δὲ ἐκ τῆς Εὐρώπης Αἰακός· Μίνῳ δὲ πρεσβεῖα δώσω ἐπιδιακρίνειν, ἐὰν ἀπορῇτόν τι τὼ ἑτέρω.*

Sedesque discretas piorum et
Aeolis fidibus querentem

Sappho puellis de popularibus,
Et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
Dura fugae mala, dura belli!

Utrumque sacro digna silentio
Mirantur Umbrae dicere; sed magis

Od. XIII. v. 23. *descriptas* C.

23. *discretas*] a Tartaro. Orcus enim apud posteriores ex Elysio (diverso ab Homerico Odyss. δ, 563.) et Tartaro constat.

24. *Aeolis*] Poëtae Lesbii Alcaeus et Sappho Aeolica dialecto utebantur. Iam Pindarus Fr. 10, 1. *καὶ τοὶ μὲν ἵπποις γυμνασίοις τε, τοὶ δὲ πεσσοῖς, τοὶ δὲ φορμίγγεσσι τέρπονται.* — *querentem*] quod sibi in amore non responderent. Frgm. 37. Neue: *Ἔρος δηὖτε μ' ὁ λυσιμελὴς δονεῖ, Γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον. Ἄτθι, σοὶ δ' ἐμέθεν μὲν ἀπήχθετο Φροντίσθην, ἐπὶ δ' Ἀνδρομέδαν ποτῆ.*

26. *sonantem*] Similiter de Anacreonte Simonides Fr. 171. Schneidev.: *Μολπῆς δ'οὐ λήγει μελιτερπέος, ἀλλὰ τὸ κλεινὸν Βάρβιτον οὐδὲ θανὼν εὖνασεν εἰν Ἀΐδῃ.* — *aureo*] Sic Pind. Nem. 5, 24: *φόρμιγγ' Ἀπόλλων ἑπτάγλωσσον χρυσέῳ πλάκτρῳ διώκων.*

28. *fugae*] «exsilii.» — *belli*] Cfr. Od. 2, 7, 10. locum Herodoti 5, 95. Alcaeus floruit circa Olymp. XLIV. aequalis Sapphus. Praecipue eius virtus enituit in impugnandis tyrannis, qui deinceps Mytilenes potiti erant, Myrsilo, Megalagyro, aliis. Nam cum fratre Antimenide exsulibus Mytilenaeis praefuit et ita cives vexavit, ut hi Pittacum ducem contra eos crearent. Ita Pittacum quoque et armis et conviciis aggressus est; a quo eum aliquando captum, sed incolumem dimissum narraverat Heraclitus.

29. *sacro silentio*] «sacris sedibus, quas umbrae silentes incolunt, Elysio.» Virg. Aen. 6, 264: *umbraeque silentes.* v. 433: *silentum Concilium.*

30. *magis Pugnas*] Quia res bellicae multitudinem magis allicere et delectare solent quam tenerae amoris querimoniae.

**Pugnas et exactos tyrannos**
**Densum humeris bibit aure volgus.**

**Quid mirum, ubi illis carminibus stupens**
**Demittit atras belua centiceps**
**Aures et intorti capillis**
**Eumenidum recreantur angues?**

**Quin et Prometheus et Pelopis parens**
**Dulci laborum decipitur sono;**

v. 38. *laborem* C.

32. *densum humeris*] «ita constipatum, ut humeri humeros tangant.» — *bibit aure*] «Audit cupidissime.» Propert. 3, 6, 8: *suspensis auribus ista bibam.*

33. *ubi*] id est, «siquidem ibi.» Iunge *stupens illis carminibus*, ut Sat. 1, 4, 2: *stupet Albius aere.*

34. *Demittit*] «aures prius arrectas ad insidiandum umbris poenae se subtrahere conantibus.» Poëtica autem licentia usus fingit etiam damnatos poëtarum in piorum sedibus collocatorum cantus exaudire. — *belua centiceps*] Hesiodo Theog. 312. est πεντηκοντακάρηνον. Sophocl. Trachin. 1066: Ἅϊδου τρίκρανον σκύλακα, id quod fere Latini poëtae adoptaverunt. Horatius tamen Graecum aliquod exemplum secutus videtur. Sed Tzetzes ad Lycophr. 678: ὁ κύων τοῦ Ἅιδου, ὃς ἔχει ἑκατὸν κεφαλάς.

36. *Eumenidum - angues*] Aeschyl. Choëph. 1048: αἰδὲ Γοργόνων δίκην φασιγίτωνες καὶ πεπλεκτανημέναι Πυκνοῖς δράκουσιν. Catull. 64, 193: *Eumenides, quibus anguino redimita capillo Frons exspirantis praeportat pectoris iras.* — *recreantur*] «levantur, cessant a perpetuo motu, quo circum Eumenidum capita vibrantur.»

37. *Prometheus*] Apud Aeschylum Prom. 1016. propter ignis furtum fulmine deiicitur subter saxi, cui affixus est, ruinam, post longum tempus ad aquilae morsus perpetiendos in lucem retrahendus, tandem tamen ab Hercule liberandus. Horatius vero de eo ita loquitur, ac s in Tartarum praecipitatus ibi mansisset, ut Od. 2, 18, 35. — *Pelopis parens*] Tantalus, Odyss. λ, 581.

38. *laborum decipitur*] Graeca constructione, «κλέπτονται τῶν πόνων,» id est, «obliviscuntur poënarum.» Pro altera lectione

Nec curat Orion leones
Aut timidos agitare lyncas.

v. 40. *timidas* C.

# ODE XIV.

## AD POSTUMUM.

Eheu fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni nec pietas moram
Rugis et instanti senectae
Afferet indomitaeque morti;

minus probanda *laborem* afferunt Sat. 2, 7, 114: *Iam vino quaerens, iam somno fallere curam*, itaque, ut «decipere, fallere laborem» dicatur, sic etiam posse dici: «decipior laborem.»

39. *Orion*] Od. 3, 4, 71: *Tentator Orion Dianae.* Odyss. λ, 571: Ὠρίωνα πελώριον εἰσενόησα θῆρας ὁμοῦ εἰλεῦντα κτλ.

XIV. Postumum, hominem nobis ignotum (nisi quod ad *Postumum* est etiam Propertii Elegia 3, 12.), ad abigendas nimias sollicitudines atque ad sapientem vitae usum adhortatur. Similis argumenti sunt Od. 2, 3 et 11. Od. 4, 7 cet. (a. u. c. 730?).

2. *Labuntur*] «sensim, nobis eorum decursum vix animadvertentibus.» Ovid. Fast. 6, 771: *Tempora labuntur tacitisque senescimus annis. — pietas*] εὐσέβεια, θρησκεία θεῶν. Cfr. Od. 4, 7, 21.

4. *indomitae morti*] «inevitabili, cui nemo resistit nec sese subtrahit.» Iliad. λ, 158: Ἀΐδης τοι ἀμείλιχος ἠδ' ἀδάμαστος. Aeschylus in Nioba Fr. p. 12. Dind.: Μόνος θεῶν γὰρ Θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ, Οὔτ' ἂν τι θύων οὔτ' ἐπισπένδων ἄνοις, Οὐ βωμός ἐστιν οὐδὲ παιωνίζεται· Μόνον δὲ Πειθὼ δαιμόνων ἀφίσταται.

Non, si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrimabilem
Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonen Tityonque tristi

Compescit unda, scilicet omnibus,
Quicunque terrae munere vescimur,
Enaviganda, sive reges
Sive inopes erimus coloni.

Frustra cruento Marte carebimus
Fractisque rauci fluctibus Hadriae,

5. *trecenis*] «Non, si quotidie tres hecatombas Plutoni immoles.» — *eunt*] «procedunt atque nobis abeunt.» Epp. 2, 2, 55: *Singula de nobis anni praedantur euntes.* Plaut. Bacch. v. 1209: *It dies: ite intro accubitum.*

6. *illacrimabilem*] Formavit v. ad Graecum ἀδάκρυτος, ἄκλαυστος, «qui tam durus est atque implacabilis, ut ad lacrimas et misericordiam nullo pacto commoveri queat,» similiterque Plauto (Mil. Glor. 2, 6, 63.) *incogitabilis* est, qui non cogitat. Alio significatu usurpavit Od. 4, 9, 26.

7. *ter amplum*] «τρισώματον, triplici eodemque ingenti corpore praeditum.»

8. *Geryonen*] Chrysaoris et Callirhoës filium. Eurip. Herc. fur. 423: Ἦδραν βέλεσιν ἀμφέβαλλε, Τὸν τρισώματον οἷσιν ἔκταβοτῆρ' Ἐρυθείας. — *Tityonque*] Odyss. λ, 576: Καὶ Τιτυὸν εἶδον, Γαίης ἐριηδέος υἱόν· Λητὼ γὰρ ἤλκησε Διὸς κυδρὴν παράκοιτιν. Iuppiter Elara, Orchomeni filia, potitus, Iunonis suspicionem veritus, eam in Terra defodit. Terra ingenti statura filium edidit, qui Tityus nominatus est. Hunc Latonae amore captum eique vim afferre conatum vel Apollo vel Diana (Pind. Pyth. 4, 160.) sagittis trafixit. In Tartaro ei per tota novem ingera corpus porrigitur. Virg. Aen. 6, 596. — *tristi*] Virg. Ge. 4, 478.

10. *munere vescimur*] Iliad. ζ, 142: οἳ ἀρούρης καρπὸν ἔδουσι. Simonides Fr. 19: εὑρυεδοῦς ὅσοι καρπὸν αἰνύμεθα χθονός.

11. *Enaviganda*] in prosa orat. «traiicienda.» *Enavigare* nove dictum videtur pro «navigare usque ad alteram ripam, sine reversione ac reditu.»

12. *coloni*] «qui agrum alienum colunt, vel mercede (Sat. 2, 2, 114.) vel pensionem domino solventes, Italorum *massaj*.»

Frustra per auctumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum:

Visendus ater flumine languido
Cocytos errans et Danai genus
Infame damnatusque longi
Sisyphus Aeolides laboris.

Linquenda tellus et domus et placens
Uxor, neque harum, quas colis, arborum
Te praeter invisas cupressos
Ulla brevem dominum sequetur.

*13. rauci fluctibus*] «Frustra etiam a navigatione abstinebimus.» Obtusum ac remurmurantem illum fragorem undarum ad scopulos allidentium *raucum* vocat.

*15. per auctumnos*] Sat. 2, 6, 18: *Nec mala me ambitio perdit nec plumbeus Auster Auctumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.*

16. Rectior constructio: *metuemus corporibus* quam: *nocentem corporibus.*

*17. 18. languido*] «tardis flexibus labente.» Iam Pindarus Fragm. 10, 1. Boeckh. Ed. min. de fluminibus apud Inferos: *Ἔστιν τὸν ἄπειρον ἐρεύγονται σκότον Βληχροὶ δνοφερᾶς νυκτὸς ποταμοί.* Virg. Ge. 4, 478: *limus niger et deformis arundo Cocyti.* Aen. 6, 132: *Tenent media omnia silvae Cocytosque sinu labens circumvenit atro. — Danai genus*] Ovid. Met. 4, 464: *Molirique suis letum patruelibus ausae Assiduae repetunt, quas perdant, Belides undas.*

*19. 20. damnatus -- laboris*] Eadem constructione usus est, quae tralaticia est in formulis *damnatus capitis, furti, iniuriarum*, etsi in prosa orat. insolitum esset *damnatus poenae alicuius* pro dativo (*d. morti*) vel *ad poenam.* Sed Graeci *καταγνωσθεὶς θανάτου* cet. — *Sisyphus*] Odyss. λ, 593.

*21. placens*] Non tam «amabilis» quam «cara, grata.» Lucret. 3, 907.

*23., cupressos*] Arbor est Diti sacra atque propterea funebri signo ad domos et circa rogos ditiorum poni solita. Lucan. 3, 442: *Et non plebeios luctus testata cupressus.* Plantabantur etiam circa tumulos, unde *ἐπίθετα funebris* Epod. 5, 17., *feralis* Virg. Aen. 6, 215., *atra* Aen. 3, 64.

*24. brevem dominum*] «δεσπό-

Absumet heres Caecuba dignior
Servata centum clavibus et mero
Tinget pavimentum superbo,
Pontificum potiore coenis.

Od. XIV. v. 27. *superbum* C. *superbus* Cld. *superbis* Cuninghame.

---

# ODE XV.

## IN SUI SECULI LUXURIAM.

Iam pauca aratro iugera regiae
Moles relinquent, undique latius

*την ὀλιγοχρόνιον*, per breve tempus latifundia possidentem.»

25. 26. *Caecuba*] in Latio prope Fundos. — *dignior*] «te, quoniam iis fruetur, cum tu parcas ut saeris.» — *centum clavibus*] Hyperbole pro «diligentissime».

27. *tinguet*] «colore suo rubro pavimentum triclinii marmoreum madefaciet.» — *mero - - superbo*] Sic optimi quique Codd. *Mero* ipsi superbia attribuitur eo, quod praestantiae suae conscium quasi insultat pavimento. Etenim loquitur de profusione propter *παροινίαν* solita in heluonum epulis. Cic. Philipp. 2, 41. de Antonio: *natabant pavimenta vino, madebant parietes.* Qui legunt *pavimentum superbum*, intelligunt artificiose tessellatum. Minus etiam respiciendae sunt lectiones *superbis*, cum *Pontificum - - coenae* per se fuerint *superbae*, opiparae, lautissimae) et *superbus*, cum et *heres* iam habeat *ἐπίθετον dignior* et minus poëtice ipse dicatur *superbus* quam merum, quod profundit.

28. *Pontificum potiore*] «potiore eo vino, quod potant pontifices in epulis illis sollemnibus, quae in proverbium abierant.» Martial. 12, 48, 12: *Non Albana mihi sit comissatio tanti, Nec Capitolinae Pontificumque dapes.*

XV. Dehortatur aequales ab insano magnificas atque amplissimas aedes exstruendi morbo eosque ad antiquam simplicitatem

**Extenta visentur Lucrino**
**Stagna lacu platanusque caeleb**

**Evincet ulmos. Tum violaria et**
**Myrtus et omnis copia narium**
**Spargent olivetis odorem**
**Fertilibus domino priori;**

**Tum spissa ramis laurea fervidos**

revocare conatur. Perquam credibile est, hoc et similia carmina (Od. 3, 2. 6. 24.), quibus in seculi sui luxum invehitur, non sine Augusti assensu ipsoque fortasse instigante composita esse; nam quae huius generis proferebat Horatius, ea Augusti voluntatem exprimere nemo tum non videbat. (Scriptum carmen a. u. c. 726?)

1. 2. *regiae Moles*] Suut ampla et magnifica aedificia, uti turrem Maecenatis nam Od. 3, 29, 10. vocat *molem propinquam nubibus*. Cfr. Sal. Catil. 12. Talia autem paullatim coartabant arva fertilia non tam per se ipsa quam propter silvas, porticus, gestationes, ambulationes, leporaria, piscinas, euripos, lacus adiectos. Tiberius apud Tac. Ann. 3, 53: *Quid primum prohibere et priscum ad morem recidere adgrediar? villarumne infinita spatia?* cet.

3. *visentur*] «cum admiratione conspicientur ex omni parte, ubi spectator steterit.» — *Lucrino*] prope Baias iuxta lacum Avernum, lacus piscosus ostreisque abundans.

4. *stagna*] Seneca Controv. 4, 5: *navigabilia piscinarum freta*. Harum amatores, Lucullos, Crassum, Hortensium *piscinarios* vocat Cic. ad Att. 1, 19. — *platanus caelebs*] Martiali 3, 57: *vidua*, «quae vitibus maritari non potest propter ramos densos lateque extentos.» Noti sunt Romanorum platanones opaci. Plin. Epp. 1, 3.

5. *Evincet*] «cedere cogit agris,» ut Plin. 18, 21: *evincit herbas lupinum*. Ulmi et populi diligenter putatae *maritabantur* vitibus. Plin. 16, 17: *Inter arbores steriles atque frugiferas materie vitiumque amicitia accipitur ulmus.* — *tum violaria*] His respondent vv. *tum laurea*, id est, *modo - modo;* nec leg. *tunc - tunc*.

6. *Copia narium*] «Omnes flores omniaque virgulta, ex quibus suavis odor naribus afflatur.» Schol.: «luxus odorum».

7. *olivetis*] «Ex utilibus antea olivetis iam sterilia fient violaria, myrteta, rosaria, laureta sive daphnones.»

9. *laurea*] pro lauro dixit etiam Liv. 32, 1. Ovid. Met. 10, 92: *innuba laurus*. Talia arboreta et *silvas* et *viridia, viridaria* vocabant.

Excludet ictus. Non ita Romuli
Praescriptum et intonsi Catonis
Auspiciis veterumque norma.

Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum: nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton;

Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico

Od. XV. v. 10. *aestus* C.

10. *ictus*] Eadem metaphora, qua poëtae, in primis Lucretius, *luminis ictus, verbera solis, tela diei*, Eurip. Bacch. 458: *ἡλίου βολαῖσιν*. Anon. in Stob. Flor. Grot. 393: *θέρμ' ἡλίου τοξεύματα*, nisi quod omisit v. *solis*. — *Romulo*] «quo regnante bina iugera populo Romano satis erant.» Plin. 18, 2.

11. *intonsi*] prisci illius Censorii. Anno demum u. c. 454. tonsores e Sicilia Romam venerunt. Plin. 7, 59.

12. *Auspiciis*] «exemplis, quae nobis quoque vitae regulas suppeditare deberent.»

13. 14. *brevis*] in prosa orat: «tenuis, exiguus.» — *Commune*] *τὸ κοινόν*, aerarium, ager publicus, vectigalia.

15. *privatis*] est *ἐπίξεστον* v. *decempedis*, perticis X. pedum. Porticus significat adeo longas et latas, ut ad eas commetiendas decempedis opus sit; porticus *publicae* circa theatra ac templa si tam amplae essent, non indignaretur.

16. *excipiebat Arcton*] «patebat versus Septentrionem, qui loca ad se versa *opaca* ac propterea frigidiora reddit.» In huiusmodi porticibus per aestum frigore fruebantur.

17. *fortuitum*] «ubique facile reperiendum, vilem.» Ex hoc igitur cespite ubivis obvio faciebant antiqui parietes et culmina tectorum. Virg. Ecl. 1, 69: *tuguri congestum cespite culmen*. Sic Romuli casa stramentis tecta. Virg. Aen. 8, 654: *Romuleoque recens horrebat regia culmo*.

Sumptu iubentes et deorum
Templa novo decorare saxo. 20

---

# ODE XVI.

## AD GROSPHUM.

Otium divos rogat in patenti
Prensus Aegaeo, simul atra nubes

Od. XVI. v. 2. *Pressus* Codd. aliq.

20. *novo decorare saxo*] «recens e lapicidinis exciso ad templa construenda.» Cic. pro Flacco 12: *Haec ratio ac magnitudo animorum in maioribus nostris fuit, ut, cum in privatis rebus suisque sumptibus minimo contenti tenuissimo cultu viverent, in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocarent.*

XVI. Grosphus est Pompeius Grosphus, eques Romanus Siciliensis, de quo Epp. 1, 12, 22. fortasse ex eadem gente, qua fuit Eubulidas Grosphus Centuripinus (Cic. Verr. Acc. 3, 23.). Compositum videtur carmen a. u. c. 731.

1. *Otium*] «quietum vitae statum coniunctum cum sufficientibus fortunis semperque remotum a periculis et curis.» Hanc σχολὴν, Aristoteli saepe διαγωγήν, tranquillitatem tamquam finem bonorum expetunt illi ipsi, qui maximis se vitae discriminibus exponunt, mercator et miles, ut copiis paratis tandem otientur; verum autem otium pendet ex animi bene compositi constantia atque rerum externarum despicientia, quam quisque sibi ipse αὐταρκείᾳ sua praestare debet neque exspectare, ut casu nanciscatur, quod optat. — *in patenti*] «in alto mari procelloso.»

2. *Prensus*] Virg. Ge. 4, 421: *Deprensis olim statio fidissima nautis;* ubi Servius: «*deprensus* nauticum verbum est, cum tempestate occupantur.»

Condidit Lunam neque certa fulgent
Sidera nautis.

Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis neque purpura venale neque auro.

Non enim gazae neque consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis et curas laqueata circum
Tecta volantes.

Vivitur parvo bene, cui paternum

3. *certa*] «quibus aliis, cum eorum claritudo pernox est, secure fidere potest mercator navigans,» nominatim Helice et Cynosura.

5. *bello furiosa*] «asperis bellis semper implicata.» Eurip. Hec. 1088: *Θρῄκης Λογχοφόρου, ἵππλου, εὐίππου, Ἄρει κάτοχον γένος*. Virg. Aen. 3, 13: *Terra procul vastis colitur Mavortia campis; Thraces arant.* — *Medi*] Parthi.

10. *Summovet*] verbum proprium de lictoribus. Festus: *Matronae non summovebantur a magistratibus.* Sine imagine: «nec divitiae neque summi honores curis nos liberant.» — *tumultus*] saepe de animi perturbationibus.

11. *laqueata tecta*] «tecta triclinionum laquearibus sive lacunaribus plerumque auro atque ebore, vel opere musivo picturisve ornatis magnifice variegatorum.» Cic. de Legg. 2, 1: *pavimenta marmorea et laqueata tecta contemno.* — *Curas* cum alitibus funestis ita comparat, ut volatus imaginem leviter, quemadmodum par erat, significet.

13. «*Vivitur parvo bene*] beateque illi, cui nihil deest, etsi divitias non possidet.» — *paternum salinum*] «ex patria hereditate acceptum,» quo significatur patris iam modica fortuna a filio neque aucta neque imminuta. Hoc autem aureae mediocritatis erat apud Romanos habere salinum ex argento veluti vas sacrum. Pers. 3, 25: *rure paterno Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum. Quid metuas?*

14. *Splendet*] quia a servis quotidie tergetur, ut in munda domo. — *tenui*] ubi cum ditiorum men-

**Splendet in mensa tenui salinum,**
**Nec leves somnos timor aut cupido**
**Sordidus aufert.**

**Quid brevi fortes iaculamur aevo**
**Multa? quid terras alio calentes**
**Sole mutamus? patriae quis exsul**
**Se quoque fugit?**

**Scandit aeratas vitiosa naves**
**Cura nec turmas equitum relinquit,**

v. 19. *mutamus patria? quis exsul* Critici coni. v. 21. *puppes* Excerpta Bodleiana.

*sis* comparetur; «modica», non «inopi».

15. *leves*] Od. 2, 11, 8: *faciles*, Virg. Ge. 2, 470: *molles*, Stat. Theb. 10, 116: *teneros. — cupido*] Apud Horatium semper genere masculino, ut apud Plautum Amphitr. 2, 2, 210. *sedatum cupidinem.*

17. *fortes*] κατ' εἰρωνείαν· «qui fortes nobis videmur in vita tam fluxa et caduca.» — *iaculamur*] «acerrimo studio petimus.» Usitata imago etiam Graecis. Eurip. Hec. 603: Καὶ ταῦτα μὲν δὴ νοῦς ἐτόξευσεν μάτην. Iunge *iaculamur brevi aevo*, non, ut fecerunt alii: *brevi aevo fortes.*

19. *mutamus? patriae*] Cum vv. *patriae quis exsul se quoque fugit?* a nemine aliter intelligi possint quam sic: «Quis χαιρίδος φυγάς, patriam sua sponte relinquens ea spe, fore, ut alibi meliore vita fruatur, propterea liberat se sollicitudinibus, quae antea eum angebant?», ea lectorum intelligentia fretus Horatius ausus est dicere: *quid terras alio calentes Sole mutamus?* certus haec ab omnibus ita perceptum iri, ac si dixisset: «Cur patria propter nescio quod fastidium derelicta longinquas (ut solebant Romani) regiones petimus?» *Exsul* cum genitivo, ut Ovid. Met. 9, 409: *exsul meptisque domusque.* Petron. Fr. 5. *exsul hiemis ciconia*, Graeco modo Eurip. Med. 401: ἔκδημος χθονός. Theocr. 24, 127: φυγὰς Ἄργεος.

21. *Scandit*] Od. 3, 1, 37: *Post equitem sedet atra cura.* Lucret. 2, 46: *Re veraque metus hominum curaeque sequaces Nec metuunt sonitus armorum nec fera*

Ocior cervis et agente nimbos
Ocior Eauro.

Laetus in praesens animus, quod ultra est,
Oderit curare et amara lento
Temperet risu. Nihil est ab omni
Parte beatum.

Abstulit clarum cita mors Achillem,
Longa Tithonum minuit senectus,

v. 26. *leni* Bentl. suspicio.

*tela Audacterque inter reges rerumque potentes Vorsantur neque fulgorem reverentur ab auro Nec clarum vestis splendorem purpureäi.* — *vitiosa*] «morbosa, ex mentis vitio orta.»

22. *turmas equitum*] proprie accipiendum de equitibus in bellum proficiscentibus; hos angit vel suorum desiderium vel praedae cupido vel mortis timor. — *agente*] «prae se pellente.»

25. 26. *quod ultra est*] «τὰ πόῤῥω, futura.» — *Oderit*] *odisse, fugere* apud poëtas pro «nolle». — *lento*] «quieto, moderato»; nam risus est etiam confumeliae, est interdum desperationis, violentus.

27. *Nihil est*] Bacchylides Fr. 1. N.: Ὄλβιος, ᾧτε θεὸς μοῖράν τε καλῶν ἔπορεν Σύν τ' ἐπιζάλῳ ψύχᾳ Ἀφνειὸν βιοτὰν διάγειν· Οὐ γάρ τις ἐπιχθονίων πάντα γ' εὐδαίμων ἔφυ.

29. 30. *Achillem*] μινυνθάδιον, ὠκύμορον. — *Tithonum*, Laomedontis filium, consumpsit senium, quia Aurora, cum a Iove immortalitatem ei impetrasset, ἀγηρασίας, aeternae iuventutis efflagitandae oblita erat, adeo ut, quemadmodum narrat Servius ad Ge. 1, 447., tandem in cicadam converteretur, quod tamen nondum narrat Hymn. Hom. 219. nec de hac μεταμορφώσει cogitavit Horatius.

31. *Et mihi*] Tertium, ut ita dicam, exemplum proponit sententiae illius v. 27., petitum a semet ipso et a Grospho, ἀπὸ τοῦ δυνατοῦ. — «Fieri potest, ut bonum aliquod frustra a te optatum mihi insperanti obtingat.» — *hora*] «singulae occasiones, prout tempore procedente sese per vices offerunt.» Pro προσωποποιΐᾳ, ut sit vel Hora dea temporum vel latius etiam, Fortuna, nolim habere.

Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora.

Te greges centum Siculaeque circum
Mugiunt vaccae, tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa, te bis Afro
Murice tinctae

Vestiunt lanae: mihi parva rura et
Spiritum Graiae tenuem Camenae
Parca non mendax dedit et malignum
Spernere volgus.

33. *Greges*] «Te circumbalant greges ovium»; id quod assumendum ex seqq.

35. *Apta*] non «iuncta», sed «idonea». — *equa*] Equabus in primis, non equis, utebantur in certaminibus. Virg. Ge. 1, 59: *Eliadum palmas Epiros equarum.*

36. *murice*] Epod. 12, 21: *Muricibus Tyriis iteratae vellera lanae.*

37. *parva rura*] agellum Sabinum. Bacchylides Frgm. 27: *Οὐ βοῶν πάρεστι σῶμα τ', οὔτε χρυσὸς οὔτε πορφύρεοι τάπητες, ἀλλὰ θυμὸς εὐμενὴς || Μοῦσά τε γλυκεῖα καὶ Βοιωτίοισιν ἐν σκύφοισιν οἶνος ἡδύς.*

38. *spiritum*] Od. 4, 6, 29. — *tenuem*] Non significat «particulam aliquam exiguam spiritus, vividae illius facultatis poëticae,» sed «subtilem atque ingeniosum, *fein, zart;*» ut A. P. 45: *In verbis etiam tenuis cautusque serendis.* Martialis 6, 64: *tenues Athenae*, similique imagine Plin. Ep. 2, 3: *praefatio gracilis.* Panegyr. in Pison. 230: *gracilis — Horati.*

39. *non mendax*] «cuius decreta in cuiusque hominis ortu pronuntiata certum semper habent exitum.» Carm. Sec. 25. est *verax*, Persio 5, 48. *tenax veri.* — *malignum*] «invidum atque iniquum plerumque in eos, qui in qualicunque genere excellunt.»

# ODE XVII.

## AD MAECENATEM.

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec dis amicum est nec mihi te prius
Obire, Maecenas, mearum
Grande decus columenque rerum.

Ah te meae si partem animae rapit
Maturior vis, quid moror altera,

XVII. Congratulatur amico, cum ex gravi morbo convaluisset, simulque eum consolari studet atque hortatur, ne querelis nimis indulgeat. Plinius H. N. 7, 52: *Quibusdam perpetua febris est, sicut C. Maecenati. Eidem triennio supremo nullo horae momento contigit somnus.* Seneca Ep. 101. Scriptum videtur carmen a. u. c. 733.

1. *exanimas*] «conturbas et maerore afficis.» Cic. pro Mil. 34: *me exanimant et interimunt hae voces Milonis, quas audio assidue.* Sic etiam *enicare* Terent. Andr. 4, 4, 36.

2 — 5. *amicum est*] pro «placet», Graeco modo. Iliad. ι, 23: *Οὕτω που Διὶ μέλλει ὑπερμενέϊ φίλον εἶναι.*

6. *Maturior vis*] «Si vis leti te citius quam me exstinguat, quid ego, altera unius eiusdemque animae nostrum amborum pars in vita remaneo?»

7. *carus aeque*] «atque prius eram.» Dictum est, ut Epp. 1, 3, 29: *Si patriae volumus, si nobis vivere cari.* — *superstes*] «Nec sum vitam habiturus integram parte mei altera in te exstincta.» Schol.

9. *Ducet ruinam*] Sic Virgilius aliquoties *trahere ruinam*, quia ea pars aedificii, quae prima cadit, secum *ducit*, *trahit*, etiam ceteras. — Superstes fuit Maecenati perbreve tempus, siquidem uterque mortuus est a. u. c. 746. Maecenas Augusto paullo ante mortem scripsit: *Horatii Flacci*

Nec carus aeque nec superstes
Integer? Ille dies utramque
Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
Utcunque praecedes, supremum
Carpere iter comites parati.

Me nec Chimaerae spiritus igneae,
Nec si resurgat centimanus Gyges,
Divellet unquam: sic potenti
Iustitiae placitumque Parcis.

Od. XVII. v. 14. *Gyas* Lambinus.

*ut mei esto memor.* — *Horatius autem conditus extremis Exquiliis iuxta Maecenatis tumulum.* Sueton. in Vita Hor. — *perfidum* ] «Non ego peieravi.»

10. *Dixi sacramentum* ] Proprie locutus est. Caesar B. C. 1, 23: *Milites Domitianos sacramentum apud se dicere iubet.*

11. *Utcunque* ] «Quandocunque tu mortem obibis, eodem temporis puncto ego quoque hinc discedam.»

12. *Carpere iter* ] apud poëtas (Sat. 1, 5, 94.), quia singulis passibus aliquam totius itineris particulam quasi auferimus. Festinationis significatio non inest.

13. *Chimaerae* ] Talia monstra in aditu ad umbrarum loca a Virgilio collocantur Aen. 6, 285: *Multaque praeterea variarum monstra ferarum, Centauri in foribus stabulant Scyllaeque biformes Et centumgeminus Briareus ac belua Lernae Horrendum stridens flammisque armata Chimaera.* Πνέουσαν ἀμαιμάκετον πῦρ vocat Hesiod. Theog. 319.

14. *resurgat* ] nunc prostratus in Tartaro. Hoc dicit: «Maximi terrores et pericula nunquam me a te segregabunt.» — *Gyges* ] Hes. Theog. 149: Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ τρεῖς παῖδες Κόττος τ' Ὀβριάρεώς τε Γύγης θ' ὑπερήφανα τέκνα· τῶν ἑκατὸν μὲν χεῖρες ἀπ' ὤμων ἄΐσσοντο κτλ.

16. *Iustitiae* ] Δίκη, Iovis et Themidis filiae, Parcarum sorori, quibuscum h. l. aptissime coniungitur tamquam πάρεδρος. Hesiod. Th. 902.

**Seu Libra seu me Scorpios adspicit**
**Formidolosus, pars violentior**
**Natalis horae, seu tyrannus**
**Hesperiae Capricornus undae,** 20

**Utrumque nostrum incredibili modo**
**Consentit astrum. Te Iovis impio**

17. *seu Libra* ] Tres proponit horoscopos quam maxime diversos, inter quos unum fortasse suum esse dicit. «Quaecunque est genitura mea, certe incredibiliter consentit cum tua, adeo ut in vita eiusque vicissitudinibus atque in obitu ipso iisdem prorsus fati legibus obedituri simus.» — *adspicit* ] Apud mathematicos proprie sidera ipsa in singulorum hominum genitura sese adspiciunt. Manetho 1, 18: *Ἦν Κρόνος Ἠέλιός τ' ἄμφω κατίδωσι Κυθήρην.* Ibid. v. 109: *Ἄρεος εἰσβλέψαντος ὁμοῦ Μήνην Ἀφρίην τε.* Proxime tamen fortasse ad Horatii locum accedit Manethro 4, 116: *Ἦν δέ τ' ἀνοικείοισι τόποις ὡροσκόπον Ἄρης Φέγγος ἐπιτρέψῃ γονιμὴν ἐπὶ γαστέρα θνητῶν, Χωλοπόδας τεύχει·* et 122: *Ἦν δ' ἐπιμαρτυρίην Ἄρεως ἑλοῦσα· Ἀφροδίτη Ὅμμα βάλῃ παντευγὲς ἐν ἡμερινῇσι λοχείαις κτλ.* Sic paullatim invaluit usus, ut sidera ipsa nascentes aspicere dicerentur. Mamertin. Genethl. Maxim. 19: *nascentes vos - - bona sidera et amica viderunt;* prorsus ut ex antiquiore etiam doctrina dii nascentes *placido numine* adspiciunt (Od. 4, 3, 1.) Hesiod. Theog. 80: *ὁππότινα τιμήσωσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο Γεινόμενόν τ' ἐσίδωσι κτλ.*

18. *Formidolosus* ] Manil. 4, 217: *Scorpios armata violenta cuspide cauda. — pars* ] «sidus, quod una cum aliis, quae adspicit, hominis genituram format atque definit.» — *violentior* ] In omni genitura est unus semper *ἀστὴρ* auctore Manethone 1, 341 et 3, 413: *ὅς ῥά τε δεσπόζει γενέθλης μέγα τε κράτος ἔχει*, ideoque mathematico prae ceteris spectandus. *Violentior* itaque, «quae maximam vim in genituram eius, qui in illius aspectu natus est, exercet;» non: «quae propter violentiam, quâ grassatur, homini ei subiecto periculum minatur.»

19. *tyrannus* ] «qui tempestates in mari occidentali, quod Hispaniam alluit, excitare solet.» Manil. 4, 784: *Tu, Capricorne, regis, quidquid sub sole cadente Expositum gelidamque Helicen quod tangit ab illo. Hispanas gentes et quod fert Gallia dives, Tequ*

Tutela Saturno refulgens
Eripuit volucrisque Fati

Tardavit alas, cum populus frequens
Laetum theatris ter crepuit sonum:
Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum

Dextra levasset, Mercurialium

*feris dignam tantum, Germania, matrem Asserit ambiguum sidus terraeque marisque.*

21. *Utrumque*] Persius 5, 45: *Non equidem hoc dubites, amborum foedere certo Consentire dies et ab uno sidere duci. Nostra vel aequali suspendit tempora Libra Parca tenax veri seu nata fidelibus hora Dividit in Geminos concordia fata duorum Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una.*

23. *Tutela*] Hoc quoque astrologorum vocabulum. Manil. 2, 436. 4, 698. — *impio - Saturno*] Manetho 1, 110: *Κρόνῳ βλαβερῷ* et 3, 245: *Κρόνου βλαβερανγέος ἀστήρ.* — *refulgens*] «ex adverso radians.» Similis oppositio Ovid. Am. 1, 8, 29: *Stella tibi opposita nocuit contraria Martis: Mars abiit; signo nunc Venus apta suo.*

24. 25. *volucrisque fati*] «Mortem impendentem et iamiam adventantem a capite tuo depulit.» — *alas*] Est imago celeritatis, qua letum mortales rapere solet.

26. *ter crepuit*] «Ter laeto plausu te populus excepit, cum levatum a morbo in theatro conspexit.» Cfr. Od. 1, 20, 3.

27. 28. *Me truncus*] Cfr. Od. 2, 13. — *sustulerat*] Saepe sic actio, quam dicunt hypotheticam (*sustulisset*), quasi re vera locum habuisset, exprimitur tempore plusquamperfecto modi indicativi. Tacit. Ann. 3, 14: *Effigies Pisonis traxerant in Gemonias ac divellebant, ni iussu principis protectae repositaeque forent.* — *Faunus*] Od. 3, 8, 7., ut poëtae licebat, Baccho suam conservationem tribuit. Hic *Faunus* silvarum et agrorum deus poëtam agri amantem atque solitudines libenter perambulantem protegit.

29. *levasset*] «deflexisset, avertisset.» Proprie est «in altum tollere ictum, dum cadit, itaque eum debilitare et repellere atque impedire, quominus feriat elidatque rem, quam prius petebat.» — *Mercurialium*] Hoc nomine sodalicium erat Romae mercatorum memoratum a Cicerone ad Q. Fr. 2, 5. et in Inscriptt. meis Lat. 134. 2381. Hic autem festive ita vocat poëtas, quos in tutela habet Ἑρμῆς λόγιος.

Custos virorum. Reddere victimas
Aedemque votivam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

## ODE XVIII.

Non ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar,
Non trabes Hymettiae
Premunt columnas ultima recisas
Africa, neque Attali

30. *reddere*] Verbum proprium de votis, ut *solvere*. Propert. 2, 28, 58: *Tu quoniam es, mea lux, magno dimissa periclo, Munera Dianae debita redde choros.*

31. *aedem votivam*] SALVTI deae. Inscripti. Lat. 1827. vel IOVI DEPVLSORI - CONSERVATORI. Ibid. 1230. 1629.

XVIII. «Ego mediocri mea sorte contentus despicio avaros, quos aeque ac pauperes mors manet. (A. u. c. 729?)»

1. 2. *ebur*] Bacchylidis Fr. 26. Neue: *χρυσῷ δ' ἐλέφαντί τε μαρμαίροντες οἶκοι.* — *aureum - lacunar*] «eburneis et aureis laminis ornatum lacunar.» — *renidet*] Cfr. Od. 2, 5, 19. Lucret. 2, 27: *Nec domus argento fulget auroque renidet.*

3. *Trabes Hymettiae* sunt epistylia *(architravi)* ex marmore albicante montis Hymetti prope Athenas; et *columnae recisae ex ultima Africa* sunt columnae e marmore Numidico seu Libyco, quod volgo appellamus *giallo antico*. FEA.

5. *Neque Attali*] «Neque vero, ut aliquando (a. u. c. 621.) Romani veluti ex insperato heredes facti sunt Attali III. Philometoris, regis Pergameni, eiusque regiam thesaurosque occuparunt, qua occasione multa impune avertere poterant legati ad eam rem administrandam missi, ita ego nec-

Ignotus heres regiam occupavi,
Nec Laconicas mihi
Trahunt honestae purpuras clientae.

At fides et ingeni
Benigna vena est, pauperemque dives
Me petit: nihil supra
Deos lacesso nec potentem amicum

Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis.
Truditur dies die,
Novaeque pergunt interire Lunae.

opinato aliquo casu dives sum factus.» In proverbium abierant Attali opes. Cfr. Od. 1, 1, 12. Livii Epit. 58.

6. *ignotus heres*] Attalus enim eos, quos testamento suo divites redditurus erat, ne noverat quidem, cum illud scriberet. Inest amara εἰρωνεία.

7. *Laconicas*] «Neque lanam in Laconia purpura tinctam (quae purpura nobilioris generis erat atque lucidior:) mihi nent clientae, ut solebant vel mercede conductae vel gratis, ut patronorum gratiam inirent; nullas enim clientas habeo.» Est igitur sublata imagine: 1) «nec purpureis vestibus utor; 2) neque nobilitate conspicuus sum.»

10. *Benigna vena*] ut A. P. 409: *sine divite vena;* metaphora a metalli venis repetita.

11. *Me petit*] «saepe ad se me vocat libenterque et comiter mecum versatur. Ultra haec autem nihil a diis impenso studio efflagito.» Ut *fatigare* et *obtundere precibus* dicunt, sic etiam *lacessere* significat, «enixe precari deos, donec nos exaudiant.»

12. *Potentem amicum*] «aliquem, ut faciunt multi.»

14. *Sabinis*] quae praedia a Maecenate dono acceperat a. u. c. 723. Non obliviscendum longe minoris aestimatos esse fundos Sabinos quam Tiburtes, Tusculanos cet. Catull. 44, 1.

15. 16. *truditur*] in prosa oratione: «dies diem celeriter excipit mensisque mensem. Lunae continua vicissitudine crescunt et decrescunt.»

Tu secanda marmora
Locas sub ipsum funus et sepulchri
Immemor struis domos
Marisque Baiis obstrepentis urges
Summovere litora,
Parum locuples continente ripa.
Quid, quod usque proximos
Revellis agri terminos et ultra
Limites clientium
Salis avarus? Pellitur paternos

17. *Tu* ] senem aliquem divitem, quem sibi obviam factum fingit, cum indignatione alloquitur. «Tu morti iam vicinus *locas*, id est, cum redemptore aliquo pactum inis, qui secanda marmora curet suo periculo.» *Secabatur* autem marmor in tabulas ad pavimentorum usum et ad parietes crusta marmoris operiendos. Plin. H. N. 36, 6.

20. 22. *Baiis* ] oppidum Campaniae litorale, celebre amoeno situ et aquis calidis. — *urges* ] «summo studio in id incumbis, ut longius promoveas litus molibus exstructis non satis habens loci in litore.» *Ripam* pro *litore* et *litus* pro *ripa* usurpant poëtae.

24. *Revellis* ] Termini proprie dicuntur *moveri*, *exarari*. Festus in v. Termino: *Numa statuit eum, qui terminum exarasset, et ipsum et boves sacros esse.*

25. 26. *clientium* ] Lex XII. Tabb. (8, 21:) *PATRONUS SI CLIENTI FRAUDEM FECERIT, SACER ESTO.* — *salis* ] Inest in hoc v. audaciae significatio. Solonis lex apud Dirksen XII. Tabb. p. 731: *Ἐάν τις αἰμασίαν παῤ ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρυγῇ, τὸν ὅρον μὴ παραβαίνειν.* — *pellitur* ] Haud infrequens illo tempore facinus, quia clientes inopes patronum iniustum, sed pecunia ac potentia vallatum, in ius arcessere non audebant. Sal. Iug. 41: *Interea parentes aut parvi liberi militum, ut quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur.*

28. *sordidosque natos* ] «pannosos.» Minus quam nos in hac imagine offendebant antiqui, qui frequenter reos sordidatos videbant. Ovid. Am. 1, 8, 39: *immundae Tatio regnante Sabinae.*

29 — 32. *Nulla certior* ] «Quid

In sinu ferens deos
Et uxor et vir sordidosque natos

Nulla certior tamen
Rapacis Orci fine destinata
Aula divitem manet
Herum. Quid ultra tendis? Aeque tellus

Pauperi recluditur
Regumque pueris, nec satelles Orci
Callidum Promethea
Revexit auro captus. Hic superbum

v. 30. *sede* B. e Codd. v. 36. *Revinxit* C.

migrare conaris naturae fines legesque mortalitatis? Pro certo tibi moriendum est.» — *Rapacis*] Callimach. Ep. 2, 6: *Ἀΐδης ἁρπακτήρ.* — *fine*] Vocabulo explicatu difficiliori nonnulli substituerunt gloss. *sede*. *Finis* h. l. est «certus terminus, quem Orcus statuit hominibus rebusque humanis suum tandem in regnum recidentibus.» Hic autem *finis destinat*, designat, describit limite *(umgränzt)* Orci aulam; id est, «Orci aula certos habet limites, iutra quos ubi semel fati lege pervenimus, nobis in perpetuum manendum est.» — *destinata*] ablativus comparationis iungendus cum voce *aula*, non cum *fine*. *Destinare* autem h. l. limitibus circumscribere, ut Virg. Cul. 389: *locum capit impiger: hunc et in orbem Destinat.* — *aula*] «quaevis sedes ampla,» apte etiam de inferorum sede. Eurip. Alc. 268: *Ἄγει μέ τις εἰς νεκύων αὐλάν.* Iam videamus constructionem: *Nulla aula certior manet herum divitem aula destinata* (quam aula destinata) *fine Orci rapacis*.

33. *recluditur*] «Tellus, quae in omnes iisdem legibus utitur, aperit se ad recipiendas mortuorum umbras in Orcum.» Est Menandri illud Mein. p. 196: *Κοινὸν τὸν ᾅδην ἔσχον οἱ πάντες βροτοί.*

34. *satelles Orci*] Charon, propter v. 36. *revexit*, non Mors.

35. De Prometheo in Orcum detruso cfr. Od. 2, 13, 38. Hic Graecam aliquam fabulam, ex qua Prometheus auro oblato frustra aliquando a Charonte petierit, ut eum ad superos reveheret, videtur respexisse.

36. *Hic*] «Orcus», non «satelles Orci», Charon, ad quem ultimi certe versus nullo pacto referri queunt.

Tantalum atque Tantali
Genus coërcet; hic levare functum
Pauperem laboribus
Vocatus atque non vocatus audit. 40

---

# ODE XIX.

## HYMNUS IN BACCHUM.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, credite posteri,
Nymphasque discentes et aures
Capripedum Satyrorum acutas.

37. *Tantali genus*] Pelopem, Atreum, Agamemnonem, Orestem.

40. *vocatus levare*] «vocatus, ut levet,» melius construes quam *audit levare* (Lamb.) Apud Thucyd. 1, 118. Apollinis oraculum Lacedaemoniis editum: *Καλούμενός τε καὶ ἄκλητος θεὸς παρέσται.* — *audit*] Proprie *exaudit* eum dumtaxat, qui vocavit, sed etiam non vocatus omnes nemine excepto ad se deducit.

XIX. Videtur ex Graeco aliquo exemplari expressus hic in Bacchum hymnus. Similes sunt Propertii 3, 15., Ovidii Metam. 4. init. (A. u. c. 735?)

1. *remotis*] Bacchus *ὄρειος*, recessus amans. Pratinas in hyporchemate apud Athen. 14, 8: *Βρόμιον Ἐμὲ δεῖ κελαδεῖν, ἐμὲ δεῖ παταγεῖν Ἀν' ὄρεα θύμενον μετὰ Ναϊάδων.*

3. *Nymphasque*] Bacchi olim *τιθῆναι*, nutrices. Soph. Oed. Col. 678: *ἵν' ὁ βακχιώτας ἀεὶ Διόννσος ἐμβατεύει θεαῖς ἀμφιπολῶν τιθήναις.*

4. *acutas*] significatu proprio accipiendum, non «arrectas, attentas,» quae notio potius inest in ipsa v. *aures*. Fingebantur enim *ὀξεῖς τὰ ὦτα* et calvi.

Euoe recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Laetatur. Euoe parce Liber,
Parce, gravi metuende thyrso.

Fas pervicaces est mihi Thyiadas
Vinique fontem, lactis et uberes
Cantare rivos atque truncis
Lapsa cavis iterare mella,

5. *trepidat*] «acriter agitatur saevo illo horrore, qui θεοφανείας comitari solet.» Iliad. v, 131: *χαλεποὶ δὲ θεοὶ φαίνεσθαι ἐναργεῖς.*

6. *Plenoque pectore*] Od. 3, 25, 2. Ovid. Fast. 6, 535: *Fitque sui toto pectore plena dei.* — *turbidum laetatur*] Sic Virg. Aen. 8, 559: *inexpletum lacrimans.*

7. *Euoe parce*] Metuit primum se deo tradere, quia θεολήπτων saepe miser exitus; sed cum resistere iam non possit potenti eius afflatui, quem iam benignum esse sentit, exclamat *Fas est* cet.

8. *gravi metuende thyrso*] Est ἐπίθετον generale, ut in Anthol. Pal. II. p. 682. de Baccho et Hercule: *ὃς θύρσῳ δεινὸς, ὁ δὲ ῥοπάλῳ.*

9. *pervicaces*] «assidue violento cum motu tripudiantes, in furore perstantes, effrenes.» Catull. 63, 23: *Ut capita Maenades vi iaciunt hederigerae.* — *Θυιάδες* s. *Θυϊάδες* a v. θύειν, furere.

10. *Vinique fontem*] Eurip. Bacch. 704: *Θύρσον δέ τις λαβοῦσ' ἔπαισεν ἐς πέτραν, Ὅθεν δροσώδης ὕδατος ἐκπηδᾷ νότις· Ἄλλη δὲ νάρθηκ' ἐς πέδον καθῆκε γῆς, Καὶ τῇδε κρήνην ἐξανῆκ' οἶνον θεός· Ὅσαις δὲ λευκοῦ πώματος πόθος παρῆν, Ἄκροισι δακτύλοισι διασαμῶσαι χθόνα Γάλακτος ἑσμοὺς εἶχον· ἐκ δὲ κισσίνων Θύρσων γλυκεῖαι μέλιτος ἔσταζον ῥοαί.*

11. *truncis*] Antiquissimum abundantiae symbolum, ubi e cavis truncis mel manat. Hesiod. O. et D. 230: *Τοῖσι φέρει μὲν γαῖα πολὺν βίον, οὔρεσι δὲ δρῦς Ἄκρη μέν τε φέρει βαλάνους, μέσση δὲ μελίσσας.*

12. *iterare*] *Iterat* poëta, quae gesta describit, quae *μιμεῖται.* Asellio apud Gell. 5, 18: *Quae in bello aliquo gesta sint,* (non explicatis causis et consiliis) *iterare, id fabulas pueris est narrare, non historias scribere.*

Fas et beatae coniugis additum
Stellis honorem tectaque Penthei
Disiecta non leni ruina,
Thracis et exitium Lycurgi.

Tu flectis amnes, tu mare barbarum,
Tu separatis uvidus in iugis
Nodo coërces viperino
Bistonidum sine fraude crines:

Tu, cum parentis regna per arduum

13. *beatae*] ἀποθεωθείσης. — *coniugis*] Ariadnae, Minois et Pasiphaes filiae. Iliad. σ, 592. Odyss. λ, 321. Hesiod. Th. 947: *Χρυσοκόμης δὲ Διώνυσος ξανθὴν Ἀριάδνην - - ποιήσατ' ἄκοιτιν.* Varii de eius corona inter sidera relata *μῦθοι* erant. v. c. Theo ad Arati Phaen. 71: *τὸν κίσσινον στέφανον, ὃν ἐφόρει ὁ Διόνυσος μετὰ θάνατον τῆς Ἀριάδνης ἰσχυροπαθῶν ἀπέθετο καὶ κατηστέρισε μνημόσυνον τῆς ἐπ' Ἀριάδνῃ συμφορᾶς.* Sed frequentior erat fabula auream fuisse coronam, opus Volcani, ab hoc Veneri, a Venere Baccho, ab hoc Ariadnae muneri datum. — *honorem*] ornamentum, ut Virg. Aen. 7, 815: *regius honos* de chlamyde purpurea.

12. *Penthei*] regis Thebarum, qui Bacchi numen agnoscere cum nollet, ab eo exitio datus est. Cfr. Euripidis Bacchas, ubi v. 633: *Βάκχιος δώματ' ἔρρηξεν καμάξε· συντεθράνωται δ' ἅπαν.*

16. *Lycurgus*] Edonorum rex, ob pulsas cum Libero Bacchas a Iove excaecatus, Iliad. ζ, 130.; ut alii ferunt, ob vites excisas a Baccho in furorem actus, quo et Dryantem filium interfecit et sibi ipse crura falce amputavit.

17. *amnes*] Hydaspen et Orontem thyrso Bacchi tactos sicco pede transisse prisca narratio erat. Nonn. 13, 123. — *mare barbarum*] «Indicum». Ex v. *flectis* eliciendum: «sedas, tranquillum reddis.»

18. 19. *separatis*] «remotis ac solitariis.» — *uvidus*] ut *βεβρεγμένος*, «bene potus.» — *coërces*] «Ludens crinibus Thraciarum Baccharum implicas pro nodis viperas, quae tamen nec tibi nec illis quidquam nocent.» Alibi Bacchae semet ipsae anguibus cingunt. Eurip. Bacch. 103. — *sine fraude*] sine noxa.

21. *per arduum*] non tam «per arduos montes, Ossam et Pelion, ab iis exaggeratos,» quam «in

Cohors Gigantum scanderet impia,
Rhoetum retorsisti leonis
Unguibus horribilique mala;

Quamquam choreis aptior et iocis
Ludoque dictus non sat idoneus
Pugnae ferebaris, sed idem
Pacis eras mediusque belli,

Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens

sublime enisa.» Etenim cum in campis Phlegraeis dii cum gigantibus ancipiti proelio diu decertassent, ferunt Terram Iovi dixisse non aliter deos Gigantibus superiores futuros, nisi duos semideos sibi belli socios et adiutores adiungerent. Ita Bacchus (unde γιγαντολέτωρ vocatur) et Hercules arcessiti sunt, quorum opera et virtute dii victoria sunt potiti.

23. *Rhoetum*] unum Gigantum, Od. 3, 4, 55. — *retorsisti*] «summo impetu reppulisti.» — *leonis*] Qua forma assumpta perterrefecit etiam piratas Tyrrhenos. Hymn. Hom. 6, 44.

27. *ferebaris*] a diis; «primum tibi ut φιλοπαίγμονι (Anacr. 42, 2.) tuoque auxilio haud nimis fidebant, sed viribus ac fortitudine tua cum delecti statu sunt Gigantes, aliter iam de te iudicarunt.»

28. *mediusque*] «idem ad utrumque aeque aptum te praebebas, et ad bellum, nam fortissimus eras ac terribilis, et ad pacem, es enim laetitiae plenus; ἐγερσιγέλως, χορευτής.» Ad positionem coni. que cfr. Tibull. 1, 3, 56: *Messalam terra dum sequiturque mari.* Summa arte usus tranquillo hoc carminis exitu, qui consulto opponitur impetuoso illi exordio, significat poëta turbidam suam laetitiam paullatim transisse pium in ἐνθουσιασμόν, qualis eorum est, quorum mens una cum diis versatur.

29. *insons*] «ut tibi nulla ex parte noceret.» Adiit autem Bacchus inferos Semelen inde reducturus. Apollod. 3, 5, 3.

30. *Cornu*] antiquum hoc impetus ac roboris, cui resisti non potest, symbolum, ut in Fluviis. Hinc poëtis χρυσόκερως, ταυρόκερως, κεραοφόρος.

30. *atterens*] proprie «adfricans caudam ventri», leni motu tibi *adulans* (primo significatu: σαίνων). — Duae autem sunt ima-

Caudam et recedentis trilingui
Ore pedes tetigitque crura.

---

# ODE XX.

## AD MAECENATEM.

Non usitata nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum aethera
Vates, neque in terris morabor
Longius invidiaque maior

gines, una in Orcum intrantis Liberi, ubi Cerberus caudam leniter movet, altera exeuntis, ubi illi pedes lambit; quibus imaginibus poëta potentissimi dei securitatem, qua inferorum loca perambulat, exprimit.

XX. In cycnum se mutatum ac terris mox discessurum fingens, nomen poëtae ab omnibus honorati atque immortalem gloriam sibi pollicetur (a. u. c. 735). Ceterum iam apud Graecos hoc mutationis in cycnum *φάντασμα* reperire licet. Theognis 237. Bekk.: *Σοὶ μὲν ἐγὼ πτέρ' ἔδωκα, σὺν οἷς ἐπ' ἀπείρονα πόντου Πωτήσῃ κατὰ γῆν πᾶσαν ἀειρόμενος Ῥηϊδίως, ξοίνῃς δὲ καὶ εἰλαπίνῃσι παρέσσῃ Ἐν πάσαις, πολλῶν Κείμενος ἐν στόμασιν.*

1. *non usitata*] «quia primus *Romanae fidicen lyrae.*» — *non tenui*] «sed densa ac valida.»

2. *biformis*] Minime cogitandum de forma ex humana et cycnea prodigialiter commixta, eademque a pictore imitanda; sed et poëtae et lectoris eum recte intelligentis *φαντασίᾳ* obversabatur cycnus per caelum alis latus, qui tamen idem divinus manet poëta.

4. *Invidiaque maior*] «Cuius gloria superat invidiam.» Schol. Callimach. Ep. 22: *ὃ δ' ἤεισεν κρείσσονα βασκανίης.*

Urbes relinquam. Non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas,
Dilecte Maecenas, obibo,
Nec Stygia cohibebor unda.

Iam iam residunt cruribus asperae
Pelles et album mutor in alitem
Superne nascunturque leves
Per digitos humerosque plumae.

Iam Daedaleo ocior Icaro

Od. XX. v. 7. *quem vocas «Dilecte», Maecenas* Iahn.

5. *pauperum*] Inest in his ἀντιθέσεις: «Ego, quem multi libertino patre natum carpunt, etsi non nego me libertino patre natum esse; quem tu tamen nihilominus tua amicitia dignaris, nunquam mortem obibo.»

6. 7. *quem vocas, Dilecte Maecenas*] *quem vocas* simillimum illius est: *pauperemque dives me petit* (Od. 2, 18, 10.). Utrumque enim significat non tam se frequenter ad coenas invitari, quam veri amici loco haberi et diligi a Maecenate. Tum vv. *Dilecte Maecenas* prorsus ut Od. 1, 20, 5: *Care Maecenas*, ac similiter Epod. 3, 20: *Iocose Maecenas*, Epod. 14, 5. *Candide Maecenas*, quibus omnibus nisi necessarius perfamiliaris uti non poterat, mutuum amicitiae sensum et vere et simpliciter exprimunt. *Petis* autem, ut l. l., hic nimis ambitiosum ac prope superbum fuisset, quare modestius dicit *vocas*, ut Sat. 2, 7, 91: *cum me vocat ultro*.

8. *Stygia*] cohibet reditum vetans. Lucceii Epit. Poët. min. Wernsd. 3, 290: *Non ego Tartareas penetrabo tristis ad undas - - atris Non errabo locis nec cohibebor aquis.*

9. *residunt*] «Pellis aspera fit, residit; dum enim crura humana extenuantur, cycni formam exilem induunt, necesse est, ut cutis, quae mollibus ante ac succulentis partibus inducta fuerat, his evanescentibus *subsidat*, ossibus propius admoveatur, quaeque antea pleniore corpore extensa erat, nunc contrahatur, adeoque *aspera*, id est, rugosa evadat.» MITSCH.

11. *Superne*] A. P. 4: *Desinit in piscem mulier formosa su-*

**Visam gementis litora Bospori**
**Syrtesque Gaetulas canorus** 15
**Ales Hyperboreosque campos.**

**Me Colchus et qui dissimulat metum**
**Marsae cohortis Dacus et ultimi.**

*perne.* Ultima cum corripiatur a Lucretio 6, 543., et 696., nihil attinet corrigere *superna.*

13. *Daedaleo ocior* ] Similes hiatus sunt Virg. Ecl. 2, 24: *in Actaeo Aracynthо.* Aen. 3, 211: *Insulae Ionio in magno,* Ovid. Her. 4, 99: *in Maenalia Atalanta.* In Icaro h. l. audacem tantummodo in sublime volatum, non casum fatalem, respexit; casum contra Od. 4, 2, 2.

14. *gementis* ] Virg. Aen. 5, 806: *gemunt repleti amnes.* Od. 2, 14, 14: *raucus Hadria.*

15. *canorus*] Od. 4, 3, 19. Pratinas apud Athen. 14, 8: *οἷόν τε κύκνον ἄγοντα Ποικιλόπτερον μέλος.* — «Orphei animam Plato refert Lib. 10. de Rep. cycni vitam elegisse, lusciniae Thamyrin. Cycnum ipse Horatius Pindarum appellat Od. 4, 2, 25. et sic vocantur poëtae omnes apud Virg. Ecl. 9, 29.» TORRENT. ex Turnebo.

16. *Hyperboreosque* ] Pindar. Olymp. 3, 17: *δᾶμον Ὑπερβορέων — Ἀπόλλωνος θεράποντα.* «Visam campos illos felices supra Aquilonem et Rhipaeos montes sitos.» (Plin. H. N. 4, 26.)

18. *Marsae cohortis* ] Marsi pro fortissimis Italiae populis et robore peditatus Romani habebantur; «hoc igitur robur metuit Dacus rebellis, sed prae pudore fingit sè timore vacare.»

19. *Noscent* ] «audient meum cantum.» Statius Theb. 12, 814: *Iam te* (Thebaida) *magnanimus dignatur* NOSCERE *Caesar, Itala iam studio* DISCIT *memoratque iuventus.* — *Geloni* ] Od. 2, 20, 19. — *peritus*] «Hispani et Galli Transalpini, qui nunc rudes sunt atque inculti, humanitate aliquando imbuti cupide meos quoque cantus audient.»

20. *Rhodanique potor* ] «accola»; ex antiquissima ratione populos designandi. Iliad. β, 828: *πίνοντες ὕδωρ μέλαν Αἰσήποιο.* Pindar. Olymp. 6, 85: *Θήβαν, — τᾶς ἐρατεινὸν ὕδωρ Πίομαι.* — Hoc ergo dicit: «Per totum orbem terrarum Romano imperio subiectum nomen meum propagabitur.»

21, 22. *inani funere* ] «quoniam quidem abest corpus, quod sepeliri possit.» — *neniae* ] quas praeficae canere solebant; *querimoniae* amicorum sunt. — *turpes*] «quatenus faciem deformant.» Ovid. A. A. 1, 534. Ennius

**Noscent Geloni, me peritus**
**Discet Iber Rhodanique potor.** 20

**Absint inani funere neniae**
**Luctusque turpes et querimoniae:**
**Compesce clamorem ac sepulchri**
**Mitte supervacuos honores.**

apud Cic. Tusc. 1, 15: *Nemo me lacrumis deçoret nec funera fletu Faxit. Cur? Volito vivu' per ora virum.* Seneca Ep. 92: *Neminem de supremo officio rogo. Nulli requias meas commendo. Diserte Maecenas inquit: «Nec tumulum curo; sepelit Natura relictos.»*

24. *supervacuos honores*] Plin. Epp. 9, 19: *Impensa monumenti supervacua est. Memoria nostri durabit, si vita meruimus.*

# Q. HORATII FLACCI

# CARMINUM

## LIBER TERTIUS.

## ODE I.

### AD CHOROS VIRGINUM ET PUERORUM.

Odi profanum volgus et arceo:
Favete linguis: carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus puerisque canto.

I. Rectum de rebus humanis iudicium ac sapientem vitae fugacis usum commendat poëta seque ipsum felicem praedicat, qui quod voluerit iam adeptus sit neque ultra quidquam appetat. Scriptum est carmen a. u. c. 736.

1. *Odi*] «Volgus verae sapientiae, quam in vita sequi debemus, nequaquam capax despicio longeque a me recedere iubeo.» *Profani* proprie sunt *ἀμύητοι*, sacris non initiati. Orpheus apud Iustinum Cohort. ad Graecos 15: *Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας δ' ἐπιθέσθε βέβηλοι Πάντες ὁμῶς.* (scil. *τοῖς ὠσί.*) Callim. H. Apoll. 2: *ἐκὰς, ἐκὰς, ὅστις ἀλιτρός.* Virg. Aen. 6, 258: *Procul, o procul este profani.*

2. *favete linguis*] «Vos autem digni, qui ad haec sacra accedatis, *εὐφημεῖτε* vel bona verba dicendo vel tacendo.» Aristoph. Thesmoph. 39: *Εὔφημος πᾶς ἔστω λεώς, σιγὴ μα συγκλείσας.* Tibull. 2, 2, 1: *Dicamus bona verba: -- Quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave.*

3. *non prius Audita*] Praeceptorum a communi hominum volgarium sensu abhorrentium gra-

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iovis,
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.

Est, ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis, hic generosior
Descendat in Campum petitor,
Moribus hic meliorque fama

Contendat, illi turba clientium
Sit maior: aequa lege Necessitas

*vitatem* significat. Maximopere enim eas ipsas virtutes, quae tunc a plerisque negligi solebant, commendat. — *Musarum sacerdos*] Sic a Platone in Anthol. Pal. I. 317: *Πίνδαρος εὐφώνων Πιερίδων πρόπολος* nominatur. Theocr. 16, 29: *Μουσάων ἱερὸν ὑποφήτας.*

4 — 6. *Virginibus*] id est, choro, qui sacerdotem cingit laudesque deorum canit. — *greges*] quia reges *ποιμένες λαῶν*. Philemon Mein. p. 366: *δοῦλοι βασιλέων εἰσίν, ὁ βασιλεὺς θεῶν, Ὁ θεὸς ἀνάγκης.*

8. *supercilio*] Iliad. *α*, 528: *Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων· Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο· μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.* Virg. Aen. 9, 106: *totum nutu tremefecit Olympum.*

9. *Est, ut*] «*ἔστιν, ὅπως κτλ.*, usu venit, ut» cet. «Qualecunque est inter mortales discrimen, ut alius excellat latifundiorum possessione, generis nobilitate alius, alius probitate morum, alius rursus clientum multitudine, omnes tamen aeque parent supremae Necessitati.» — *latius*] «Fieri potest, ut aliquis per ampliorem, quam alii habent, fundum serat vites et oleas.» Colum. 3, 13: *aut scrobibus aut sulcis vineae plerumque conseruntur.*

10. 11. *Arbusta*] maxime vineae. Virg. Georg. 2, 416: *Iam vinctae vites, iam falcem arbusta reponunt.*

12. 13. *meliorque fama*] «etsi homo novus, per se tamen spectatus praestat nobilibus ac potentibus.» — «*Contendat*, de honoribus cum competitoribus, nihilominus pari condicione Fatum ei mortem destinat.»

14. *Necessitas*] Necessitas tamquam dea etiam Od. 1, 35, 17; longe tamen rarius a Latinis memoratur quam a Graecis *Εἱμαρμένη* vel *Ἀνάγκη*.

Sortitur insignes et imos; 15
Omne capax movet urna nomen.

Destrictus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium citharaeque cantus 20

Somnum reducent. Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit umbrosamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.

Desiderantem quod satis est neque 25

16. *movet urna*] Od. 2, 3, 26. H. l. *Εἱμαρμένη* ipsa mortis sortes ducit.

17. «Quid, quod qui externa tantum bona possident, ne beati quidem sunt, infelicissimi vero, si scelerum conscientia anguntur.» Significat notam illam de Damocle et Dionysio maiore narratiunculam. Cic. Tusc. 5, 21.

18. *Siculae dapes*] Plato de Rep. 3. p. 404. D.: *Συρακουσίαν δὲ, ὦ φίλε, τράπεζαν καὶ Σικελικὴν ποικιλίαν ὄψων, ὡς ἔοικας, αἰνεῖς.*

19. *Elaborabunt*] Ipsum hoc verbum demonstrat id fieri vix posse. — *saporem*] «Etiam exquisitissimae epulae ei videbuntur insuaves.»

21. *reducent*] «Nec somnum curis ac sollicitudinibus saepe interruptum denuo conciliabunt.» — Construe: *levis* (tranquillus) *somnus non fastidit humiles domos* (casas, tuguria) *virorum agrestium.*

24 — 26. *Tempe*] v. Od. 1, 7, 4. Hic pro qualibet convalle amoena. — *sollicitat*] Epod. 2, 6: (rusticus beatus) *Neque horret iratum mare.*

27. *Arcturi cadentis*] Occidit IV. Kal. Nov. Plautus Rud. 70: *Arcturus signum sum omnium acerrimum: vehemens sum exoriens; cum occido, vehementior.*

28. *Haedi*] Oriuntur Haedi pridie Non. Octobr. Theocr. ξ. 53: *Χὤταν ἐφ' ἑσπερίοις ἐρίφοις νότος ὑγρὰ διώκῃ Κύματα κωφίων ὅτ' ἐπ' Ὠκεανῷ πόδας ἴσχει*, ubi Schol.: *Ὅταν ἀνατέλλωσιν οἱ ἔριφοι, ἀχειμαίνεται ἡ θάλασσα.*

29. *verberatae*] Epp. 1, 8, 4: *grando contudit vites.*

Tumultuosum sollicitat mare,
Nec saevus Arcturi cadentis
Impetus aut orientis Haedi,

Non verberatae grandine vineae
Fundusque mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.

Contracta pisces aequora sentiunt
Iactis in altum molibus; huc frequens
Caementa demittit redemptor
Cum famulis dominusque terrae

30. *mendax*] Epp. 1, 7, 87: *spem mentita seges.* Ovid. Fast. 4, 645: *Saepe Ceres primis dominum fallebat in herbis*; contra Od. 3, 16, 30: *segetis certa fides meae.* Illis omnibus vitam tribuit: «Arbor (collective) sterilis coram domino minaci culpam sterilitatis tribuit modo imbribus, modo nimio solis aestui agros per dies caniculares exurenti, modo frigori.»

33. *Contracta*] κατ' ὑπερβολήν minime reprehendendam: «piscibus ipsis mare iam videtur coartatum.» Manil. 4, 283: *Litoribusque novis per luxum illudere ponto.*

34. *Iactis*] «Verbo ipso usus est fabricantium.» Schol. Seneca Thyest. 459: *retro mare Iacta frigamus mole.* — *frequens*] «multis operis ac servis circumdatus.»

35. *Caementa*] omnis generis lapides sunt parvi vel comminuti, plerumque pulvere Puteolano coagmentati et ad muros farciendos destinati, opponunturque saxis quadratis. Vitruv. 8, 7: *caementum de silice frangatur ne gravius quam librarium.* — *redemptor*] «ἐργολάβος, architectus, qui opus hoc immensum faciendum a possessore illud locante conduxit.»

36. 37. *dominusque*] «qui adest atque inspectat opus; cum adeo taedet terrae continentis, ut iam in ipso mari habitare velit. Quocunque autem is vel ab hac aedificatione vel alio ab negotio sese convertit ad oblivionem curarum aut novam voluptatem quaerendam, nihilominus eum comitantur priores sollicitudines.» — *Timor*] ne casu adverso vel immatura morte bonis suis excidat. — *Minae*] internae propter facinora commissa. Cfr. Od. 2, 16,

Fastidiosus: sed Timor et Minae
Scandunt eodem, quo dominus, neque
Decedit aerata triremi et
Post equitem sedet atra Cura.

Quod si dolentem nec Phrygius lapis
Nec purpurarum sidere clarior
Delinit usus nec Falerna
Vitis Achaemeniumque costum,

Cur invidendis postibus et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

21. Lucret. 2, 47: *Metus hominum curaeque sequaces - - neque fulgorem reverentur ab auro Nec clarum vestis splendorem purpureai.*

39. *aerata*] «quae habet rostrum aereum.» — *triremi*] Intellige de qualibet nave magna hominis locupletis.

41. *Phrygius lapis*] «Est marmor Docimenum sive Synnadicum, volgo *paonazzetto*, inter pulchriora et pretiosiora, ex quo praesertim columnae fiebant, quales sunt peralitae illae in Pantheo M. Agrippae.» Fea.

43. *Delinit*] «permulcet, dum internos tumultus sedat.» *Clarior* autem *usus* audacius dictum pro his: «purpureae quibus utuntur vestes clariores siderum splendore.» Virg. Ge. 2, 466: *Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi*, id est, oleum, quo utuntur.

44. *costum*] Est unguentum e radice fruticis, qui a Linnaeo vocatus est *costus* (κόστος) *Arabicus*, et Plinio 12, 2. auctore in Patale, Indiae insula, provenit. *Achaemenium* autem, ab Achaemene, primo Persarum rege, dicitur costum, quod ex India et Arabia per Parthorum fines Romam adveheretur.

45. *novo ritu*] «ad novas architecturae regulas accommodato, qui invaluit, ex quo domos sumptuosiores exstruere coeperunt.»

# ODE II.

## AD PUBEM ROMANAM.

Angustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta
Vitamque sub divo et trepidis agat 5

Od. II. v. 1. *amici* C.

II. Hoc quoque carmine *γνωμικῷ*, vere Romano, iuventutem ad imitandas maiorum virtutes exhortatur. Primo igitur loco commendat virtutem bellicam, qua hostes devincant, patriam custodiant spretaque volgari ambitione veram gloriam sibi parent; deinde, ut pietatem erga deos immortales iunctam semper cum fide adversus homines colant, suadet, certas sceleri poenas destinatas esse monens. Compositum videtur a. u. c. 733.

1. *amice*] proprie «amico in eam animo,» id est, «animo aequo, patienter,» usu fortasse unico, sed accommodato ad Graecorum *ἀγαπητῶς φέρειν*, et ad Latinorum (Cic. ad Att. 6, 1.) *clementer ferre aliquid*. Alii *amici*, quocum conferunt Od. 1, 27, 7 et Od. 37, 4: *sodales*; item Epod. 13, 3: *rapiamus, amici, Occasionem de die*. Verum hoc quidem loco amicorum appellatio parum apta est, cum *amici* efficere nequeant, ut iuvenes Romani paupertatem fortiter pati discant.

2. *acri militia*] «Acris militiae usu atque exercitatione hanc laboris tolerantiam, in qua saepenumero vitae commodis carendum est, condiscat puer robustus.» Sic enim iungo, non vero: «robustus factus acri militia.» — *puer*] Aetas militaris XVI. vel XVII. aetatis anno apud Romanos incipiebat.

4. *vexet*] «urgeat et conturbet.»

5. *sub divo et trepidis*] «et cum molestia et in periculis.» *Trepidis in rebus* dixit etiam Livius 4, 17. et 34, 11. Alibi «dubiis, periculosis.» Ad v. *agat* cogitatione suppliendum «intrepide ac fortiter.»

In rebus. Illum ex moenibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens et adulta virgo

Suspiret, eheu, ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira caedes.

Dulce et decorum est pro patria mori:
Mors et fugacem persequitur virum
Nec parcit imbellis iuventae
Poplitibus timidoque tergo.

6. *hosticis*] poëtica forma pro *hostilibus*, ut *genticus*, quo Tacitus utitur, et *civicus*.

7. *Matrona*] ut iam apud Homerum (Il. γ, 154.) Hesiod. Scut. 242: *Αἱ δὲ γυναῖκες ἐϋδμήτων ἐπὶ πύργων Χάλκεον ὀξὺ βόων, κατὰ δ' ἐδρύπτοντο παρειάς·* uxores pugnas heroum e turribus prospectant; item Antigone in muris Thebanis Eurip. Phoen. 88.

9. *Suspiret*] «tacita secum;» nam eius sollicitudines significat, non ipsius querelae verba refert. — *agminum*] totius rei militaris, cuius haud minima pars est agmen ducere.

10. *Sponsus regius*] Accipiendum de alius regis foederati filio, ut Coroebus propter Cassandram Troiam venerat. — *asperum tactu*] «quem si tangas, exasperatur, furit prosternitque propius accedentes.»

13. *Dulce*] «Hoc cogitet iuvenis Romanus: *dulce* cet.» Tyrtaeus 6. Bach. 1: *Τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα Ἀνδρὶ ἀγαθὸν, περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον.* Cic. Philipp. 14, 12: *O fortunata mors, quae naturae debita pro patria est potissimum reddita!*

14. *Mors*] Simonides Fr. 106. Schneidev.: *Ὁ θανὼν θάνατος ἔκιχε καὶ τὸν φυγέμαχον.* — *persequitur*] Hoc v. duplicem nobis exhibet imaginem, et celeriter insequendi et propter id ipsum, quod Mors inevitabilis insequitur, consequendi.

16. *Poplitibus*] Fugam significat; poplites enim fugientium cernuntur quemadmodum terga. Liv. 22, 48: *Numidae Romanorum terga ferientes ac poplites caedentes.*

17. Stoice iam loquitur: «Virtus, maior casu, nunquam patitur repulsae contumeliam; nam etsi homini virtute praedito volgus ho-

Virtus repulsae nescia sordidae
Intaminatis fulget honoribus,
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis aurae.

Virtus recludens immeritis mori
Caelum negata tentat iter via,
Coetusque volgares et udam
Spernit humum fugiente penna.

Est et fideli tuta silentio
Merces: vetabo, qui Cereris sacrum

nores negat, neque ignominiam sentit nec dolorem, ut in comitio pila lusit Cato, quo die repulsam tulit (Sen. Ep. 104.), atque (Plin. Praef. 9.) repulsis velut honoribus indeptis gaudebat. Cum fortitudine autem, quam primo commendarat, necessario coniuncta est virtus civilis, γενικῶς spectata. Hanc comitatur verus honos atque nominis immortalitas.» — *sordidae*] Credebant Romani *maxima Esse mala exiguum censum turpemque repulsam*. Epp. 1, 1, 43.

18. *Intaminatis*] a v. obsoleto *taminare*, tangere; ex aliqua auctoritate antiquiore hac forma usus videtur pro *incontaminatis*. «Nec eius dignitas pendet e favore populari, sed eadem semper manet.»

19. 20. *secures*] pro fascibus, honorum insignibus; *ponit* autem, etiam quatenus gesto aliquo magistratu, propter invidiam apud populum alios honores postea non obtinet. — *popularis aurae*] Seneca Herc. fur. 169: (Stultum) *populi furor attonitum Fluctuque magis mobile volgus Aura tumidum tollit inani*. Virg. Aen. 6, 817. usus est numero plurali: *nimium gaudens popularibus auris*. Cic. pro Cluentio 47: *ventus popularis*.

21. *immeritis mori*] «viris immortalitate dignis.» — *recludens - Caelum*] Simonides Ep. 27. eos, qui Thermopylis ceciderunt, ἀρετῆ καθυπερθεν κυδαίνουσ' ἀνάγες δώματος ἐξ Ἀίδεω.

22. 23. *negata*] difficillima quaque. Sen. Herc. fur. 437: *Non est ad astra mollis e terris via*. — *udam*] «crasso aëre obsitam ac propterea minime dignam, in qua Virtus moretur.»

24. *fugiente*] Exprimit et contemptum rerum humanarum et celeritatem, qua in caelum sese tollit.

25. *Est et*] «Socia Virtutis est

Volgarit arcanae, sub isdem
Sit trabibus fragilemve mecum

Solvat phaselon; saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum:
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede Poena claudo.

v. 28. *fragilemve*] Bentl. Libri *fragilemque.*

Fides. Haec autem vel maxime spectatur in mysteriorum caerimoniis religiose tacendis, quoniam summam fidem dis immortalibus debemus. Quocirca laesae fidei nullum maius exemplum reperiri potest, quam si quis occultissima Cereris sacra prodat profanis. Talem hominem omnes mecum aeque abominantur. Eiusmodi vero scelus gravissimae deum poenae consequantur necesse est.» — *fideli silentio*] Expressit Simonidis versum: Ἔστι καὶ σιγᾶς ἀχίνδυνον γέρας, quem in ore habebat saepe Augustus, ut refert Plutarchus in eius Apophthegm. T. 2. p. 207. Fr.

27. *Cereris arcanae*] Ovid. Her. 12, 79: *arcanaque sacra Dianae.* Cic. Accus. 5, 72: *Teque Ceres et Libera, quarum sacra, sicut opiniones hominum ac religiones ferunt, longe maximis atque occultissimis caerimoniis continentur; — quarum sacra populus Romanus a Graecis ascita et accepta tanta religione et public et privatim tuetur, non ut ab aliis huc allata, sed ut ceteris hinc tradita esse videantur.* Atque de his sacris, non de initiis Eleusiniis loquitur poëta.

28. *Sit trabibus*] «Nunquam concedam, ut incestus mecum sub eodem tecto versetur vel eandem navem conscendat.» Aeschyl. S. adv. Th. 602: Ἦ γὰρ ξυνεισβὰς πλοῖον εὐσεβὴς ἀνὴρ Ναύταισι δεμνοῖς καὶ πανουργίᾳ τινὶ Ὄλωλεν ἀνδρῶν σὺν θεοπτύστῳ γένει. Eurip. Electr. 1354.

29. *phaselon*] proprie Aegyptiorum navigium. «Saepe Diespiter (diei ac lucis pater) offensus una cum *incesto*, religionum violatore, punivit etiam innocentem, una cum illo fortuito versantem.»

32. *Deseruit*] «Raro, cum assecuta tandem est etsi sero scelestum *antecedentem* ac propterea tutum se putantem, retrocedit atque vindictam omittit, immo semper illum ulciscitur.» Eurip. Frgm. incert. 2. D. ἡ Δίκη - - σῖγα καὶ βραδεῖ ποδὶ Στείχουσα μάρψει τοὺς κακοὺς, ὅταν τύχῃ. Tibull. 1, 9, 4: *Sera tamen tacitis Poena venit pedibus.*

# ODE III.

## AD CAESAREM AUGUSTUM.

Iustum et tenacem propositi virum
Non civium ardor prava iubentium,

III. Constantiam et fortitudinem Romanis tamquam praecipuas maiorum virtutes, nimis a suis aequalibus neglectas, commendaturus exemplo Pollucis, Herculis, Liberi patris, propter illas ipsas virtutes inter deos receptorum proponit; quibus admodum dextre paucis verbis, ne nimia evadat adulatio, inserit Augustum. Plurimum vero immoratur in Romuli laudibus, cuius, ut ita dicam, ἀντίστροφος erat Augustus, alter imperii Romani conditor, atque per poëticae φαντασίας plenam degressionem (a qua v. 69. se ipse revocat:) exponit magnificam ac sublimem Iunonis de Romulo ad ceteros deos orationem. Quod autem Iunonem tam severe Romanis interdicere fingit, ne unquam restituant antiquam illam Troiam (non quod tunc florebat Ilium) id equidem ex eo ductum puto, quod casu recordatus esset aliquando illius de Caesare rumoris, cuius meminit Suetonius Caes. 79., ubi inter causas caedis Caesaris hanc quoque refert: *Quin etiam varia fama percrebuit migraturum Alexandriam vel Ilium translatis simul opibus imperii exhaustaque Italia delectibus et procuratione Urbis amicis permissa.* Non quod Augustus, dominator nimis callidus ac prudens, hoc idem consilium unquam agitarit; nullum enim huius rei vestigium nobis servatum est, nec profecto, si hoc animo volvisset, Horatii erat ei tale propositum carmine in volgus edito dissuadere; sed, ni magnopere fallor, tactus aliquando cogitatione malorum, quae Romanis iam tunc inflixisset translatio illa imperii, quam exsecutus est demum Constantinus, hanc φαντασίαν poëtice exornavit. Scriptum videtur carmen a. u. c. 733.

1. Similiter Livius 3, 51: *tenere propositum* dixit.

2. 3. *ardor*] furibundus tumultus in seditione prava postulan-

Non voltus instantis tyranni
Mente quatit solida neque Auster,

Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Iovis:
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.

Hac arte Pollux et vagus Hercules
Enisus arces attigit igneas,

tium. — *voltus*] truculentus urguentis et minitantis tyranni.

4. *quatit*] «eum conturbans de sententia certa ac firma demovet.» Cic. Tusc. 4, 8: *Conturbatio metus est excutiens cogitata.* — *solida*] Simonides Fr. 21. Schn. p. 16: Ἄνδρ' ἀγαθὸν μὲν ἀλαθέως γενέσθαι χαλεπὸν Χερσίν τε καὶ ποσὶ καὶ νόῳ τετράγωνον, ἄνευ ψόγου τετυγμένον.

5. *Dux*] ut Od. 2, 17, 19: *tyrannus Hesperiae Capricornus undae.* — *Hadriae*] Od. 1, 3, 15. *Quo non arbiter Hadriae Maior.*

7. *illabatur orbis*] «si caelum ruat.» Theognis 869. B.: Ἔν μοι ἔπειτα πέσοι μέγας οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν, Χάλκεος, ἀνδρώπων δεῖμα παλαιγενέων κτλ.

9. *Hac arte*] «Eadem hac constantia usi, quam in sapiente praedicat, neque ullis laboribus defessi atque a proposito deterriti heroes generi humano summa commoda pararunt.» — *Pollux*] Aristoteles Hymn. in Hermiam 1: Ἀρετὰ πολυμοχθε γένει βροτείῳ - - τοῖον ἐπὶ φρέν' ἔρωτα βάλλεις, καρπὸν φέρεις δ' ἀθάνατον. Σεῦ δ' ἕνεχ' οὐκ Διὸς Ἡρακλῆς Λήθας τε κοῦροι πόλλ' ἀνέτλασαν, ἔργοις σὰν ἀγρεύοντες δύναμιν. — *vagus*] Eurip. Herc. fur. 1196. Amphitryo de Hercule: Οὐκ ἂν ἴδοις ἕτερον Πολυμοχθότερον πολυπλαγκτότερόν τε θνατῶν.

10. *enisus*] «Multo cum labore in caelum ascendit.» Tacit. Ann. 1, 70: *in editiora enisus.* — *arces igneas*] caelum stellatum et aethere cinctum. Stat. Silv. 4, 3, 155: *Ibis, qua vagus Hercules et Euan, Ultra sidera flammeumque solem.*

12. *Purpureo - ore*] Non de

Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.

Hac te merentem, Bacche pater, tuae
Vexere tigres indocili iugum
Collo trahentes; hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit,

Gratum elocutā consiliantibus
Iunone divis: Ilion, Ilion

Od. III. v. 12. *bibet* C. v. 16. *Patris equis* Cod. Barthii.

volu, sed de labris purpureis intelligendum. Simonides Fr. 119. Schn.: *πορφυρέου Ἀπὸ στόματος ἱεῖσα φωνὰν παρθένος.* Catull. 45, 12. Acme *Illō purpureo ore suaviata.* — *bibit*] «Iam nunc deorum vitam vivit.» Epp. 2, 1, 15: *Praesenti tibi maturos largimur honores iurandasque tuum per nomen ponimus aras.* Dio 51, 20. a. u. c. 725. Senatus inter alia decrevit: *ἐς τοὺς ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου τοῖς θεοῖς ἐσγράφεσθαι.*

13. *Hac te merentem*] «Bacchus quoque, Semeles mortalis feminae, filius deus factus est ideo hunc honorem meritus, quod agrestem ac feram hominum vitam excoluerat victorisque suis incruentis ad humanitatem traduxerat. — *pater*] solitum omnium deorum *ἐπίθετον*, sollemne autem Latinorum *Liberi patris.*

14. *vexere*] ad deorum domicilium, Olympum. — *tigres*] imago feritatis ab eo perdomitae. — *indocili*] cum primum reniterentur.

15. 16. *hac Quirinus*] quippe qui Iulio Proculo haec mandata dederit: *Χαῖρε καὶ φράζε Ῥωμαίοις, ὅτι σωφροσύνην μετ' ἀνδρείας ἀσκοῦντες ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρωπίνης ἀφίξονται δυνάμεως.* Plut. Rom. 28. — *Martis equis*] Ovid. Met. 14, 805. seqq. Fast. 2, 495: *Hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus aether: fit fuga; rex patriis astra petebat equis.* — *Acheronta*] Pindar. Fr. 11, 4. Diss. de dis: *Κεῖνοι γάρ τ' ἄνοσοι καὶ ἀγήραοι Πόνων τ' ἄπειροι, βαρυβόαν Πορθμὸν πεφευγότες Ἀχέροντος.* — *fugit*] ut Od. 2, 2, 24: *fugiente penna.*

17. *Gratum*] Omnes enim Romulo favebant. — *consiliantibus*] «deliberantibus, utrum in caelum recipiendus esset necne.»

Fatalis incestusque iudex
Et mulier peregrina vertit

In pulverem, ex quo destituit deos
Mercede pacta Laomedon, mihi
Castaeque damnatam Minervae
Cum populo et duce fraudulento.

Iam nec Lacaenae splendet adulterae
Famosus hospes nec Priami domus
Periura pugnaces Achivos
Hectoreis opibus refringit,

Nostrisque ductum seditionibus

19. *Fatalis*] «a fatis ad Troiae excidium destinatus (*Δύσπαρις*, *Διόπαρις*) atque impurus adulter propter raptum Helenae» (quam dea nominare non dignatur). — *iudex*] Eridis cum malum aureum, pulchritudinis praemium, posthabita Iunone et Minerva, Veneri adiudicavit. Fundus fabulae est Iliad. *ω*, 28 — 30, copiosius deinde in Cypriis expositae.

21. *In pulverem*] Iliad. *ι*, 393: *πόλιν δέ τε πῦρ ἀμαθύνει*. — *ex quo*] «Troia excidio devota erat iam inde ab eo tempore, quo Laomedon Neptunum et Apollinem, qui urbis moenia ei exstruxerant, debita mercede fraudavit suoque regno expulit.» Iliad. *φ*, 442. Pind. Ol. 8, 31.

24. *duce fraudulento*] Troianorum odio abrepta fraudem tribuit etiam ultimo illorum regi Priamo quasi per manus traditam. Sic propter patris ac filii perfidiam Priamum, virum insontem, culpae insimulat.

25. *Lacaenae*] Simplicissima ratio est, ut construamus: *hospes adulterae Lacaenae* (genit.) non vero: *splendet adulterae* (dativ.) *Splendet*, ut nos interpretamur, absolute est: «non iam superbit corporis forma Paris.»

28. *refringit*] pr. «frangendo reprimit, retundit.» Utroque autem membro Troiae excidium *παραφράζει* poëta, duobus Troianorum principibus viris sic memoratis: «Occiderunt iam formosus ille Paris, belli auctor, fortissimus Hector, strenuus patriae defensor: atque his e medio sublatis cecidit Troia.»

Bellum resedit. Protinus et graves
Iras et invisum nepotem,
Troica quem peperit sacerdos,

Marti redonabo; illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
Succos et adscribi quietis
Ordinibus patiar deorum.

Dum longus inter saeviat Ilion
Romamque pontus, qualibet exsules
In parte regnanto beati;
Dum Priami Paridisque busto

v. 34. *discere* C.

29. 30. *ductum*] «productum;» ut *trahere bellum* Sal. Iug. 64. Tac. Hist. 2, 31. — *seditionibus*] Ovid. Trist. 1, 2, 5: *Mulciber in Troiam, pro Troia stabat Apollo.* — *resedit*] «ut maris aestus sedata tempestate, sic compositum, finitum est bellum eversa Troia.» — *Protinus*] «ex hoc temporis puncto in futurum.» Ut poëta, nullam habet rationem aetatum inter Troiae excidium et Romuli adscensum in caelum praeteritarum.

32. *sacerdos*] Ilia sive Rea Silvia, Vestalis, e sanguine Troiano orta, cum Numitor ab Aenea descenderit.

33. *redonabo*] Hoc verbo unus Horatius usus videtur; alio significatu Od. 2, 7, 3., h. l. pro *donare* (Cic. ad Fam. 5, 4: *inimicitias rei publicae donare*) et *condonare*, in alicuius gratiam alicui aliquid remittere vel ignoscere.

34. *ducere*] ut Od. 1, 17, 22., Od. 4, 12, 14. est «obducere, sorbillare»; ita σπᾷν, ἕλκειν οἶνον.

35. *adscribi*] ex formula militari pro vv. *admitti, addi.* — *quietis Ordinibus*] Philetas Bachii p. 36: Ἀθάνατοι οἵ τ' ἐν Ὀλύμπῳ Ἔκτοσθεν χαλεπῶν ἀχέων οἶκους ἐκάμοντο.

37. *dum*] «Dummodo mare tempestatibus semper concitatum omne inter utrumque populum commercium impediat atque rumpat.»

38. 39. *exsules*] «Romani, qui genus duxerunt a profugis Troianis.» — *beati*] «omnibus opibus affluentes.»

Insultet armentum et catulos ferae
Celent inultae, stet Capitolium
Fulgens triumphatisque possit
Roma ferox dare iura Medis.

Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras, qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus,

Aurum irrepertum et sic melius situm
Cum terra celat, spernere fortior
Quam cogere humanos in usus
Omne sacrum rapiente dextra.

Quicunque mundo terminus obstitit,

41. *Insultet*] Ea sane summa erat in mortuum contumelia, ubi tumulus ab omni custodia ita desertus manebat, ut impune hostes ei insultarent, armenta eum depascerentur, ferae in eo lustra haberent. Iliad. δ, 177: *Καὶ κέ τις ὧδ' ἐρέει Τρώων ὑπερηνορεόντων Τύμβῳ ἐπιθρώσκων Μενελάου κυδαλίμοιο κτλ.*

42. *Capitolium*] certum illud aeternitatis et signum et pignus Romanis. Od. 3, 30, 8.

44. *dare iura*] leges imponere. Liv. 1, 8: *Romulus convocata multitudine - - iura dedit. Possit* autem *dare iura*, ut Tibull. 1, 7, 3: *Aquitanas qui posset fundere gentes.* Non est simplex verbi *περίφρασις*, sed significat: «valeat leges dare.»

45. *Horrenda*] «Roma bellicosa et terribilis opibus suis debellet Parthos ceterosque populos orbis extremos.» Iunge *horrenda late*, ut Od. 3, 17, 9: *Late tyrannus.*

46. *qua medius liquor*] «usque ad Gades, *Europam Libyamque rapax ubi dividit unda* (Poëta apud Cic. N. D. 3, 10.)» Aegyptum autem et Hispaniam debellavit Augustus.

49. «Hoc vero orbis terrarum imperium Roma ea dumtaxat condicione adipiscetur, ut for-

Hunc tanget armis, visere gestiens,
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulae pluviique rores.

Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii
Rebusque fidentes avitae
Tecta velint reparare Troiae.

Troiae renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Coniuge me Iovis et sorore.

Ter si resurgat murus aëneus,

v. 54. *tangat* C.

tior sit ad spernendum aurum quam cupidior eius *cogendi*, congerendi undique et quolibet modo etiam illicito, adeo ut rapiantur vel ex templis donaria aurea, ex iisque conflatis vasa ad usum profanum destinata conficiantur.»

53. *Quicunque*] «ad ultimum quemvis terminum, qui mundo habitabili *obstitit*, ἀορίστως, impedit, quo minus ultra se extendat, eum claudit.»

54. *tanget*] «Huic arma inferet eumque in dicionem suam redigет, cupidè penetrans et in zonam gelidam et in torridam, ubi solis *ignes* vim suam quasi furibundam exercent.

56. *rores*] ut δρόσος, de cuiusvis generis aqua apud poëtas; h. l. pro imbribus.

57 — 58. «Sed orbis terrarum imperium, ad quod fata Romanos vocant, ea tamen condicione iis vaticinor, ut abstineant a Troia reparanda.» — *pii*] in μητρόπολιν.

61. *Troiae*] id est, «Troiae malis auspiciis renascentis fortuna rursus eadem erit, quae veteris fuit, funestumque excidium novam quoque urbem manebit.» Ad vv. *alite lugubri* (Od. 1, 15, 5: *mala avi:*) memento auspicato condi solitas esse urbes.

65. *Ter*] numerus poëticus. «Quoties resurget murus vel firmissimus, auspiciis ac ductu ipsius Phoebi, prioris etiam Troiae conditoris.»

Auctore Phoebo, ter pereat meis
Excisus Argivis, ter uxor
Capta virum puerosque ploret.

Non hoc iocosae conveniet lyrae:
Quo, Musa, tendis? Desine pervicax
Referre sermones deorum et
Magna modis tenuare parvis.

---

# ODE IV.

## AD CALLIOPEN.

Descende caelo et dic age tibia
Regina longum Calliope melos,

67. *Argivis*] Argis celeberrimum illud Iunonis templum erat.

69. *Non hoc*] Simili modo, ut Od. 2, 1, 37., a cantu nimis audaci, et qui suae poësi in amoribus vitaeque laeto usu plerumque versanti minus aptus sit, sese revocat.

70. *tendis*] «In eo es, ut fines tibi praescriptos migres.» — *pervicax*] ut l. l. *procax*, «minus verecunda atque studio tuo ad temeritatem prope elata.»

72. *modis tenuare parvis*] «gravissimo argumento imparibus.» *Tenuare* autem verbum fere poëticum pro composito *extenuare*, elevare.

IV. «Musae, quibus ego quoque summa debeo beneficia, non solum nos delectant, sed emendant etiam mores nec sinunt esse feros, itaque mites modestiae sapientiaeque magistrae fiunt, quarum ipsarum virtutum Augustus, Romani imperii pacificator, eximium nobis praebet specimen; contra Musae adeoque cuncta ingenia bonis artibus exculta quam longissime abhorrent a feroci virium abusu atque a superbia omnibusque faci-

Seu voce nunc mavis acuta,
Seu fidibus citharaque Phoebi.

Auditis, an me ludit amabilis
Insania? Audire et videor pios
Errare per lucos, amoenae
Quos et aquae subeunt et aurae.

Me fabulosae Volture in Apulo

noribus, ad quae mortales morum feritas impellere solet.» Summa autem arte usus Augusto ipsi olim ad crudelitatem proclivi (notum illud Maecenatis: *Surge tandem, carnifex!*) moderationem atque clementiam cum ingenuo humanarum litterarum studio coniunctam ita commendat, ut in his virtutibus summas laudes veramque potentiam sitas esse demonstret. Quod autem ad Gigantes devictos attinet, quis non recordari debebat Antonii ante decennium fere oppressi? (A. u. c. 735.)

2. *Regina*] ut dea, praeterea Hesiod. Theog. 79: *Καλλιόπη θ' ἥ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων.* — *longum*] «Opto, ut tua praesentia quam diutissime frui possim nec nimis cito restinguatur impetus poëticus, qui nunc me corripit.» Utrum autem hoc ei concessura foret Musa necne, ipse nondum sciebat. — *Calliope*] Auson. Idyll. 20, 7: *Carmina Calliope libris heroica mandat.* Sed haec singulorum inter Musas munerum distributio a poëtis, praesertim lyricis, non servatur. Iam Alcman Fr. 4. W.: *Μῶσ' ἄγε, Καλλιόπα, θύγατερ Διός, Ἄρχ' ἐρατῶν ἐπέων· ἐπὶ δ' ἵμερον Ὕμνῳ καὶ χαρίεντα τίθει χορόν.*

3. 4. *acuta*] Catull. 64, 321: *clarisona.* «Sonora, liquida.» Acr. — *fidibus*] «Opto, ut, quocunque modo tibi placet, carmen mihi fundas vel tibia vel assa voce vel denique lyra»; quam *περιφράζει* vv. *fidibus citharaque Phoebi.* Virg. Aen. 6, 120: *Threïcia fretus cithara fidibusque canoris.*

5. *Auditis?*] «etiamne vos, sodales, an ego solus?» Hoc longe significantius quam Feae illud *audiris.*

6. *Insania*] gratus ille furor poëticus, *ἐνθουσιασμός.* Plato Phaedr. p. 248. A.: *ἡ ἀπὸ Μουσῶν κατοχή τε καὶ μανία.* — *pios per lucos*] «sacros, quos perambulant Musae.» Plat. Ion. p. 534. A.: *Μουσῶν νάπη.* Ex v. *subeunt*, quod proprie ad v. *auras* refertur, elice *perflant.* Sic nos et de aqua et de aura *durchziehn, durchwallen.*

9. *Volture in Apulo*] Duae res permire hic nobis accidunt, quod

Altricis extra limen Apuliae
Ludo fatigatumque somno
Fronde nova puerum palumbes

Texere, mirum quod foret omnibus,
Quicunque celsae nidum Acherontiae
Saltusque Bantinos et arvum
Pingue tenent humilis Forenti,

Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem et ursis, ut premerer sacra

aliquis in *Volture Apulo* tamen *extra Apuliam* sit, quodque in duobus versibus sese excipientibus primam syllabam et produxit et corripuit. Hinc multae natae sunt coniecturae: *in arduo - in arido - extra limina patriae - extra limina sedulae - extra limina Puliae* (videlicet nutricis Horatii:) - *intra limen Apuliae*: quarum tamen nulla probabilis est. Qui defendunt, Ianus, Iahnius, Mannert *Italien* 2. p. 68. hoc fere dicunt: «Voltur mons Apuliae supra Venusiam, cuius iugum in Lucaniam porrigitur. Quare recte mons *Apulus* dicitur, in quo Horatius nimis progressus fines Apuliae exire potuit. Inde *extra limen*. «Metrum autem poëtae Latini in nominibus propriis et peregrinis haud raro variaverunt.

10. 11. *Altricis*] Alii ex gloss. *nutricis*. Cic. Tim. 82: *terram, altricem nostram*. — *somno*] «ludo fatigatum posteaque somno oppressum.»

12. *palumbes*] Columbae Veneris sunt famulae; *materniae aves* Aeneae (Virg. Aen. 6, 193.) *Fabulosae* igitur, de quibus multa fabulantur poëtae, ut Od. 1, 22, 8: *fabulosus Hydaspes*.

13. *Texere*] Cum similia narrarentur de Stesichoro, Pindaro, Platone prodigia, ad se scite hoc traduxit, recentibus myrtorum ac lauri ramulis a palumbibus se infantem contectum esse in omen futurae gloriae poëticae. — *mirum*] «id quod sine ulla dubitatione prodigiosum videri debebat toti vicinitati meae, ut tuto dormirem ceteri.»

14. *Acherontiae*, hodie *Acerenza*, *Bantia*, *Abbazia di Vanzo*; *Forentum*, *Forenzo*.

17. *Ut*] non est finale, sed coniungendum cum vv. *mirum quod*

Lauroque collataque myrto,
Non sine dis animosus infans.

Vester, Camenae, vester in arduos
Tollor Sabinos, seu mihi frigidum
Praeneste seu Tibur supinum
Seu liquidae placuere Baiae.

Vestris amicum fontibus et choris
Non me Philippis versa acies retro,
Devota non exstinxit arbos,
Nec Sicula Palinurus unda.

*ford.* Sic Tacit. Hist. 1, 79: *Mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipsos.* Plin. Epp. 1, 6: *Mirum est, ut animus agitatione motuque corporis excitetur.*

18. *ursis*] Ovid. Halieut. 57: *Foedus Lucanis provolvitur ursus ab antris.* — *ut premerer*] «totus tegerer congesta lauro Apollini, myrto Veneri sacra.»

20. *Non sine dis*] ut Graeci οὐ θεῶν ἄτερ, οὐκ ἀέκητι. Odyss. σ, 353. — *animosus*] «Dis me tuentibus imperterritus somno tranquillo gaudebam.»

22. 23. *Tollor*] Ovid. Met. 7, 779: *Collis apex medii subiectis imminet arvis: Tollor eo.* — *Praeneste*] hodie *Palestrina*, Latii oppidum, quo aestate secedere solebant Romani, frigoris captandi gratia. Virg. Aen. 7, 682: *altum Praeneste.* — *supinum*] in declivi collis parte situm.

24. *liquidae Baiae*] «Aut in aquis constitutae, aut delitiosae, sive aëris puri.» Schol. Cruq. Postrema interpretatio praestat. Voss: *die Heitre um Baiae.* Campaniae erat oppidum propter aquas calidas et gratam aëris temperiem per aestatem frequentatum.

25. *Vestris - fontibus*] quorum celebratissimi erant Hippocrene, Castalia, Aganippe, Pirene; sed omnes fontes, apud quos carmina meditantur poëtae, in Musarum sunt tutela.

26. *Philippis*] Od. 2, 7, 9. Iunge: *acies retro versa Philippis*, non: *acies Philippis* pro: «apud Philippos.»

27. 28. *Devota*] «dis inferis sacra, utpote quae mihi prope exitium attulerit.» — *Palinurus*] promontorium ad extremum sinum Veliensem in Lucaniae ora, naufragiis infame, a Palinuro, Aeneae gubernatore ibi in mare demerso, ut fertur, sic nominatum. Nusquam alibi huius periculi meminit poëta.

Utcunque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosporum
Tentabo et urentes arenas
Litoris Assyrii viator,

Visam Britannos hospitibus feros
Et laetum equino sanguine Concanum,
Visam pharetratos Gelonos
Et Scythicum inviolatus amnem.

Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas cohortes addidit oppidis,

v. 31. *arentes* C. v. 38. *abdidit* C. *reddidit* C.

29. *Utcunque*] «dummodo vos me comitemini.»

31. *urentes*] Incertum est, utrum intelligat Syriae Palmyrenae solitudines, quae, auctore Plinio H. N. 5, 24., usque ad Petram, urbem et regionem Arabiae felicis, pertinebant, an ipsum Syriae litus. (Assyria frequenter pro Syria apud poëtas.)

33. *Britannos*] Tacit. Ann. 14, 30: *Britanni cruore captivo adolere aras et hominum fibris consulere deos fas habebant.*» Hieronymus adv. Iovinian. 2. p. 201. Bened.: *Quid loquar de ceteris nationibus, cum ipse adolescentulus in Gallia viderim Atticotos, gentem Britannicam, humanis vesci carnibus?*

34 — 36. *Concanum*]. Cantabriae in Hispania Tarraconensi populum. Silius 3, 360: *Nec qui Massageten monstrans feritate parentem Carnipedis fusa satiaris, Concane, vena.* Idem scilicet narrabant de Gelonis, Sarmatiae populo. Virg. Ge. 3, 461: *Bisaltae quo more solent acerque Gelonus, Cum fugit in Rhodopen atque in deserta Getarum Et lac concretum cum sanguine potat equino.* Virg. Aen. 8, 725: *sagittiferosque Gelonos. Scythicus* autem *amnis* Tanais.

37. *altum*] Noli iungere *altum militia* a v. *alere*, «educatum, innutritum militia inde a prima adolescentia», neque *altum* («excelsum, elatum») *militia*. Sed v. *militia* iungendum cum v. *fessas*, et *altus* est *egregius* (Od. 1, 6, 11.). Ovid. ex Ponto 2, 3, 63: *Quique dolor tetigisset pectus Caesaris alti.*

Finire quaerentem labores
Pierio recreatis antro.

Vos lene consilium et datis et dato
Gaudetis, almae. Scimus, ut impios
Titanas immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco,

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum et urbes regnaque tristia,
Divosque mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo.

v. 44. *corusco* B. coni.

38. *addidit*] Veram hanc esse lectionem demonstrat Tacit. Ann. 13, 31: *Coloniae Capua atque Nuceria* ADDITIS *veteranis firmatae sunt. Addidit* igitur tamquam *novos* colonos, qui in Inscriptt. aliquoties distinguuntur a *veteribus*.

40. *Pierio antro*] ubi Musarum recessus. Pind. Pyth. 6, 48. de Thrasybulo: *δρέπων Σοφίαν ἐν μυχοῖσι Πιερίδων*. Eloquentiam autem studiaque liberalia Augustum cupide ac laboriosissime exercuisse, poëticam quoque summatim attigisse tradit Sueton. 84. 85.

41. *lene consilium*] moderationem et clementiam, qua sane usus est post Antonium oppressum. *Consilium* autem h. l. trisyllabum per *συνεκφώνησιν*, ut Od. 3, 6, 6. *principium*.

42. *Gaudetis*] «quia consilium ab Augusto sapienter acceptum bonos iam habet eventus.» — Iam lyrica licentia varia monstrorum genera hic confunduntur, ac si Iovi disque ceteris bellum una intulissent Centimani, Titanes, Gigantes anguipedes, Typhoeus his posterior, Aloidae, Centauri. Cfr. Hesiod. Theog. 680. Apollod. 1, 1, 6.

43. 44. *immanemque turmam*] Titanum, *ἐκεξηγητικῶς*. — *caduco*] «desuper irruente.»

45. 46. *inertem*] «terrae molem immobilem,» *brutam*, Od. 1, 34, 9. — *Terra* et *urbes* componuntur ut Od. 2, 20, 3 et 5. et Od. 1, 35, 10: *urbesque gentesque; mortales* autem *turbae* opponuntur *divis* dumtaxat, ut in illis: *divom pater atque hominum rex*.

Magnum illa terrorem intulerat Iovi
Fidens iuventus horrida brachiis,
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.

Sed quid Typhoeus et validus Mimas
Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhoetus evolsisque truncis
Enceladus iaculator audax

Contra sonantem Palladis aegida
Possent ruentes? Hinc avidus stetit
Volcanus, hinc matrona Iuno et
Nunquam humeris positurus arcum,

49. 50. *terrorem*] Cfr. Od. 2, 12, 7. — *Fidens*] Construe: *iuventus horrida, fidens brachiis;* «tot brachiis ad pugnandum erectis iuventus illa horrebat, ut exercitus hastis.»

51. *Fratresque*] Otus et Ephialtes, Aloidae. Virg. Ge. 1, 280. — *opaco*] «propter silvas umbroso;» sic Virg. l. l. *frondosum* eum vocat.

53. *Typhoeus*] Pind. Pyth. 1, 15: Θεῶν πολέμιος, Τυφὼς ἑκατονταπάρανος· τόν ποτε Κιλίκιον δρέψεν πολυώνυμον ἄντρον· νῦν γε μὰν - - κίων οὐρανία συνέχει Νιφάεσσ' Αἴτνα. — *Mimas*] Apud Hesiod. Scut. H. 186. est Centaurus; Gigas apud Eurip. Ion. 214., ubi Pallas τὸν δαΐον Μίμαντα πυρὶ καταιθαλοῖ. Ei Prochyta iniecta. Silius 12, 147.

54 — 56. *Porphyrion*] Pindaro Pyth. 8, 17. est βασιλεὺς Γιγάντων. — *statu*] non statura, sed est «*stabilis gradus*» pugnantium, apud Tacitum Hist. 2, 35. Liv. 30, 18: *statu movere hostem.* — *Rhoetus*] qui alibi inter Centauros memoratur. Cfr. Bentl. ad Od. 2, 19, 23. — *Enceladus*] prostratus a Minerva; ei Aetna imposita. Virg. Aen. 3, 578. — *iaculator*] «evolsos truncos audacter iaculatus.»

57. *aegida*] clipeum h. l. potius quam thoracem. Val. Flacc. 3, 88: *aegisono fera pectore virgo.*

58. 59. *avidus*] λιλαιόμενος πολέμοιο. Iliad. v, 36: Ἥφαιστος σθένεϊ βλεμεαίνων. Sic Tacit. Ann. 1, 51. *avidas legiones* item absolute dixit. — *matrona*] Ovid. Fast. 6, 33. Iuno: *dicor matrona Tonantis.*

60. *arcum*] Apollo de arcu suo

Qui rore puro Castaliae lavit
Crines solutos, qui Lyciae tenet
Dumeta natalemque silvam,
Delius et Patareus Apollo.

Vis consilî expers mole ruit sua:
Vim temperatam di quoque provehunt
In maius; idem odere vires
Omne nefas animo moventes.

Testis mearum centimanus Gyges
Sententiarum, notus et integrae

v. 69. *Gyas* Meinecke. vv. 69—72. suspecti Buttmanno.

apud Eurip. Alc. 40: Σύνηθες ἀεὶ ταῦτα βαστάζειν ἐμοί. Pind. Pyth. 8, 17: (Gigantes) δμᾶδεν δὲ κεραυνῷ (Διὸς) Τόξοισί τε Ἀπόλλωνος. In his tantum dis memorandis sapienter substitit poëta, cum tamen omnes pugnae adfuissent, in primisque fortiter dimicasset Bacchus atque Hercules.

61. *Castaliae*] Pind. Pyth. 1, 39: Λύκιε καὶ Δάλου ἀνάσσων Φοῖβε, Παρνασσοῦ τε κράναν Κασταλίαν φιλέων.

63. *natalemque silvam*] in Cyntho, Deli monte. Servius ad Aen. 4, 144: *Constat Apollinem sex mensibus hiemalibus apud Pataram, Lyciae civitatem, dare responsa, unde Παταρεὺς Apollo dicitur, et sex mensibus apud Delum.*

65. *Vis consili*] Eurip. Fr. Temenid. 11: Ῥώμη δέ γ' ἁμαυὴς πολλάκις τίκτει βλάβην. — *mole ruit sua*] «Propter id ipsum, quod nimis magna ac violenta facinora patrare quis conatur, semet ipse perdit.»

67. *odere vires*] Eurip. Hel. 903: μισεῖ γὰρ ὁ θεὸς τὴν βίαν.

69. *Gyges*] Vide Od. 2, 17, 14.

70. *Sententiarum*] «veracium monitorum.» — *notus*] Orion propter id ipsum maxime *notus*, quod ausus est tentare Dianam *integram*, ab eaque occisus est in insula Delo. Est autem Orion Horatio, ut aliis apud Apollod. 1, 4, 3. γηγενής, cum Pherecydes eum Neptuni et Euryalae filium fecisset. — *integrae*] intactae virginis. — *Tentator*] nove fortasse dictum (certe alibi non invenitur:) factum ad Graecum v. πειραστής, πειρᾶν κόρην, γυναῖκα.

Tentator Orion Dianae,
Virginea domitus sagitta.

Iniecta monstris Terra dolet suis
Maeretque partus fulmine luridum
Missos ad Orcum; nec peredit
Impositam celer ignis Aetnam,

Incontinentis nec Tityi iecur
Reliquit ales, nequitiae additus
Custos; amatorem trecentae
Pirithoum cohibent catenae.

v. 78. *Relinquit* C.

73. *monstris*] «formis illis portentosis Gigantum cet. ex se natis.»

74. *luridum*] «luridus, supra modum pallidus.» Festus. Est tamen, ut monstrat Od. 4, 13, 10: *luridi dentes* et Ovid. Met. 14, 744: *lurida membra* eius, qui laqueo fauces sibi elisit, *luror* pallor nigricans, liveus (*fahl* Voss.).

75. *peredit*] «nec flammae ita exurere potuerunt Aetnae firmissimam molem Encelado impositam, ut is unquam liberaretur.»

77. *Tityi*] Odyss. λ, 576. Quintus Smyrn. 3, 392: Οἷος ὑπερφίαλος Τιτυὸς πέσεν, ὁππότε Λητὼ Ἔρχομένην Πυθῶδε βιάζετο καί ἑ χολωθεὶς Ἀκάματόν περ ἐόντα δοῶς ὑπεδάμναι· Ἀπόλλων Λαιψηροῖς βελέεσσιν· ὁ δ' ἀργαλέῳ ἐνὶ λύθρῳ Πουλυπέλεθρος ἔκειτο κατὰ χθονὸς εὐρυπέδοιο Μητρὸς ἑῆς· ἡ δ' νἷα περιστονάχησε πεσόντα.

78. *nequitiae*] libidinis atque intemperantiae. — *additus*] tamquam ἔφεδρος, qui eum vexet. Virg. Aen. 6, 91: *nec Teucris addita Iuno Usquam aberit.*

80. *Pirithoum*] Lapitharum regem. — *trecentae*, (ut in prosa or. *sexcenti*) «permultae, innumerabiles.» Apollod. 2, 5, 12: Ἡρακλῆς πλησίον τῶν Ἅιδου πυλῶν γενόμενος Θησέα εὗρε καὶ Πειρίθουν τὸν Περσεφόνης μνηστευόμενον γάμον (unde *amator* impurus:) καὶ διὰ τοῦτο δεδέντα. Θεασάμενοι δὲ Ἡρακλέα τὰς χεῖρας ὤρεγον, ὡς ἀναστησόμενοι διὰ τῆς ἐκείνου βίας· ὁ δὲ Θησέα μὲν λαβόμενος τῆς χειρὸς ἤγειρε, – – Πειρίθουν δὲ ἀναστῆσαι βουλόμενος, τῆς γῆς κινουμένης ἀφῆκεν.

# ODE V.

Caelo tonantem credidimus Iovem
Regnare: praesens divus habebitur
Augustus adiectis Britannis
Imperio gravibusque Persis.

Milesne Crassi coniuge barbara 5

V. «Phraates, cum a. u. c. 731. filium Romae detentum ea lege ab Augusto recepisset, ut captivos et signa militaria Crassi et Antonii cladibus amissa sibi restitueret, huic tamen ut satisfaceret, haud prius impelli potuit, quam ea ab Augusto, quem in Asiam traiecisse et ad Syriam usque pervenisse satis constabat, bello repetitum iri fama percrebruisset. Erat is annus u. c. 734. Quae res etsi ex pactis cum Parthis ita esset transacta, Augustum tamen, quod solo nominis sui terrore Phraaten, ut ea staret, adegisset, ita sese extulisse constat, ut maximae instar victoriae restitutionem istam habuerit, orationeque et arcu triumphali, denique nummis quae celebraretur dignam duxit. Cfr. Dionem 54, 8.» Mitscherlich. Scriptum est carmen a. u. c. 735.

1. *Caelo*] Iunge *caelo regnare*, ut Lucan. 3, 319. Alii minus recte: (e) *caelo tonantem*. — *credidimus*] «semper, atque etiamnunc credimus.»

2. 3. *praesens*] ἐπιφανής. Auson. Caes. 2: Augustum Roma *In terris positum credidit esse deum.* Cfr. 1, 12, 51. Od. 4, 14, 43. — *Britannis*] Strabo 4. p. 138: *Νυνὶ μέν τοι τῶν δυναστῶν τινες τῶν αὐτόθι πρεσβεύσεσι καὶ θεραπείαις κατασκευασάμενοι τὴν πρὸς Καίσαρα τὸν Σεβαστὸν φιλίαν, ἀναθήματά τε ἀνέθηκαν ἐν τῷ Καπιτωλίῳ καὶ οἰκείαν σχεδὸν παρεσκεύασαν τοῖς Ῥωμαίοις ὅλην τὴν νῆσον.*

5. Iunge *maritus coniuge barbara*, id est, «habens coniugem barbaram.» Cfr. Ovid. Her. 4, 134: *Et fas omne facit fratre marita soror.* — «Uxores a victoribus acceperant, ut vitam mercarentur.» Schol.

Turpis maritus vixit et hostium,
Pro curia inversique mores!
Consenuit socerorum in armis

Sub rege Medo Marsus et Apulus,
Anciliorum et nominis et togae
Oblitus aeternaeque Vestae,
Incolumi Iove et urbe Roma?

Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis condicionibus
Foedis et exemplo trahentis
Perniciem veniens in aevum,

Od. V. v. 8. *arvis* Fea cum C1d. Ianii et T. Fabro. v. 15. *trahenti* Schol. Cruq. *exempli trahentis* B. susp.

6. *Turpis*] propter violatam legem Romanam atque in matrimonium ductam non solum peregrinam, verum etiam hostis filiam. Virg. Aen. 8, 688: *sequiturque* (Antonium) *nefas! Aegyptia conjux.* — *vixit*] «Adeone vitae cupidus fuit, ut hanc ignominiam aequo animo pateretur?» — *hostium*] «quos S. P. Q. R. hostes iudicarat, quibuscum idcirco nullum omnino commercium neque connubium esse poterat.»

7. *Pro*] Est demirantis cum indignatione. — *curia*] Cic. pro Plancio 29: *stante urbe et curia. Curia* refertur ad laesam senatus dignitatem, qui tam ignominiosum casum tam diu patienter tulerit.

8. *Consenuit*] Quia iam plus triginta annos inter Parthos degerant. — *in armis*] Prorsus hoc ex Parthorum more. Iustin. 41, 2, 5: *Exercitum non, ut aliae gentes, liberorum, sed maiorem partem servitiorum habent*: captivi autem pro mancipiis erant. — Quid, quod Romanos, otii impatientes, belli cupidos cum Parthis etiam voluntarios arma tulisse haud improbabile est? Sic Q. Labienus T. F. Vide Ed. maiorem.

9. *rege*] invidiosum apud Romanos nomen. — *Marsus et Apulus*] bellicosissimi Italiae populi.

10. *Anciliorum*] rarior forma pro *ancilium* (Inscr. m. Lat. 2244.) a v. *ancile*. Lege Ovid. Fast. 3, 373. — *togae*] Virg. Aen. 1, 282: *Romanos, rerum dominos gentemque togatam.*

11. 12. *Vestae*] cuius ignis pignus erat aeternitatis Romanae urbis. Cic. de Legg. 2, 8: *Virgines*

Si non periret immiserabilis
Captiva pubes. Signa ego Punicis
Adfixa delubris et arma
Militibus sine caede, dixit,

Derepta vidi, vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero
Portasque non clausas et arva
Marte coli populata nostro.

Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit. Flagitio additis
Damnum: neque amissos colores
Lana refert medicata fuco,

v. 17. *perirent* Glareanus.

*Vestales in urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum.* — *Iove*] «Salvo Capitolio.» Schol.

13. *caverat*] «Et tamen ne talis turpitudo atque ignominia unquam Romanos dehonestaret, providere voluerat iam Regulus, specimen illud summae constantiae cet.» Captus est a Karthaginiensibus a. u. c. 490.

14. *condicionibus*] casu tertio, ut Quintil. 8, 6, 54: *si qua verbis dissentit.*

15. *trahentis*] «Ab exemplo perniciem in posteros trahebat, deducebat, id est, dictitabat tale exemplum nimiae facilitatis ad redimendos captivos vim et auctoritatem perniciosam in posteros habiturum esse.» Iahn. Et quidem contagii instar, de quo v. *trahere* interdum usurpatur.

21. 22. *Derepta*] «violenter et contumeliose detracta.» Tacit. Ann. 2, 45: *Spolia et tela Romanis derepta in manibus multorum ostentabat.* Male alii *direptâ.* — *Retorta*] Epp. 2, 1, 191: *Mox trahitur manibus regum fortuna retortis.*

23. 24. *Portasque*] Karthaginis non clausas, quod maximae securitatis signum erat. — *Marte*] «ab exercitu nostro devastata.» Sic *populare* Virg. Ge. 1, 185. Aen. 1, 527.

27. 28. *Damnum*] «longe maius, inquit, damnum partim inerit in turpi exemplo ad posteros prodito, partim in eo quod redempti isti reliquis militibus permixti, iam ignaviores quam antea foedam fugam capientes vel iterum sese dedentes cladem afferent populo Ro-

Nec vera virtus, cum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis, erit ille fortis,

Qui perfidis se credidit hostibus,
Et Marte Poenos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners timuitque mortem.

Hic, unde vitam sumeret, inscius
Pacem duello miscuit. O pudor!

v. 33. *dedidit* B. coni. vv. 36—38. *mortem Hinc* (coni.), *unde vitam sumeret aptius* (Codd.); *Pacem et duello* coni. Bentl.

mano.» — *neque amissos*] «Ut primum colorem naturalem nunquam recipit lana semel alio colore infecta, ita cet.» — *medicata*] de coloribus, ut φαρμάσσειν, imbuta. Ovid. Rem. Am. 707: *Myrtaeis medicatum vellus ahenis. Medicare* dixit Virg. Ge. 1, 193. — *fuco*] Plin. 26, 10. Fucus marinus, lactucae similis, conchyliis substernebatur, id est, lana herbae illius suco prius imbuebatur, quo facilius purpurae colorem imbiberet. Tum pro quovis suco, qui tingendo inservit, in primis pro purpura.

29. *Nec vera*] «Virtus natura cuique insita non potest restitui eis, qui propter ignaviam deteriores sunt facti.» «*Deteriores* fiunt ex bonis, *peiores* ex malis.» Schol.

30. *Curat*] «non volt, neque potest, quia pristinas suas vires amisit.»

32. *plagis*] «Non magis cerva felici casu e retibus expedita fugaque servata postea aggreditur venatorem, quam fortis unquam erit ille, qui semel hostibus sese dedidit;» vel inversis membris: «qui semel captus est, is non magis bellicosus erit quam cerva cet.»

33. *se credidit*] Egregie opponitur v. *perfidis*, ut Od. 3, 27, 25: *Europe niveum doloso Credidit tauro latus.* Cic. ad Fam. 4, 7: *quemadmodum nos, victori se crediderunt*; id est, «nullam omnino condicionem pacti, arbitrio se victoris commiserunt.»

34—36. *Marte*] «Et in alteram expeditionem profecti prosternent, debellabunt Poenos.» — *iners*] Salust. Iug. 44: *exercitus iners, imbellis.*

O magna Karthago, probrosis
Altior Italiae ruinis!

Fertur pudicae coniugis osculum
Parvosque natos ut capitis minor
Ab se removisse et virilem
Torvus humi posuisse voltum;

Donec labantes consilio patres
Firmaret auctor nunquam alias dato,
Interque maerentes amicos
Egregius properaret exsul.

Atqui sciebat quae sibi barbarus
Tortor pararet; non aliter tamen

37. *Hic*] «Ignavus idem iste nimis ignarus vitam tantum fortiter pugnando servari, ipse pro se in iusto bello a populo Romano suscepto pacem composuit, quae tamen lex fuit servitutis.»

38. *duello*] Antiquiorem formularum formam consulto delegit. — *miscuit*] Significat medio in bello illegitimum istud pactum initum esse.

40. *Altior*] Imago haec est: «Karthago inconcussa et victrix ex alta sua sede despicit Italiam ignominiosis caedibus aliisque probris in pulverem prostratam.»

41. *coniugis*] «Amplecti noluit Marciam, indecorum existimans matronam Romanam servum osculo dignum putare.» Dio Cass. T. 1. Sturz. p. 142: ὁ Ῥήγουλος τἆλλα μὲν καθάπερ τις Καρχηδόνιος, ἀλλ' οὐ Ῥωμαῖος ὢν ἔπραττε καὶ οὔτε τὴν γυναῖκα ἐς λόγους ἐδέξατο οὔτε ἐς τὴν πόλιν καθάπερ ἐκβληθεὶς (exul) ἐσῆλθεν κτλ.

42. *capitis minor*] «capite deminutus est, qui in hostium potestatem venit.» Festus. Cfr. Liv. 22, 60.

44. *posuisse voltum*] oculos deflixisse; memor capitis deminutionis, quam perpessus erat, certus consilii plenusque severitatis.

50. *Tortor*] Cfr. Cic. de Off. 1, 15. et 3, 27. Silius 6, 342. Gellius 6, 4: *Regulum Tubero in historiis redisse Karthaginem novisque exemplorum modis a Poenis excruciatum dicit. In atras, inquit, et profundas eum tenebras claudebant, ac diu post, ubi erat visus sol ardentissimus, repente educebant et adversus ictus solis oppositum continebant atque intendere in caelum oculos cogebant. Palpebras*

Dimovit obstantes propinquos
Et populum reditus morantem,

Quam si clientum longa negotia
Diiudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros
Aut Lacedaemonium Tarentum.

## ODE VI.

### AD ROMANOS.

Delicta maiorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris

*quoque eius, ne connivere posset, sursum ac deorsum diductas insuebant. Tuditanus autem somno diu prohibitum atque ita vita privatum refert.*

51. *Dimovit*] «cedere sibi iussit viamque aperire.»

53. *clientum*] Ut solebant patroni clientum inter se lites transigere ac decidere. — *longa*] ac propterea taedii plena.

55. 56. *Venafranos*] Venafrum extremum in Septentrionem Campaniae oppidum. — *Lacedaemonium*] A Phalanto Lacedaemonio conditum ferebatur. Od. 2, 6, 11. Uterque autem tractus amoenissimus.

VI. Corruptos aetatis suae mores conquestus cives, ut ad simplices ac puros maiorum mores redeant, exhortatur. Scriptum videtur carmen circa a. u. c. 726.

1. *maiorum*] inde a temporibus Sullanis, duarum prope aetatum ante hoc carmen compositum. — *immeritus*] «etsi fortasse nulla propria culpa pollutus.»

2. *Romane*] Saepe sic Livius pro numero plurali. — *templa*] *Templum* proprie omnis locus antea profanus, postea inauguratus; *aedes*, omnis deorum domus. Per bella autem civilia et propter clades hominum et propter pecuniae defectum in ipsa urbe, magis etiam in oppidis neglecta fuerant templa. Propert. 2, 6, 35: *Sed non immerito velavit aranea fanum Et mala desertos occupat herba deos.* — *refeceris*] Augusti ea laus. Cfr.

Aedesque labentes deorum et
Foeda nigro simulacra fumo.

Dis te minorem quod geris, imperas:
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Di multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae.

Iam bis Monaeses et Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros et adiecisse praedam
Torquibus exiguis renidet.

Od. 2, 15, 20. Suet. Oct. 30: *Aedes sacras vetustate collapsas aut incendio absumptas refecit.*

4. *fumo*] partim post incendia, quorum meminerunt Tacitus et Suetonius l. l., partim etiam incuria fumo deturpata atque offuscata.

5. *minorem*] «quod ut superiores veneraris deos eorumque potentiam ultro agnoscis.» Pseudocic. de Harusp. resp. 9: *Pietate ac religione atque hac una sapientia, qua deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes superavimus.*

6. *Hinc*] «est, oritur *omne principium*,» nominativo. Sententia est: «Deorum auspiciis atque auxilio omne inceptum peragendum; felix exitus grato animo iisdem tribuendus est.» *Principium* autem per *συνεκφώνησιν* trisyllabum, ut Od. 3, 4, 41: *consilium.*

8. *Hesperiae*] «Italiae in luctum effusae propter clades, quibus per tot annos afflicta est.»

9. *Monaeses*] probabiliter est M. Crassi victor (a. u. c. 701.), quem ceteri scriptores dignitatis nomine Surenam vocant. Pacorus, Orodis regis filius, Phraatis frater natu maior, qui Decidium Saxam, M. Antonii legatum a. u. c. 714. oppressit.

10. *Non auspicatos*] Vellei. 2, 46: *Crassum proficiscentem in Syriam diris cum ominibus tribuni plebis* (in primis C. Ateius) *frustra retinere conati.* Cic. de Div. 1, 16. «Has igitur expeditiones malis auspiciis inceptas *contuderunt*, magna cum strage nostrorum exercituum vanas reddiderunt Parthi.»

12. *Torquibus*] Tenuibus illis torquibus aureis, qui unicus gregariorum militum apud Parthos ornatus fuerat, exsultant nunc accessisse divitem praedam Romanam.» — *renidet*] «Non sine con-

**Paene occupatam seditionibus**
**Delevit urbem Dacus et Aethiops;**
**Hic classe formidatus, ille**
**Missilibus melior sagittis.**

**Fecunda culpae secula nuptias**
**Primum inquinavere et genus et domos;**
**Hoc fonte derivata clades**
**In patriam populumque fluxit.**

**Motus doceri gaudet Ionicos**

Od. VI. v. 20. *Inque patres* B. coni.

tumelia in Romanos subridet spectans ornatum suum tantopere auctum.»

13. *Paene*] «Urbem ipsam dissidentem ac studiis intestinis distractam paene excidit Antonius; ea potitus esset, si apud Actium victor evasisset.» Daci, sagittarii, ab Octaviano spreti ad Antonium inclinaverunt. (Dio 51, 22.) Virg. Aen. 8, 704: *Et coniurato descendens Dacus ab Istro.* Aegyptios, eius classiarios, poëtice propter vicinitatem Aethiopes vocat. Nam ipsi Aethiopiae non imperitabat.

17. *Fecunda culpae*] Iam causas harum calamitatum exponit. «Degenerant familiae propter omnis generis libidines, quibus uterque sexus obnoxius est.»

18. *genus*] sanguinem, stirpem; *domos*, omnes rationes domesticas inter coniuges ac liberos, ad quos sensim a parentibus transit corruptela.

20. *In patriam populumque*] «in rem publicam et in singulos cives.» Antiqua est formula. Liv. 5, 41: *sunt qui devovisse* (seniores in clade Gallica a. u. c. 365.) *se pro patria Quiritibusque Romanis tradant.* Ovid. Metam. 15, 572: *Patriae laetum populoque Quirini -- sit.*

21. *Motus -- Ionicos*] Auctore Athenaeo 1, 19: ἡ Ἰωνικὴ ὄρχησις in iis ab Aristoxeno memorabatur, quae διὰ τὴν χειρῶν κίνησιν ceteris praestent. Aristoph. Thesmoph. 163: Ibycus, Anacreon, Alcaeus ἐμιτροφόρουν τε καὶ διεκλῶντ' Ἰωνικῶς. Hesychius: Ἰωνικόν, τρυφερὸν ἢ περὶ τοῦ καταγέλαστος ἢ ὀηλυκοῦ.

22. *Matura*] «Cum nubili aetate castissima esse deberet.» —

**Matura virgo et fingitur artibus.**
**Iam nunc et incestos amores**
**De tenero meditatur ungui:**

**Mox iuniores quaerit adulteros**
**Inter mariti vina neque eligit,**
**Cui donet impermissa raptim**
**Gaudia luminibus remotis.**

**Sed iussa coram non sine conscio**
**Surgit marito, seu vocat institor**

v. 22. *fingitur artibus* et *frangitur artibus* Codd. aliq.

*fingitur artibus*] ablativ. instrum., ut cum dicimus *instrui, erudiri artibus*, non dativus, ut nonnulli voluerunt, «ad artes». «Accurate artibus praeter saltationem etiam cantu, musicis, poësi amatoria instituitur, ut Sempronia illa apud Salustium, Clodia, P. Clodii soror, Sulpicia Tibulli, Cynthia (Hostia) Propertii, quibus artibus amatores alliciat.»

23. *Iam nunc*] Iungenda haec cum sequentibus: «*Iam nunc*, dum tenera est necdum matura, meditatur amores impudicos, quibus aliquando, nubilis cum facta sit, sese dedat.»

24. *De tenero ungui*] Automedon in Anth. Pal. I. p. 119: *Τὴν ἀπὸ τῆς Ἀσίης ὀρχηστρίδα, τὴν κακοτέχνοις Σχήμασιν ἐξ ἀπαλῶν κινυμένην ὀνύχων Λίνέω.* Graecum hunc modum imitatur etiam Cic. ad Fam. 1, 6: *a teneris unguiculis.*

26—28. *Inter mariti vina*] «Dum maritus convivio delectatur, sibi circumspicit iuniores illo moechos.» — *impermissa*] *ἄπαξ λεγόμενον* pro *inconcessa, illicita, interdicta.* — *luminibus*] «taedis, faculis, lucernis.» SCHOL.

29. *coram*] «ante omnium oculos vocata.» — *non sine conscio marito*] Cum vi repetitur v. *maritus*, ad indignitatem corruptorum istorum quaestus cupiditate morum augendam.

30. *institor*] «Etiam *βαναύσους* homines minime aspernatur, dummodo largis donis petitis eos emungat.» Institorem autem cogita illum Propertii 4, 2, 38: *Mundus demissis institor in tunicis.* «Institores, quibus vestiarii dant vestes linteaque circumferenda ac distrahenda.» GLOSS. VET.

Seu navis Hispanae magister,
Dedecorum pretiosus emptor.

Non his iuventus orta parentibus
Infecit aequor sanguine Punico,
Pyrrhumque et ingentem cecidit
Antiochum Hannibalemque dirum;

Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas et severae
Matris ad arbitrium recisos

Portare fustes, sol ubi montium
Mutaret umbras et iuga demeret

v. 36. *durum* Mein. e Codd. aliq.

31. *Hispanae*] Frequens commercium inter Hispaniam et Italiam. Dives ergo significatur naviculator, *ναύκληρος* Hispanus, non *ναύαρχος* militaris.

32. *Dedecorum*] «turpium voluptatum, quae et adulteram et moechum ignominia afficiunt.» — *pretiosus emptor*] «magno pretio emens.»

34. *sanguine Punico*] Refertur ad bellum Punicum primum: Pyrrhum victum a M. Curio (a. u. c. 479.), Hannibalem a P. Scipione apud Zamam (a. 552.), Antiochum magnum a M'. Acilio Glabrione (a. 563.) et L. Cornelio Scipione Asiatico ad Magnesiam (a. 564.) — *ingentem*] poëtice pro *magnum*, quo *ἐπιθέτῳ* ab aliis Antiochis distinguebatur. — *cecidit*] *καθ' ὑπερβολήν* pro: «profligavit, devicit.»

38. *Sabellis*] Id est, Sabinis. Columella Praefat. §. 17: *Vera illa Romuli proles assiduis venatibus nec minus agrestibus operibus exercitata firmissimis praevaluit corporibus ac militiam belli, cum res postulavit, facile sustinuit, durata pacis laboribus.* — *docta*] pro «assueta».

39—41. *severae*] In hoc vel maxime cernitur Sabinae disciplinae severitas, quod etiam iuvenes adulti matrum iussis obedire et, cum per totum diem arva coluerunt, vesperi lassi iam ligna caedere domumque portare debent. — *(fustes)* *Holzkolben* Voss.)

Bobus fatigatis amicum
Tempus agens abeunte curru.

Damnosa quid non imminuit dies? 45
Aetas parentum peior avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

---

# ODE VII.

## AD ASTERIEN.

Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Favonii

42. 43. *iuga demeret*] *βούλυσις*, *βουλυτός* Homeri. — *amicum*] ut *φίλον*, gratum diuque exspectatum ad quietem capiendam.

45. *Damnosa*] «Omnia paullatim detrimento afficiens ac dissolvens.» — *imminuit*] «sensim debilitat ac deterius reddit», ut nos *schmälern*.

46. *peior avis*] «vitiosior aetate avorum nos produxit longe etiam illis deteriores, e quibus rursus nascetur nequior proles.» Arat. Phaen. 123: *Οἵην χρυσείης πατέρες γενεὴν ἐλίποντο Χειροτέρην, ὑμεῖς δὲ κακώτερα τεξεῖεσθε.*

VII. Asterien consolatur de amici absentia: hunc fidelem manere, etsi ab hospita tentatum; puellamque vicissim ad constantiam in amore hortatur. Est quasi *εἰδύλλιον* mercatorum vitam amoresque lyrice describens. Asterie autem, Gyges eiusque hospita Chloë, Enipeus, omnes personae a poëta fictae. (a. u. c. 729?)

1. *quem tibi*] Finge tibi iuvenem mercatorem, qui in Bithyniam profectus variis mercibus ibi coëmptis appropinquante hieme rediens, ventis adversis ad Oricum delatus atque aliquamdiu detentus, cum mare iam clausum esset, novo demum vere ad amicam redire poterit. — *candidi*] «sereni, hibernas nubes abigentes.» Plaut. Merc. 5, 2, 35: *Favonius serenus est; - - facit tranquillitatem.*

Thyna merce beatum,
Constantis iuvenem fide,

Gygen? Ille Notis actus ad Oricum
Post insana Caprae sidera frigidas
Noctes non sine multis
Insomnis lacrimis agit.

Atqui sollicitae nuntius hospitae,
Suspirare Chloën et miseram tuis
Dicens ignibus uri,
Tentat mille vafer modis.

Ut Proetum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus nimis
Casto Bellerophonti
Maturare necem refert.

3. *Thyna merce*] Claudian. Eutr. 2, 246: *Thyni Thraces erant, quae nunc Bithynia fertur.* — *beatum*] ditatum.

4. *fide*] genitivus antiquus, ut Ovid. Met. 3, 341: *Prima fide vocisque ratae tentamina.* Sat. 1, 3, 95. *commissa fide* dativ.

5. 6. *Oricum*] portus et oppidum Epiri in introitu sinus Hadriatici, hodie *Orso.* — *Caprae*] quae Iovem infantem lacte nutrierat, in sidera relata una cum *pluvialibus* Haedis (Virg. Aen. 9, 663.) oritur IV. Kal. Octobr., occidit Kal. Ian.

8. *lacrimis*] «propter te effusis; etsi eum per callidum *nuntium* sive interpretem tentat hospita, apud cuius maritum devertitur.»

11. *tuis-ignibus*] «Gyge, quem tu ardenter amas.»

13—16. *Proetum*] regem Argivum. — *mulier perfida*] Antea Homero, aliis Sthenoboea. Historiam lege Iliad. ξ, 160. seqq.

17. *Pelea*] Hippolyte, Acasti, regis Iolci, uxor, Pelei amore capta, cum eum ad stuprum sollicitasset neque ei persuadere potuisset, dolore odioque incensa eum apud maritum criminata est, ut vim sibi inferre conatum. Ille autem his auditis eum in Pelii montis solitudines quasi aliud agens deduxit; quo dormiente inter Centauros relicto domum reversus est.

Narrat paene datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens;
Et peccare docentes
Fallax historias movet.

Frustra: nam scopulis surdior Icari
Voces audit adhuc integer. At tibi
Ne vicinus Enipeus
Plus iusto placeat, cave;

Quamvis non alius flectere equum sciens
Aeque conspicitur gramine Martio,
Nec quisquam citus aeque
Tusco denatat alveo.

Od. VII. v. 20. *Pellax* Bentl. susp. Ibid. *monet* Codd. plerique.

Dii autem Pelei miserti Volcanum ad eum miserunt. Hic ei gladium donavit, quo Centauros in se irruentes interfecit, reversusque in Thessaliam Acasto bellum intulit et Iolcum expugnavit. Pindar. Nem. 4, 54. et 5, 26.

18—20. *Magnessam*] a Magnesia, Thessaliae urbe. «Ad differentiam alterius Hippolytes, Amazonum reginae, uxoris Thesei.» Scholl. His duabus fabulis Gygae pericula spreti amoris demonstrat: iam alias *movet*, profert, quae amantium felicitatem ac gaudia ante oculos ponentes *peccare*, alias praeter eam, cui fidem debet, amare docent. — *fallax*] «te decipere cupiens.» Bentleii *pellax* per auream aetatem non reperitur nisi apud Virg. Aen. 2, 90: *pellacis Ulixei*. *Historiae* autem, *μῦθοι*, narrationes poëticae, ut Quintil. 1, 2, 14: *Grammaticus historias exponat*, et saepe apud eundem.

21. *scopulis - Icari*] Od. 1, 1, 15. *Icari* genit. v. *Icarium*, non *Icarus*. — *surdior - audit*] Similiter Eurip. Med. 28: *ὡς δὲ πέτρος ἢ θαλάσσιος Κλύδων ἀκούει.*

22. 23. *adhuc integer*] «usque ad hunc diem incorruptus.» Cfr. Od. 2, 4, 22. — *Enipeus* a nomine fluminis Thessaliae.

25—28. *flectere equum*] Equitandi in Campo Martio et per Tiberim natandi artibus adolescentes puellis ad amorem pronis sese commendabant. — *Tusco - alveo*]

Prima nocte domum claude neque in vias
Sub cantu querulae despice tibiae,
Et te saepe vocanti
Duram difficilis mane.

---

# ODE VIII.

## AD MAECENATEM.

Martiis caelebs quid agam Kalendis,
Quid velint flores et acerra turis

Od. 1, 2, 14: *Tiberim - Litore Etrusco.*

29. *in vias*] «Neve per fenestras in plateam deorsum aspice propter Enipeum suaves querimonias tibiae cantu exprimentem.» *Παραχλαυσίθυρον* vocabant Graeci.

32. *Duram*] *Dura* est, «quae omni amoris sensu caret»; *difficilis* h. l. «quae propter fidem alii promissam ab alio amatore corrumpi se non sinit.» Est ergo: «Inexorabilis ei introitum denegato.»

VIII. Maecenatem ad diem festum Kalendarum Martiarum secum celebrandum invitat Horatius, vel etiam invitare se tantummodo fingit. Scena carminis ita est comparata, quasi Maecenatem iamiam epulis exciperet, mirantem, cur caelebs amicus hoc modo Matronalia celebret. Scriptum videtur carmen a. u. c. 734.

1. *Martiis - Kalendis*] De Matronalibus in honorem Iunonis Lucinae celebratis cfr. Ovid. Fast. 3, 233. Pseudotibull. 3, 1, 1: *Martis Romani festae venere Kalendae, (Exoriens nostris hic fuit annus avis:) Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa Perque vias urbis munera* (strenae) *perque domos. — caelebs*] «Cum tu, docte amice, probe calleas ritus atque caerimonias Romanas, fortasse miraberis, cur ego, caelibum cum nullae in Matronalibus sint partes, quippe quae ad matronas dumtaxat et maritos pertineant, ea nihilominus ita celebrem? Verum, etsi ego pro coniugis conservatione vota susciperc remque divinam facere nequeo, propter aliam tamen causam hoc sollemne obeo.»

2—4. *flores*] serta et coronae. — *cespite vivo*] quo aram temporariam exstruxerat.

5. *Docte sermones*] «Tu, qui optime calles litteras et Graecas et Latinas, ac propterea versatus es etiam in scientia cultus deorum

Plena, miraris, positusque carbo in
Cespite vivo,

Docte sermones utriusque linguae.
Voveram dulces epulas et album
Libero caprum prope funeratus
Arboris ictu.

Hic dies anno redeunte festus
Corticem adstrictum pice demovebit
Amphorae fumum bibere institutae
Consule Tullo.

Sume, Maecenas, cyathos amici

et caerimoniarum cuique diei festo et hominum generi convenientium.» *Doctum* amicum appellat etiam Ep. 1, 19, 1. — *utriusque linguae*] Plin. H. N. 12, 1: *Platanus una insignis utriusque linguae monumentis.*

6. *album - - caprum*] Dis superis albae hostiae immolabantur, inferis nigrae. Caper autem, quia vites depascit, Baccho mactabatur. Virg. Ge. 2, 381. Evenus in Anthol. Pal. II. p. 27: vitis capro: Κῆν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω, Ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοί, τράγε, θυομένῳ.

7. 8. *funeratus*] *funerare* Plinio 33, 10. et Suetonio Domit. 17. est *sepelire*, Horatio *necare*, *exstinguere*. — *Arboris ictu*] Cfr. Od. 2, 13. Od. 2, 17, 27. conservationem suam tribuit Fauno, hic, ut poëtae licebat, Libero, poëtarum custodi.

9. 10. *anno redeunte*] in se, περιπλομένου ἐνιαυτοῦ. «Hoc anniversarium sollemne celebro.» — *corticem*] Cato de R. R. 120: *In amphoram mustum indito et corticem* (suberis) *oppicato.*

11. 12. *fumum bibere*] Colum. 1, 6, 20: *Apothecae recte superponentur iis locis, unde plerumque fumus exoritur; quoniam vina celerius vetustescunt, quae fumi quodam tenore praecocem maturitatem trahunt.* — *institutae*] «quae bibere didicit.» — *Tullo*] Duo huius nominis consules fuerunt: L. Volcatius Tullus cum M'. Aemilio Lepido a. u. c. 688. (anno ante natum Horatium:) et L. Volcatius L. F. Tullus cum Caesare Octaviano II. a. u. c. 721. Plerique interpretes ad priorem referunt; tum fuisset vinum XLVI. annorum; idque omnino probabilius, vinum tam vetustum destinatum esse amico.

13. *cyathos - - centum*] «Verbo usus est convivarum: *Centum Cyathos!*» Acron. *Cyathos* autem

Sospitis centum et vigiles lucernas
Perfer in lucem: procul omnis esto
Clamor et ira.

Mitte civiles super urbe curas:
Occidit Daci Cotisonis agmen,
Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis,

Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber sera domitus catena,
Iam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis.

Od. VIII. v. 15. *Profer* Cod. Turic. v. 19. *infestis sibi luctuosus* B. e C1d.

*amici*, «qui propter amicum sospitem ebibantur», ut Od. 3, 19, 9. Theocrit. 14, 18: ἔδοξ' ἐπιχεῖσθαι ἄκρατον Ὠτινος ἥδελ' ἕκαστος· ἔδει μόνον ὦτινος εἰπῆν. Meleager in Anth. Pal. I. 122: Ἔγχει τᾶς Πειθοῦς καὶ Κύπριδος Ἡλιοδώρας.

15. *Perfer*] «Sine, ut producatur convivium usque ad primam lucem et nobiscum mane, donec finitum sit.»

16. *Clamor*] «inter nos, utpote die festo, quem in honorem deum celebratum talia profanant.» Horatius amico quasi spondet afore ab hac compotatione altercationes et iurgia, quae inter bene potos nasci solent.

17. *super urbe*] quoniam praefectus urbi erat, absente et occupato in Oriente Augusto.

18. *Daci*] Daci, qui fines Romanos continuis incursionibus populabantur duce rege ipsorum *Cotisone*, gravissima clade affecti sunt a Lentulo a. u. c. 734. Suet. Oct. 21. Flor. 4, 12, 19.

19. *Medus*] «Parthi, sempiterni imperii Romani hostes, inter Phraatis regis et Tiridatis exulis partes intestinis nunc discordiis agitantur, adeo ut armis, quae contrariae factiones sumpserunt, sibimet ipsi clades illaturi sint.»

22. *Cantaber*] Cantabri in Hispania septentrionali domiti a. u. c. 734. Dio 53, 25.

23. *Scythae*] iidem, quos χυριωτέρως *Gelonos* vocat Od. 2, 9, 22. Flor. 4, 12, 19: *Sarmatae patentibus campis inequitant, Et hos per Lentulum prohibere Danubio satis fuit.* — *laxo*] «remisso,

Neglegens, ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere;
Dona praesentis cape laetus horae et
Linque severa.

## ODE IX.

### CARMEN AMOEBAEUM.

Donec gratus eram tibi
Nec quisquam potior brachia candidae
Cervici iuvenis dabat,
Persarum vigui rege beatior.

v. 27. *rape* Codd. aliq. Lamb.

incursionibus in fines Romanos iam renuntiaturi.» — *meditantur*] in pr. orat.: «iam inibi sunt, ut se recipiant inde, quo temere erant progressi.»

25. *Neglegens*] «Securus, non timens.» Schol. «Hoc saltem dle omitte aliquantisper assiduas tuas pro populi salute curas nolique nimis sollicitus esse de novis periculis rei publicae fortasse imminentibus.»

26. *privatus*] «Cum sis privatus.» Vellei. 2, 88: *Maecenas non minus Agrippa Caesari carus, sed minus honoratus, quippe vixit angusti clavi fine contentus.* Quamvis igitur a. u. c. 734. praefectus urbi esset, intra equestrem dignitatem constitit, ita ut summis magistratibus nunquam gestis iure *privatus* dici posset, quo modesto vocabulo ipse de se fortasse interdum utebatur.

IX. Reconciliatio gratiae inter poëtam et amicam. *Amantium irae amoris redintegratio.* Ter. Andr. 4, 3, 20. Semel hac dialogi forma usus est, bucolica illa carmina ἀμοιβαῖα lyricae poësi adaptans. Continuas in Lydiae responsis ἀνθήσεις facile quisque per se sentiet. Haec autem carminis amoebaei veluti lex erat, ut, qui responderet, similibus sententiis atque imaginibus, sed maiore cum vi atque arte expressis alterum vincere conaretur. (a. u. c. 735?)

2. 3. *potior*] «rivalis meus, quem tu pluris faciebas.» Epod. 15, 13.

4. *Persarum rege*] Est veluti proverbium. Hybrias in Scolio p. 76. Mehlh.: *Πάντες γόνυ πεπτηῶ-*

Donec non alia magis
Arsisti neque erat Lydia post Chloën,
Multi Lydia nominis
Romana vigui clarior Ilia.

Me nunc Thressa Chloë regit,
Dulces docta modos et citharae sciens,
Pro qua non metuam mori,
Si parcent animae fata superstiti.

Me torret face mutua
Thurini Calaïs filius Ornyti,
Pro quo bis patiar mori,
Si parcent puero fata superstiti.

Quid, si prisca redit Venus
Diductosque iugo cogit aëneo?

Od. IX. v. 5. *aliam* B. e Codd.

*τες ἀμὸν--κυνεῦντί τε δεσπόταν Καὶ μέγαν βασιλέα Φωνέοντι.*

5. 6. *alia - - Arsisti*] Dicitur *ardere* et *aliquo* et *aliquem*. Epod. 14, 9: *Samio dicunt arsisse Bathyllo Anacreonta*. Od. 4, 9, 13: *Non sola comptos arsit adulteri Crines*. — *erat post*] «posthabebatur Chloë.»

8. *Romana*] «Ego (libertina) clarior fui Ilia sive Rea Silvia, Romuli matre, Romanarum nobilissima.»

10. *modos*] *μέλη*. — *citharae sciens*] Od. 1, 15, 24: *pugnae sciens*. Alexand. Aetol. in Anal. Br. I. p. 419: *Ἀλλ' ὅ γε πευθόμενος πάγχυ Γραικοῖσι μελέσθαι Τιμόθεον, κιθάρης ἤθμονα καὶ μελέων*.

12—14. *animae*] «vitae puellae amatissimae, quae mihi, precor, superstes sit.» — *face mutua*] «Ego amore in Calain incensa feror eiusque mutuum experior.» — *Thurium*, oppidum Lucaniae, olim Sybaris, Romanis Copiae, incolarum mollitie notum. *Thurinus* opponitur *Thressae* illi v. 9. — *Calais*] Delegit nomina poëtica et sonora; *Calain*, uti appellabatur Boreae filius; *Ornytus* ap. Apollon. Rhod. 2, 65. Virg. Aen. 11, 677.

15—18. *bis patiar mori*] Eurip. Orest. 1116: *Καὶ μὴν τόδ' ἔρξας δὶς θανεῖν οὐ χάζομαι*. — *prisca*] «Nonne satius esset, si pristinus amor rediret nosque nunc dissidio diiunctos nova concordia velut firmissimo iugo copularet?» *Iugum* ut Od. 1, 33, 10.

Si flava excutitur Chloë,
Reiectaeque patet ianua Lydiae?

Quamquam sidere pulchrior
Ille est, tu levior cortice et improbo
Iracundior Hadria,
Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

---

# ODE X.

## AD LYCEN.

Extremum Tanain si biberes, Lyce
Saevo nupta viro, me tamen asperas
Porrectum ante fores obiicere incolis
Plorares Aquilonibus.

Audis quo strepitu ianua, quo nemus

19. *excutitur*] «oneris instar de mente mea pellitur, adeo ut eius prorsus obliviscar.»

20. *Reiectaeque*] «Si *Lydiae* (dativ.), quam per aliquod tempus *reieci*, exclusi domo mea atque aspernatus sum, rursus patet ianua mea.»

21. *sidere pulchrior*] Iliad. ζ, 401: Astyanax ἀλίγκιος ἀστέρι καλῷ. Virg. Aen. 8, 589. de Pallante: *Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda Extulit os sacrum.*

22. *levior cortice*] «subere»; proverbii speciem habet. — *improbo*] Improbum apud poëtas omne quod modum excedit. Virg. Ge. 1, 146: *labor improbus.* Ibid. 388: *improba cornix.* H. l. «nimios fluctus volvente.» — *iracundior*] Poëta de se Epp. 1, 20, 25: *Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.*

X. Παραχλαυσίθυρον non sine minis se neutiquam semper Lyces fastum toleraturum esse. (a. u. c. 720?)

1. *Tanain*] «amnem illum Scythiae a Roma longissime remotum si biberes; si vel Scythissa esses.»

2—4. *asperas*] «semper me excludentes.» — *Porrectum*] «longe extentum humique stratum.» Cfr. Epod. 10, 22. Sat. 2, 3, 111. His tribus locis Bentleius volgare v. *proiectum* substituit. — *Plorares*] «Misereris tamen me pati frigus Aquilonum, qui in Scythia veluti domicilium suum habent.»

5. 6. *nemus*] viridarium, (cuius

Inter pulchra satum tecta remugiat
Ventis, et positas ut glaciet nives
Puro numine Iuppiter?

Ingratam Veneri pone superbiam;
Ne currente retro funis eat rota.
Non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.

O quamvis neque te munera nec preces
Nec tinctus viola pallor amantium
Nec vir Pieria pellice saucius
Curvat, supplicibus tuis

Od. X. v. 6. *situm* Codd. aliq. Ibid. *remugiat? Sentis* B. coni.

genus nemus volgo *silvam* vocabant:) in domus impluvio plantatum. — *satum*] consitum, longe praestat volgari *situm*. Est igitur: «Quo strepitu silva domus tuae resonet propter ventos?» *Ventis* ablat., non, ut nonnulli volunt, dativ. Ex v. *audis* per zeugma elice: «sentis gelu?»

7. *positas*] «ut nix, quae caelo lapsa est superioribus diebus atque humum contegit, nunc caelo sereno in glaciem convertatur.» Serenis autem noctibus glacies facilius concrescere solet quam nubilosis.

10. *Ne currente*] Construo: «*ne retro currente rota* etiam *funis eat* retro;» ita ut *retro* ad utrumque verbum pertineat. Cum pondus qualecunque fune super rotam apto in altum attollitur, interdum accidit, ut rupto fune vel e manibus elapso machinae manubrio, rota una cum fune retro agatur vi ponderis, quod in praeceps descendit; sic in puteum sitella aquae plena vel lapidis moles in solum decidit. Ita omnis labor frustra insumitur et saepe pondus illud, quod sursum tollebatur, comminuitur vel ipsa machina frangitur. Proverbium erat hoc Graecorum; Aristid. Panath. p. 118. Iebb. Adagii sententia igitur haec est: «ne et omnis opera a te insumpta in ludificandos amantes in cassum suscipiatur et tu ipsa poenas superbiae tuae luas.»

11. *Penelopen*] «quae iure suo *difficilis*, aspera erat procis eosque non sine contemptu a se removebat. Tu vero tenui es orta loco, filia Etrusci alicuius advenae;» cuiusmodi homines inter alia quaesticuli genera exercebant haruspicinam clandestinam, hariolos agebant cet.

Parcas, nec rigida mollior aesculo
Nec Mauris animum mitior anguibus.
Non hoc semper erit liminis aut aquae
Caelestis patiens latus. 20

## ODE XI.

### AD MERCURIUM.

Mercuri, nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo,
Tuque testudo resonare septem
Callida nervis,

14. *tinctus viola*] «colore violae, λευκοΐον lutei vel albi.» Cfr. Voss. ad Virg. Ecl. 2, 47: *pallentes violas*.

15. 16. *Pieria*] Macedonica. Dictum est ut *Thressa*, *Cressa* ac similia de talium libertinarum patria, neque ideo, quod Pieria sedes est Musarum, interpretandum de musica huius ἑταίρας arte. — *saucius*] amore, ut Virg. Aen. 3, 1. — *Curvat*] in prosa or. «flectit, movet.» «Quamquam *humani* nihil te ad amorem flectit, tamen veluti *dea* miserere, precor, amatoris tui supplicis.»

20. *aquae Caelestis*] Epp. 2, 1, 135: *Caelestes implorat aquas*. «Itaque fiet, ut prae taedio aliquando te deseram.»

XI. Argumentum hoc est: In Lyden, puellam timidam et adversus amorem obfirmatam oculos coniiciens precatur Mercurium, ut sibi dulcissimos quosque modos concedat, quibus virgo tandem flectatur, recordatusque potentiam lyrae, quam ille pulsans etiam Tartari monstra placat damnatorumque umbras laboribus levat, subsistit in Danaidum poenis, quibus una illa, quae marito fida remansit, exempta est. Iam sperat fore, ut Lyde hac perfecti amoris imagine tacta amanti aures praebeat; sed lyrica φαντασία veluti absorptus in hac desinit neque ad puellam denuo se convertit. Lyde persona aeque ficta atque altera illa eiusdem nominis Od. 2, 11, 22. (A. u. c. 727?)

1. 2. *Mercuri*] «testudine tua cane modos, quibus Lyde amore tangatur. Nihil enim iis resistit.» — *nam*] «potes praestare, quod te precor.» — *Amphion*] Thebanae arcis conditor.

3. 4. *Tuque, testudo*] Sappho Fragm. 24. N.: Ἄγε δῖα χέλυ μοι λέγε, φωνάεσσα δὲ γίγνεο. —

Nec loquax olim neque grata, nunc et
Divitum mensis et amica templis,
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet aures,

Quae, velut latis equa trima campis
Ludit exsultim metuitque tangi,
Nuptiarum expers et adhuc protervo
Cruda marito.

Tu potes tigres comitesque silvas
Ducere et rivos celeres morari;

*Callida*] «quae scite resonas.» — *nervis*] ablativus potius quam dativus.

5. *loquax*] h. l. in bonam partem, «canora,» ut apud Graecos interdum λάλος et λάλιος idem quod εὔλαλος.

6. *mensis*] Odyss. ρ, 270: φόρμιγξ; ἦν ἄρα δαιτὶ θεοὶ ποίησαν ἑταίραν.

9. *latis*] «Ubi amplum fugae est spatium.» — *equa trima*] Anacreon Fr. 79. Bergk.: Πῶλε Θρῃκίη, τί δή με λοξὸν ὄμμασι βλέπουσα Νηλεῶς φεύγεις, δοκέεις δέ μ' οὐδὲν εἰδέναι σοφόν; Ἴοὐ ἰού τοι, καλῶς μὲν ἄν τοι τὸν χαλινὸν ἐμβάλοιμι, Ἡνίας δ' ἔχων στρέφοιμί σ' ἀμφὶ τέρματα δρόμου. Νῦν δὲ λειμῶνάς τε βόσκεαι κοῦφά τε σκιρτῶσα παίζεις. Δεξιὸν γὰρ ἱπποσείρην οὐκ ἔχεις ἐπεμβάτην.

10. *exsultim*] ἅπαξ λεγόμενον eadem analogia atque *tollutim*, *strictim*, *carptim*, *punctim*, *caesim* cet.

11. 12. *Nuptiarum*] «Etiamnunc immatura cupido equo, tangi non volt.» *Cruda* autem ut de fructibus, «nondum matura.»

13. *tigres comitesque*] «Ducis tigres comites et silvas comites.» Significat hic Orpheum Eurydicen suam ex Orco repetentem.

15. *immanis*] Cum Cerberus satis definiatur stropha sequente, v. *immanis* (vastae) refero ad v. *aulae*, quod v. neccssario requirit ἐπίθετον.

17. 18. *furiale*] «simile capiti Furiarum, quae ipsae quoque pro capillis habent serpentes.»

19. 20. *Spiritus teter*] «Quamvis foedus spiritus (odor) et *sanies (Geifer)* ex eius ore exeat, ut heroas intrantes repellat, umbras

Cessit immanis tibi blandienti
Ianitor aulae,

Cerberus, quamvis furiale centum
Muniant angues caput eius atque
Spiritus teter saniesque manet
Ore trilingui.

Quin et Ixion Tityosque voltu
Risit invito, stetit urna paullum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.

Od. XI. v. 18. *caput exeatque* Bentl. susp. Tota strophe multis criticis est suspecta.

effugium quaerentes intro agat.» — V. *manet* per solitum zeugma refertur etiam ad v. *spiritus teter*, qui proprie «prorumpit, emittitur.» — *Ore trilingui*] ut Od. 2, 19, 29. Est: «de tribus linguis triplicis oris.» — Minus gratae pro nostro certe sensu imagines illae v. 19. et pron. *eius*, quo solent abstinere epici et melici (cfr. tamen Od. 4, 8, 18.), in causa fuerunt, cur recentiorum complures hanc strophen Horatio abiudicarent. Sed est ex iis veluti dissonis numeris («dissonantias» nostrum ad modum vocat iam Hieronymus:) qui suo loco a magnis artificibus excitati perfectiorem totius carminis vel modulaminis ἁρμονίαν reddunt.

21. *Ixion*] Seneca Herc. fur. 750: *Rapitur volucri tortus Ixion rota.* v. 756: *Praebet volucri Tityos aeternas dapes.*

22. *Risit*] Hermesianax v. 9. de Orpheo: *Κωκυτὸν τ' ἀδέμιστον ἐπ' ὀφρύσι μειδήσαντα Ἠδὲ καὶ αἰνοτάτου βλέμμ' ὑπέμεινε κυνὸς Ἐν πυρὶ μὲν φωνὴν τεδομένου ἐν πυρὶ δ' ὄμμα, Σκληρὸν τριστοίχοις δεῖμα φέρων κεφαλαῖς.*

23. *Danai puellas*] Danaum narrant filios Aegypti (fratris) metuentem cum quinquaginta filiabus Argos, quae antiqua patria erat, confugisse. Ibi regno potitum Aegyptiadis, qui ea causa Argos venerant, despondisse quidem filias, sed clam mandavisse, ut prima nocte sponsos interimerent: quod fecisse omnes praeter Hypermnestram, quae, cum Lynceo sponso suo pepercisset, in vincula conjecta, sed postea tamen in matrimonium data est Lynceo. Hermann. Opuscc. 2. p. 319. Ovid. Heroid. 14. tota.

Audiat Lyde scelus atque notas
Virginum poenas et inane lymphae
Dolium fundo pereuntis imo
Seraque fata,

Quae manent culpas etiam sub Orco.
Impiae, (nam quid potuere maius?)
Impiae sponsos potuere duro
Perdere ferro.

Una de multis face nuptiali
Digna periurum fuit in parentem
Splendide mendax et in omne virgo
Nobilis aevum,

Surge, quae dixit iuveni marito,
Surge, ne longus tibi somnus, unde

25. *Audiat Lyde*] Cum se quasi fortuito in Danaidum fabulam incidisse simulasset, ea callide utitur ad amicam a saevitia atque contumacia deterrendam et ad facilitatem revocandam. — *notas*] partim a multis poëtis tractatas iam inde a Danaide cyclica memorata in Tabula Borgiana, partim saepe a statuariis expressas.

26. *inane lymphae*] eadem constructione, qua dicitur *plenum aquae*. *Inane* autem, quia in imo fundo pertusum est adeoque aqua semper *perit*, effluit. — *seraque fata*] «poenas fatales, quae eis post mortem tandem impositae sunt.»

33. *Una de multis*] Pind. Nem. *i*, 6: *Οὐδ' Ὑπερμνήστρα παρεπλάγχθη μονόψαφον ἐν κουλεῷ κατασχοῖσα ξίφος.*

34. 35. *periurum*] quia desponsis filiabus in perniciem deduxit Aegyptiadas. — *splendide mendax*] «magna cum laude.» Sic *gloriose mentiri* dixit Cicero pro Mil. 27. et Antigone de se ipsa (Sophocl. Antig. 74:) *ὅσια πανουργήσασα.*

37. *marito*] Apollod. 2, 1, 5: *αὕτη Δυγκέα διέσωσε παρθένον αὐτὴν φυλάξαντα.* Contra Schol. Eurip. ad Hec. 869: *ἐφείσατο τοῦ Δυγκέως ἀπὸ τῆς μίξεως διάθεσιν ἐσχηκυῖα πρὸς αὐτόν.* Atque hoc potius inest in vv. Aeschyli l. l. et Horatii.

40—44. *Fallę*] «λάθε, decipe fugiendo.» Schol. — *singulos*] «suum maritum quaeque thalamo

Non times, detur: socerum et scelestas
Falle sorores,

Quae velut nactae vitulos leaenae
Singulos eheu lacerant: ego illis
Mollior nec te feriam neque intra
Claustra tenebo.

Me pater saevis oneret catenis,
Quod viro clemens misero peperci;
Me vel extremos Numidarum in agros
Classe releget.

I, pedes quo te rapiunt et aurae,
Dum favet nox et Venus, i secundo
Omine et nostri memorem sepulchro
Scalpe querelam.

v. 52. *Sculpe* Codd. aliq.

inclusum.» — *intra claustra*] «nec clausum tenebo ab alio aliquo necandum.»

45. *Me pater*] Pausan. 2, 19, 6: *τὴν Ὑπερμνήστραν ὑπήγαγεν ὁ Δαναὸς εἰς δικαστήριον, τοῦ τε Λυγκέως οὐκ ἀκίνδυνον αὐτῷ τὴν σωτηρίαν ἡγούμενος, καὶ ὅτι τοῦ τολμήματος οὐ μεταισχοῦσα ταῖς ἀδελφαῖς καὶ τῷ βουλεύσαντι τὸ ὄνειδος ηὔξησε, κριθεῖσα δὲ ἐν τοῖς Ἀργείοις ἀποφεύγει τε καὶ Ἀφροδίτην ἐπὶ τῷδε ἀνέθηκε νικηφόρον.* Veneris enim interventu apud Aeschylum in Danaidibus absoluta erat.

47—50. *extremos*] versus Occidentem. — *Numidarum*] utpote quam maxime ferorum. — *Classe*] pro una navi. — *I, pedes*] «Sive terra sive mari iter facere voles, propera.»

51. *nostri*] Falso nonnulli interpretati sunt: «utriusque nostrum», cum sit: «mei», ut Od. 3, 27, 14: *Et memor nostri, Galatea, vivas.*

52. *Scalpe*] Gratior sonus firmatur ab antiquissimo meo Cod. B.; minus utique gratum est *ul-ul* illud in lect. *sepulchro Sculpe.* — *querelam*] «titulum sepulcralem in cenotaphio, mei amoris monumentum.» Desinit autem in *φαντασίᾳ* poëtica neque ad Lyden revertitur, ut aliquoties. Cfr. Od. 1, 7. et 3, 27.

# ODE XII.

## NEOBULE SECUM LOQUITUR.

Miserarum est neque amori dare ludum neque dulci
Mala vino lavere aut exanimari metuentes
Patruae verbera linguae.

Tibi qualum Cythereae puer ales, tibi telas
Operosaeque Minervae studium aufert, Neobule,
Liparaei nitor Hebri,

Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis,

XII. Imitatio videtur carminis Alcaei, cuius primum v. servavit Hephaestio p. 67. Ἐμὲ δειλὰν, ἐμὲ πασᾶν κακοτάτων πεδέχοισαν. (a. u. c. 725?)

1. *Miserarum*] «Miserrima est condicio puellarum, quibus concessum non est amori indulgere.» — *amori dare ludum*] «amoribus suis liberum ludendi spatium concedere, libere iis frui.» Plaut. Bacch. 4, 10, 7: *Ego dare me ludum meo gnato constitui.*

2. 3. *vino lavere*] «neque vino tristitiam eluere, abigere.» — *aut exanimari*] «aut si hoc vel illud tentamus, statim metu percelli, summo angore affici, ubi severior etiam patre patruus nos increpat.» Sat. 2, 3, 88: *ne sis patruus mihi.* — *verbera*] Q. Cicero ad Fam. 16, 26: *Verberavi te cogitationis tacito dumtaxat convicio.*

4. *qualum*] «calathum, metonymice pro lanificio.» Schol. Sappho Fr. 32: Γλυκεῖα μᾶτερ, οὔτοι δύναμαι κρέκην τὸν ἱστὸν Πόθῳ δαμεῖσα παιδὸς βραδινὰν δι' Ἀφροδίταν. — *puer ales*] Cupido.

5. 6. *Operosae*] Ἐργάνης. — *Neobule*] nomen ex Archilochi carminibus desumptum. — *Hebri*] ut Od. 3, 7, 23. *Enipeus*, fluminis noti nomen tribuitur huiusmodi personae amatoriae, superaddito patriae nomine, ut *Xanthias Phoceus*, *Turinus Calais*, id quod confert ad certam aliquam personam lectoris menti demonstrandam. — *Lipara* maxima insularum Aeoliarum inter Italiam et Siciliam. —

Eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno
Neque segni pede victus;

Catus idem per apertum fugientes agitato
Grege cervos iaculari et celer alto latitantem
Fruticeto excipere aprum.

## ODE XIII.

### AD FONTEM BANDUSIAE.

O fons Bandusiae, splendidior vitro,
Dulci digne mero non sine floribus,

Od. XII. v. 11. *arto* cum Codd. aliq. Mein.

Od. XIII. v. 1. *Blandusiae* Codd. aliq.

*nitor*] decor, pulcherrima forma. Nexus sententiarum hic est: «Hebrus mihi aufert omne aliud studium, simulatque eum video vel videre mihi videor natantem, equitantem, venantem.»

7 — 9. *Tiberinis*] Cic. pro Caelio 15: *Habes, Clodia, hortos ad Tiberim ac diligenter eo loco parasti, quo omnis iuventus natandi causa venit.* «Alio tempore equitat melius *Bellerophonte, cui caelum campus fuerat, terraeque fretumque Sub pedibus; non ulla tulit vestigia cursu.* Manil. 5, 99.» — *neque pugno*] Pugilatio et cursus exercitationes fuisse videntur iuvenum Graecorum in Urbe degentium, qualis fingitur esse Hebrus, atque eppidanorum (Suet. Octav. 45.) magis quam adolescentium Romanorum nobilium. — *pugno neque segni pede victus*] βραχυλογία pro: «nunquam ab alio victus propter pugnos minus robustos pedesque tardiores.»

10 — 12. *Catus*] callens, peritus venandi. — *celer excipere*] Graeca constructione, ut Od. 1, 15, 8: *celer segui.* — *excipere*] Verbum venatorium, ut δέχεσθαι, ubi venabulo sistitur fera e lustro proruens atque conficitur.

XIII. Praelusurus sacrificio sequente die offerendo laudat amoenissimum fontem Bandusinum. — Bandusiam sitam fuisse VI. milia passuum a Venusia compertum habemus ex mediae aetatis documentis (anni 1103.) apud Feam.

1. 2. *vitro*] Ut nos dicimus, crystallo. *Vitream Fucini undam*

Cras donaberis haedo, – ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑
Cui frons turgida cornibus – ⏑ – – ⏑ – ⏑

Primis et venerem et proelia destinat.
Frustra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine rivos
Lascivi suboles gregis.

Te flagrantis atrox hora Caniculae
Nescit tangere, tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Praebes et pecori vago.

Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impositam ilicem
Saxis, unde loquaces
Lymphae desiliunt tuae.

dixit Virg. Aen. 7, 759. — *digne mero*] «quod cras tibi libetur.» Varro LL. 6, 22: *Fontanalibus in fontes coronas iaciebant et puteos coronabant.*

3 — 5. *frons turgida*] «cuius cornua iam in eo sunt, ut per pellem penetrent et enascantur.» — *destinat*] ut Od. 3, 22, 7. *meditari.* «Mature autem (anniculi) haedi et venerem appetere et propter eam pugnare consuerunt.» Schol. — *inficiet tibi - - rivos*] Sic iam apud Homerum. Iliad. ψ, 144. seqq.: Σπερχεΐ', ἄλλως σοί γε πατὴρ ἠρήσατο Πηλεὺς - - Πεντήκοντα δ' ἔνορχα παρ' αὐτόθι μῆλ' ἱερεύσειν Ἐς πηγάς κτλ.

9. 10. *atrox*] ferventissima. *Hora* autem totum spatium dierum canicularium. — *nescit tangere*] «quia Caniculae ictus a te excludunt ilices.»

12. 13. *tu quoque*] «ut alii fontes aliis a poëtis celebrati, Arethusa, Castalia, Dirce, Pirene, Langia cet.»

15. 16. *Saxis*] «antro, ex quo fons oritur, ilicibus tecto.» — *loquaces*] Recte Bentleius construxit: *unde lymphae tuae desiliunt, loquaces*, id est, «loquaciter, grato cum murmure.»

# ODE XIV.

## AD POPULUM ROMANUM.

Herculis ritu modo dictus, o plebs,
Morte venalem petiisse laurum
Caesar Hispana repetit penates
Victor ab ora.

Unico gaudens mulier marito
Prodeat iustis operata sacris,
Et soror clari ducis et decorae
Supplice vitta

Od. XIV. v. 6. *operata divis* Codd. aliq. *castis operata sacris* Bentl.

XIV. 1. «Quemadmodum Hercules summa cum fortitudine mortem spernens devictis monstris sempiternam gloriam sibi peperit, eodem animo usum Augustum non sine gravi periculo expeditionem in Cantabros suscepisse, libenter, o Romani, agnoveramus; nunc victor rediit.» (a. u. c. 730.) — *modo*] expeditionis celeritatem significat. — *dictus*] «Quem paullo ante omnes dicebant in difficillimam ac periculorum plenam profectum esse expeditionem.» — *o plebs*] significatu, ut ita dicam, nobili, ut est formula apud Cic. pro Mur. 1: *populo plebique Romanae.*

2. *Morte venalis est laurus* sive triumphus, quatenus, qui hunc appetit, mortis periculum forti animo facere debet.

5. *Unico*] Fuere qui hoc interpretarentur de omnibus feminis pudicis, cum ad Liviam Augusti ad supplicationem celebrandam e Palatio prodeuntem unice referendum esse demonstret Octaviae sororis et postea omnium matronarum mentio. Deinde *unico gaudens mulier marito* est, (quae virtus tunc singularis erat:) «uni fidelis, pudica ac propter ipsam castimoniam digna, quae votum pro reditu mariti solvat *sacris iustis*, legitimis, *rite initis et curatis*, ut ait Livius 1, 31. Suet. Octav. 62: *Liviam - dilexit et probavit unice ac perseveranter.*

8. *Supplice vitta*] quas partim

Virginum matres iuvenumque nuper
Sospitum. Vos, o pueri et puellae
Iam virum expertae, male ominatis
Parcite verbis.

Hic dies vere mihi festus atras
Eximet curas: ego nec tumultum
Nec mori per vim metuam tenente
Caesare terras.

I, pete unguentum, puer, et coronas
Et cadum Marsi memorem duelli,

v. 11. *expertes* Cuninghi. *Non virum expertas* Bentl. susp. Ibid. *nominatis* Codd. aliq. Lamb. *inominatis* Bentl. coni.

in capite gestabant, (Virg. Aen. 4, 637: *tuque ipsa pia tege tempora vitta*) partim virgis involutas prae se ferebant. (Aen. 7, 237: *Praeferimus manibus vittas ac verba precantia.*)

9. 10. Liviae igitur et Octaviae in re divina facienda assistunt ceterae matronae nobiles Romanae, matres eorum iuvenum, qui e bello Cantabrico salvi redierant, et virginum nubilium, mulieres igitur aetate iam fere quadragenariae. In seqq., ut significet omnem aetatem eius sacri participem esse debere, per χιασμὸν *iuvenibus* opponit *pueros* aliquanto minores, *virginibus* proprie dictis *puellas iam virum* (accus. sing.) *expertas*, id est, recens nuptas, quas Od. 2, 8, 22. similiter vocat *nuper virgines nuptas*. Hic cum v. *virginum* iam usus esset, nullum aliud restabat nisi v. *puellae*, quod de nuptis haud raro usurpatur apud poëtas. Od. 3, 22, 2 f. *laborantes utero puellas.*

11. *male ominatis*] «εὐφημεῖτε.» Od. 3, 1, 2.

14 — 15. *tumultum*] quemadmodum nominabant bella Italica et Gallica. Cic. Philipp. 8, 1. — *Nec mori per vim*] «Hic dies reditus Augusti sospitis, quem ego ex animi sententia et amo et veneror, vere mihi festus est, quia omnes mihi curas eximit, ne intestinae contentiones rursus oriantur, ut factum est post C. Iulii Caesaris interitum.»

18. *Marsi memorem duelli*] «conditum bello Marsico s. sociali a. u. c. 663—665., iam prope septuagenarium; si qua ratione eiusmodi *testa* (cadus) superstes fuit bello

Spartacum si qua potuit vagantem
Fallere testa.

Dic et argutae properet Neaerae
Murreum nodo cohibere crinem;
Si per invisum mora ianitorem
Fiet, abito.

Lenit albescens animos capillus
Litium et rixae cupidos protervae;
Non ego hoc ferrem calidus iuventa
Consule Planco.

v. 22. *cohibente* Mureti et Bentl. coni.

Spartacio sive servili a. 681—683. illasque catervas *fefellit*, latuit.»

19. *si qua*] Non recte iungunt nonnulli *si qua testa*, cum nominat. *qua* ubique corripiatur: sed est ablat. adverbialiter positus, «si qua via, sicubi:» ut Virg. Aen. 1, 18: *Si qua fata sinant.* — *vagantem*] ex Campania usque ad Mutinam, inde rursus in Italiam inferiorem, donec in peninsula Rhegiorum a M. Crasso caesus est.

21. *argutae*] «canorae psaltriae.»

22. *Murreum*] «per se aeque bene olentem ac si myrrhino unguento esset delibutus.»

23. *Si per*] «Si molestus illi ianitor, qui saepe, dum alii amatores apud eam sunt vel cum delicias ipsa facit, ut cupidinem meam excitet, me excludit, nunc quoque te non admittet, noli id nimium curare, sed ad me illico redi; nam et sine Neaera, ubi mecum esse recusarit, festum ac laetum diem celebrabo: capillus enim *praecanus* (Epp. 1, 7, 26.), aetas iam provectior (quadragenaria) mitigat animi affectiones nimis turbidas.»

27. *Non ego hoc ferrem*] «si eiusmodi ἐναίρα mecum potare aspernata esset *consule* L. Munatio *Planco* cum M. Aemilio Lepido a. u. c. 712., cum XXII. annos natus eram, non ferrem, sed eius fores expugnarem.»

# ODE XV.

## IN CHLORIN.

Uxor pauperis Ibyci,
Tandem nequitiae fige modum tuae
Famosisque laboribus:
Maturo propior desine funeri

Inter ludere virgines
Et stellis nebulam spargere candidis.
Non si quid Pholoën satis
Et te, Chlori, decet: filia rectius

Expugnat iuvenum domos,
Pulso Thylas uti concita tympano.

XV. Moecham vetulam etiam a paupertate iocose traducit. (a. u. c. 735?)

2 — 4. *nequitiae*] «effusae libidini.» *Figere modum* pro «constituere, ponere» dixit etiam Cic. Parad. 3, 2. — *laboribus*] «meretriciis artibus tibi ipsi paullatim senescenti molestis et ab omnibus iam mala fama notatis.» — *maturo*] «iamiam tibi instanti.»

5 — 7. *Pholoën*] «Non si quid filiam tuam decet, idem propterea in te quoque placere potest.»

9. *Expugnat*] Proprie intelligo de meretricum petulantium comissationibus ioci causa ad adolescentium fores ita ductis, ut alias hi solebant amicarum ianuas effringere.

10. *Thyias*] Hom. Hymn. Cer. 386: Ἦΐξ' ἠΰτε μαινὰς ὄρος κατὰ δάσκιον ὕλης.

13. *Te. lanae*] «Te iam unice lanificium decet.» Ad Luceriam, Apuliae oppidum, optimae lanae tondebantur. Plin. 8, 48.

16. *poti - cadi*] usque ad faecem propter aviditatem. Archiloch. Fr. 5: ἄγρει δ' οἶνον ἐρυθρὸν ἀπὸ τρυγός.

XVI. Cum mirarentur fortasse nonnulli, cur Horatius ad consequendas opes non melius uteretur

Illam cogit amor Nothi
Lascivae similem ludere capreae:

Te lanae prope nobilem
Tonsae Luceriam, non citharae, decent
Nec flos purpureus rosae
Nec poti vetulam faece tenus cadi.

## ODE XVI.

### AD MAECENATEM.

Inclusam Danaën turris aënea
Robustaeque fores et vigilum canum
Tristes excubiae munierant satis
Nocturnis ab adulteris,

Si non Acrisium virginis abditae
Custodem pavidum Iuppiter et Venus

favore, quo gaudebat apud Augustum et Maecenatem, his ita respondet, ut sua se sorte prorsus contentum esse demonstret, adeoque a maioribus divitiis tamquam onere animum suum abhorrere; quod si tamen unquam contingat, ut plura velit, se in Maecenatis nota liberalitate acquieturum esse.

1. *Inclusam*] Sententiarum nexus: «Summa quidem divitiarum vis est: at eaedem et calamitates afferunt et curas; quocirca paucis contentus ego cum Stoicis nihil cupientibus facio.» — *Danaën*] Fundus fabulae Iliad. ξ. 319. Tum confer Simonidis notum λείψανον, Pseudeuripidis Danaës Prologum.

3. *Tristes*] severae. Ovid. A. A. 3, 601: *tristis custodia servi.* — *munierant*] ex opinione scilicet Acrisii. — *adulteris*] etiam de iis dicitur, qui virginum castitati insidiantur.

6—8. *pavidum*] oraculi metu. Apollod. 2, 4: χρησηριαζομένῳ ὁ θεὸς ἔφη γενέσθαι παῖδα ἐκ τῆς θυγατρὸς, ὃς αὐτὸν ἀποκτενεῖ. — *fore enim*] «probe enim sciebant dicebantque inter se facilem fore aditum ad virginem Iovi in aurum mutato.» — *in pretium*]

Risissent: fore enim tutum iter et patens
Converso in pretium deo.

Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo: concidit auguris
Argivi domus ob lucrum

Demersa exitio, diffidit urbium
Portas vir Macedo et subruit aemulos
Reges muneribus; munera navium
Saevos illaqueant duces.

Od. XVI. v. 13. *excidio* Codd. aliq.

« in aurum, quo corrumperentur custodes.»

10. *amat*] « φιλεῖ, solet.» Appul. Met. 9. p. 627. O.: *auro solent adamantinae etiam perfringi fores.*

11. *auguris Argivi*] Amphiarai, qui inductus ab Eriphyla, quae a Polynice aureo monili corrumpi se passa erat, cum Adrasto expeditionem adversus Thebas suscepit, ubi terrae hiatu absumptus est; Eriphyla autem in patris ultionem ab Alcmaeone necata. Fundus fabulae Odyss. λ, 325. — *domus*] non « aedes», sed « genus, familia.»

13. 14. *Demersa exitio*] Alii *excidio;* sed tum potius dicendum fuisset *eversa excidio.* — *diffidit*] velut fulmine; « perfregit.» — *urbium*] Olynthi, Potidaeae, Amphipolis, Pydnae cet. Plutarch. in L. Paullo Aemilio p. 261. A: ἐρρέθη, ὅτι τὰς πόλεις αἱρεῖ τῶν Ἑλλήνων οὐ Φίλιππος, ἀλλὰ τὸ Φιλίππου χρυσίον. — *subruit*] « subvertit *reges aemulos*, Pausaniam, Argaeum II., ut et Arrhybam Molossorum, Chersoblepten Thracum regem, corruptis exercituum ducibus.» Imago in v. *subruit* a cuniculis in urbes obsessas actis repetita est.

15. *navium duces*] Menas Cn. Pompeii libertus, dux classis Sex. Pompeii, hoc deserto a. u. c. 716. ad Octavianum desciverat, mox eo relicto ad Pompeii rursus partes transierat indeque iterum cum Octaviano se coniunxerat. Poterat autem hunc hominem Horatius eo facilius notare, cum ab ipso Octaviano proditor, ut fit, contemneretur. Dio 48, 45. et 49, 1.

16. *illaqueant*] « alliciunt et corrumpunt.» Longe frequentius est *irretire.*

18. *Iure perhorrui*] « Divitiis

Crescentem sequitur cura pecuniam
Maiorumque fames. Iure perhorrui
Late conspicuum tollere verticem,
Maecenas, equitum decus.

Quanto quisque sibi plura negaverit,
Ab dis plura feret; nil cupientium
Nudus castra peto et transfuga divitum
Partes linquere gestio,

Contemptae dominus splendidior rei:
Quam si quidquid arat impiger Apulus
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.

eminere inter ceteros ac propterea caput attollere, superbire merito semper aspernatus sum.»

20. *equitum decus*] Non sine causa in tali sententiarum serie hac appellatione usus est, qua quemvis equitem Romanum illustrem salutare poterat, significans Maecenatem huius ordinis fine semper contentum fuisse.

21. *Quanto*] «Quanto paucioribus vitae commodis homo contentus est, eo pluribus gaudiis fruitur, cum praesertim liber sit ab omni taedio ac fastidio, quae quidem gaudia tam pura tamque grata merito pro deorum donis habentur.» Stoicis hic sententiis utitur.

23. *Nudus*] «omnibus ultro renuntians, quibus opus non est.» Iam fingit quasi bina castra; hinc partes nihil cupientium, illinc partes divitum, divitiis unice inhiantium, quibuscum nihil sibi commune esse affirmat.

25. *Contemptae*] «ab aliis ditioribus parvi factae et despectae;» nam qui multas villas cum magnificis aedibus, vivariis, piscinis Tusculi, in Campania et in Apulia possidebant, pro homine paupere habebant Horatium, unici Sabini dominum. — *splendidior*] «sed sic tamen, cum contentus sim bonis paratu facilibus et paucis, me locupletiorem ac beatiorem esse sentio eo, qui magnis opibus praeditus maiores captare nunquam desinit.»

26. 27. *arat*] Ultima syllaba producitur in caesura, id quod ignorantes nonnulli scripserunt *non piger*, quod sententiam infirmat. Apuli autem, quorum ut popularium frequenter recordatur, rustici laboriosi ac strenui. — *Occultare*] «reconditum habere», ut

Purae rivus aquae silvaque iugerum
Paucorum et segetis certa fides meae
Fulgentem imperio fertilis Africae
Fallit sorte beatior.

Quamquam nec Calabrae mella ferunt apes
Nec Laestrygonia Bacchus in amphora
Languescit mihi nec pinguia Gallicis
Crescunt vellera pascuis,

v. 32. *Fallit. Sorte beatior, Quamquam* Wakefield. Döring.

solebant latifundiorum possessores retento in horreis frumento annonam premere.

29. 30. *rivus*] Digentia in Horatii Sabino. Epp. 1, 18, 12. — *certa fides*] «ideo, quod eum proventum quotannis mihi effert, quem exspectare par erat.» Opponitur *fundus mendax* Od. 3, 1, 30.

31. *Fulgentem*] «Homo locuples omnino intelligere nequit me tenui mea condicione satis superque contentum longe feliciorem esse, quam ipse est, cum multis semper curis districtus sit.» Iam is *fulget imperio fertilis Africae*, id est, «latissimas in Africa possessiones habet.» Meum autem Sabinum *fallit*, latet eum *sorte*, possessione, *beatius* ὄν; id est: «nescit ille praedium meum maiora mihi gaudia praebere, quam ipse haurit ex multis et amplissimis suis possessionibus.» *Fallit*, noto significatu, pro «fugit, latet eum; ignorat.» Cum v. *sors* significet, quod nos dicimus *das Kapital, die Besitzung*, h. l. idem est, ac si dixisset *pretio*. Ablativus autem est instrumentalis: «beatior per pretium suum, quod ad pretium attinet»; neutiquam vero comparativus: «quam sors est fulgentis imperio Africae.»

33. 34. *Calabrae*] Calabrum mel, ut Hymettium atque Hyblaeum, melioribus adnumerabatur. — *Laestrygonia*] Scilicet Formiani oppidum suum Homericam illam *Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην* (Odyss. κ, 82.) esse ferebant.

35. 36, *Languescit*] «mitescit paullatim.» — *pinguia*] spissa et copiosa. Oves *ἐϋτρεφέες, δασύμαλλοι* (Odyss. ι, 425.) erant *Gallicae* (in Gallia Cisalpina) praecipue Altinates. Colum. 7, 2, 4.

38. *Nec si*] Haec quam maxime probant per totum carmen ex animi sententia locutum esse Horatium, nequaquam vero, ut nonnullis visum est, exercitationis causa bellas Stoicorum sententiolas in unum contulisse. — Sane nihil facilius ei fuisset quam obti-

**Importuna tamen pauperies abest,**
**Nec, si plura velim, tu dare deneges.**
**Contracto melius parva cupidine**
**Vectigalia porrigam,**

**Quam si Mygdoniis regnum Alyattei**
**Campis continuem. Multa petentibus**
**Desunt multa: bene est, cui deus obtulit**
**Parca, quod satis est, manu.**

nere vel a Maecenate vel ab ipso Augusto fructuosius aliquod et amoenius praedium praeter Sabinum. Cfr. Epod. 1, 31: *Satis superque me benignitas tua Ditavit.*

39. 40. *Contracto - - cupidine*] *Cupido* pro cupiditate semper gen. mascul. apud Horatium. «certis limitibus circumscripto et velut coartato.» — *vectigalia*] Voc. a reditibus publicis paullatim tralatum ad privatos. Cic. Parad. 6, 3: *Non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia.* Sat. 2, 2, 100: *ego vectigalia magna Divitiasque habeo.* — *porrigam*] «extendam, augebo, extento ipso agello Sabino vel aliis emptis.»

41—44. *si Mygdoniis*] «Si Lydiam campis Phrygiis continuem.» *Continuare agros*, significat «ita coëmere, ut nullus alienus fundus interiectus sit.» — *Alyattei*] ut *Achillei*, *Ulixei*, ab *Alyatteus* pro *Alyattes*. «Cupiditatibus domitis recte ac sapienter effecero, ut vere dives beatusque fiam; id quod minime contingit iis, qui summis opibus praediti, adeo ut amplissimos fundos per totam Asiam coëmant, maiorum tamen semper cupidi manent.» — *bene est*] Supple «ei»; «beatus ille est, propter id ipsum, quod nimiis bonis, quibuscum semper curae et sollicitudines coniunctae sunt, eum deus non cumulat.»

# ODE XVII.

## AD AELIUM LAMIAM.

Aeli vetusto nobilis ab Lamo, —
Quando et priores hinc Lamias ferunt
Denominatos et nepotum
Per memores genus omne fastos

Od. XVII. vv. 2—5. inde a Sanadonio multis suspecti fuerunt.

XVII. Carmen scriptum videtur ad L. Aelium Lamiam, (v. Od. 1, 26), non ad eius fratrem Quintum, cuius exstat nummus cum inscript.: *Q. AELIVS. L. F. LAMIA. IIIVIR. A. A. A. F. F.* — (a. u. c. 731?) Lamiam autem *suum* (Od. 1, 26, 8.) hortatur, ut *cras* eo laetius diem festum celebret, quanto magis ex *διοσημείοις* procellosus sit futurus. Ex solito autem Romanorum nobilium more stirpem suam Graeculi alicuius genealogi ope ad hunc illumve heroëm referendi, sic hic certe Lamia (utrum per fastum quendam, an ioci causa nos ignoramus), auctorem suae familiae praedicabat Lamum, Neptuni filium, Laestrygonum regem (Odyss. κ, 81.). Huic igitur opinioni gratificatus tam illustrem «prosapiam» octo versibus includit, degressione utens inde a v. 2. usque ad v. 9: *Late tyrannus*, qui vv. in *χαρενδέσει* sunt.

1—3. *nobilis*] Iuven. 6, 385: *Quaedam de numero Lamiarum ac nominis alti;* item 4, 454. — *Quando*] «quoniam, siquidem.» SCHOL. — *hinc*] de persona, ut Od. 1, 12, 17: *Unde nil maius generatur ipso.* — *priores*] Eos intelligit, qui vixisse credebantur inter primum Aelium Lamiam in huius familiae commentariis vel laudationibus funebribus memoratum et Lamum regem, Troianorum temporum aequalem: *prioribus*, («*der Vorwelt Lamiern*»: Voss.) autem opponuntur *nepotes*, ii, quorum de nominibus historica fide constabat. — *ferunt*] «ut vetusta et constans fama est.» Nihil inest incerti ac dubii.

4. *memores fastos*] «qui maiorum res gestas atque honores ad posteritatem propagant.» H. l. intelligo potissimum de stemmatis (genealogiis) huiusce fami-

**Auctore ab illo ducit originem**
**Qui Formiarum moenia dicitur**
**Princeps et innantem Maricae**
**Litoribus tenuisse Lirim**

**Late tyrannus: — cras foliis nemus**
**Multis et alga litus inutili**
**Demissa tempestas ab Euro**
**Sternet, aquae nisi fallit augur**

**Annosa cornix. Dum potis, aridum**
**Compone lignum: cras Genium mero**

v. 5. *ducit*] D. Heinsius. *ducis* Libri.

liae. Nam in Fastis consularibus unus comparet hic ipse Lamia, consul a. u. c. 756; nec alius praeter Lucium, eius patrem, praetorem, memoratur a Pighio.

5. 6. *ducit*] Plin. 3, 5: *Oppidum* (Latii) *Formiae Hormiae dictum, ut existimavere, Laestrygonum sedes.*

7. *Maricae*] dea litoris Minturnensium, iuxta Lirim (*Garigliano*) fluvium. Serv. ad Aen. 8, 47. Circen ita appellatam fuisse post mortem, ut Romulum Quirinum, Ledam Nemesin, refert Lactant. Institt. 1, 21. Eius lucus erat in ipsa Minturnensi civitate. «Huius igitur Nymphae litoribus innatat, ea placide perfluit Liris, donec in mare exeat.»

9. *Late tyrannus*] dominator, *εὐρυκρείων*. (Sic Virg. Aen. 1, 21: *populum late regem*. Hesiod. Theog. 486: *Οὐρανίδῃ μέγ' ἄνακτι.*) Haec potissimum *ὑπερβολὴ* iocosi nescio quid habet. — *nemus* -- *Sternet*] «nemoris solum consternet.»

10. 11. *alga inutili*] «Cuius nullus est usus ne ad comburendum quidem aut stramen inde faciendum.» Hinc proverbium *vilior alga*. Sat. 2, 5, 8. et Virg. Ecl. 7, 42.

12. *augur*] «praesaga, divina.» Porphyr.

13. 14. *Annosa*] Novem enim aetates vivere credebantur. Hesiod. Fr. 106. Goettl.: *Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη Ἀνδρῶν ἡβώντων. — dum potis*] *ἕως δυνατόν ἐστιν.* «Dum licet per serenitatem. Schol. «Antequam per imbres, qui instant, madida fiant ligna.» — *Compone*] «exstrue super focum. Eo magis, quo cras immineat turbida tempestas, Genio indulgebis.»

Curabis et porco bimestri 15
Cum famulis operum solutis.

---

# ODE XVIII.

## AD FAUNUM.

Faune Nymphārum fugientum amator,
Per meos fines et aprica rura
Lenis incedas abeasque parvis
Aequus alumnis,

Si tener pleno cadit haedus anno, 5
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina craterae, vetus ara multo
Fumat odore.

15. 16. *Curabis*] pro imperativo «venerare, cole.» — *cum famulis*] «ab opere feriatis.» SCHOL. Cic. de Legg. 2. §. 29: *Feriarum festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium et iurgiorum: in servis, operum et laborum.*

XVIII. Hymnus in Faunum, cuius dies festus Nonis Decembribus celebrabatur (v. 10.) Carmen tamen compositum fingitur non Faunalibus ipsis, sed per aestatem potius, id quod colligitur ex v. 3: *parvis alumnis.* (a. u. c. 732?)

3. *Lenis*] πρᾷος, ἵλεως, propitius. Hi enim dii agrestes interdum iracundi sunt et puniunt, qui iis displicuere. Theocr. 1, 16: τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες · - - ἐντὶ δὲ πικρὸς Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὴ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. Manifesto non de vernis, sed de vitulis, haedis, agnis loquitur poëta, ut Od. 3, 23, 7.

5—8. *Si*] Preces semper concipiebantur cum huiusmodi condicione. Sat. 2, 6, 6. — *pleno anno*] ad finem vergente, prope exacto, Nonis Decembribus. «Si large repletur vino *cratera* (forma etiam a Cicerone Verr. Acc. 4. §. 131., sed in primis a poëtis usurpata pro *crater*), quae est *Veneris sodalis*, perpetua comes, sine qua Venus friget.» — *vetus ara*] «iam ab illis, qui diu ante me Sabinum meum possederunt, exstructa ad Faunalia celebranda.

9. *herboso campo*] Sub caelo Italico virent herbae, cum apud nos iam diu prata deformia aut nive cooperta sunt.

Ludit herboso pecus omne campo,
Cum tibi Nonae redeunt Decembres;
Festus in pratis vacat otioso
Cum bove pagus;

Inter audaces lupus errat agnos;
Spargit agrestes tibi silva frondes;
Gaudet invisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

---

# ODE XIX.

## AD TELEPHUM.

Quantum distet ab Inacho
Codrus pro patria non timidus mori

12. *pagus*.] «omnes Mandelae (hodie *Bardela)* pagani tibi operantur feriasque agunt.

14. *Spargit*] «mutantibus in tuum honorem cacuminibus.» Haec quoque imago poëtica φυλοβολίας, ut in Daphnidis honorem Virg. Ecl. 5, 40: *Spargite humum foliis.*

15. 16. *invisam*] propter labores, quos per totum annum in ea colenda exanclavit; *pellere*, *pulsare terram* pro *saltare*, ut Od. 1, 4, 3. — *fossor*] agricola, in primis vinitor, ut Virg. Ge. 2, 264: *labefacta movens robustus iugera fossor*, ubi de vitium cultura praecepta dat. — *Ter pede*] «Quod est *tripudiare*. Ter ad rhythmum anapaesticum vel daetylicum rettulit.» SCHOL.

XIX. L. Licinius Varro Murena, frater Terentiae Maecenatis, Horatii amicus, cum in Augurum collegium cooptatus esset, eius honoris gratia nocturnam compotationem instituit. Totam eius picturam quo vividiorem reddat, fingit primum se expostulare cum Telepho, qui philologis quaestiunculis occupatus taceat de convivio rite parando. Quod Telephum «Graecum poëtam, sodalem Horatii» vocat Acron, id unice ex carminis exordio desumptum est; ignoramus enim, utrumne sit persona ficta, an ioci causa amico, cui una cum Murena hanc odem miserit, mythicum illud nomen imposuerit, quo utitur etiam Od. 1, 13, 1. et Od. 4, 11, 24, a. u. c. 730.)

1. *Quantum distet*] «Quantum

Narras et genus Aeaci,
Et pugnata sacro bella sub Ilio:

Quo Chium pretio cadum
Mercemur, quis aquam temperet ignibus,
Quo praebente domum et quota
Pellignis caream frigoribus, taces.

Da lunae propere novae,
Da noctis mediae, da, puer, auguris
Murenae: tribus aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis.

Od. XIX. v. 12. *Miscentor* Rutgers. Bentl.

temporis sit ab Inacho, primo Argivorum rege usque ad Codrum, Atheniensium ultimum.» Notant interesse annos circiter DCCC.

3. 4. *genus Aeaci*] «explicas Aeacidarum stemma.» (Peleus, Achilles, Neoptolemus; Telamon, Aiax cum Teucro.)

5—7. *Quo Chium*] «Ad summam: tu antiquitati studes; praesentium oblivisceris et hoc, quod nunc unice agendum est, taces: quanti emamus vini Chii cadum; quis convivator balneum paraturus adeoque domum suam praebiturus sit nobis: quota hora me eo conferam, subtrahens me tandem huic frigori, quale solet esse in Pelignis.» De symbola loquitur, in qua unus praebet balneum, triclinium, lectos, vasa; ceteri vinum et cibos emunt ac per servos afferendos curant.

8. *Pelignis*] Minime hoc significat, se apud Pelignos, Corfinii vel Sulmone, versari indeque Romam venturum, sed «domi se frigus pati vere Pelignum, quo in convivio se liberaturus sit.»

9. Iam *φαντασίας* ope Telephum una secum in ipsum convivium abripit. «Da, pincerna, inquit festinans poëta, da poculum, quod ebibatur in honorem novae lunae.»

10. 11. *Da noctis*] «da alterum poculum in honorem mediae noctis, in quam protrahetur compotatio,» (ut Od. 3, 28, 16: *Dicetur merita nox quoque naenia.*) «tertium in honorem novi auguris Murenae.»

11. 12. *tribus aut novem*] «Mero et aqua in cratere mixtis implentur pocula tres aut novem cyathos capientia, et quidem integra, plena; sic enim explicandum v. *commoda*. V. Forcellinum. Maiora novem cyathorum sive XXXVI. ligularum *(Löffel)* pocula poscet, qui largius

Qui Musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates; tres prohibet supra
Rixarum metuens tangere Gratia

Nudis iuncta sororibus.
Insanire iuvat: cur Berecyntiae
Cessant flamina tibiae?
Cur pendet tacita fistula cum lyra?

Parcentes ego dexteras
Odi: sparge rosas; audiat invidus
Dementem strepitum Lycus
Et vicina seni non habilis Lyco.

se invitare volet, minora trium, cui modum tenere propositum est.»

13. 14. *Ternos ter cyathos*] Novem cyathos sibi poscit poëta ἐνθουσιάζων. Supra novem autem si addideris tres, duodecim epotis ebrius factus facile incides in rixas, a quibus abhorrent Gratiae, id est, quae rixae sunt contrariae verae laetitiae.» Exponimus igitur apposite ad ipsam vv. collocationem: *tres supra novem*, non ut recentiores: *supra tres*. Duodecim autem cyathi sextarium complent. — *attonitus*] «ἐμβροντητὸς, furore percitus, *begeistert*.» Similiter Anacreon de se (Anecd. Cramer I. p. 288:) αἱ δέ μεν φρένες ἐκκεκωφέαται.

16. *Gratia*] «Tres Gratiae iunctae.» Od. 4, 7, 5: *Gratia cum Nymphis geminisque sororibus*.

18. *cur Berecyntiae*] «Cur cessant tibicines Φρυγιστὶ canere?» Berecyntus, Phrygiae mons, ubi praecipuus cultus Matris deum magnae Idaeae. Tib. 2, 1, 86: *Phrygio tibia curva sono*, et quidem graviore.

20. «Cur *pendet* in parietis clavo fistula (proprie pastorum, h. l. ut videtur, unius calami acutioris soni:) cum lyra non tacta?»

21. 22. *Parcentes*] «Servos res ad convivium necessarias, vinum, flores, unguenta, parcius administrantes detestor.»

23. *Lycus*] Ut fit in compotationibus, ut sensim delabamur ad deridendos vel probris vexandos homines nobis invisos, sic h. l. illudit personae fictae, Lyco vicino, seni, propter avaritiam invido convivis in laetitiam effusis atque immanem strepitum excitantibus. Deinde revertitur ad Telephum, eius suosque amores praedicans.

24. *vicina*] «nobis hac in domo potantibus.» — *non habilis*] «ei

Spissa te nitidum coma,
Puro te similem, Telephe, Vespero,
Tempestiva petit Rhode:
Me lentus Glycerae torret amor meae.

# ODE XX.

## AD PYRRHUM.

Non vides, quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae?
Dura post paullo fugies inaudax
Proelia raptor,

minus ideo conveniens, quod inversa ratione ille uxori propter senium minus aptus est;» unde Acron et Cod. Bland. *habili*.

26. *Vespero*] «per purum caelum, per sudum micanti;» ut Od. 3, 9, 21: *sidere pulchrior*.

27. *Tempestiva*] Od. 1, 23, 12: *Tempestiva — viro*, nubilis. — *lentus*] «longus, qui lente absumit.»

XX. Acre certamen de Nearcho adolescentulo inter Pyrrhum et puellam ζηλότυπον, illum retinere cupientem. (a. u. c. 727?)

1. *moveas*] «tangas, ut amoveas, asportes ex lustro leaenae.»

3. *post paullo*] Frequenter sic etiam Sallustius, Caesar, Livius pro *paullo post*. — *inaudax*] ἄτολμος. Hoc ἄπαξ λεγόμενον uno gradu distat a «timido, imbelli, ignavo.»

5. *per obstantes catervas*] Singulari artificio retinet leaenae imaginem catulorum raptorem ultum euntis simulque puellae ob iniuriam, quam ei infert Pyrrhus, grate iracundae admiscet speciem. Hae *catervae* autem sunt veluti venatorum Pyrrhum comitantium.

6. *Nearchum, Grande certamen* iungendum per appositionem: «repetet Nearchum, qui est causa certaminis grandis, de quo magnum inter vos certamen oritur.»

8. *Maior*] Adiectivum pro adverbio prosae orat. «magis, potius.» *Praeda* autem Nearchus ipse.

Cum per obstantes iuvenum catervas
Ibit insignem repetens Nearchum,
Grande certamen, tibi praeda cedat
Maior, an illi.

Interim, dum tu celeres sagittas
Promis, haec dentes acuit timendos,
Arbiter pugnae posuisse nudo
Sub pede palmam

Fertur et leni recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis,
Qualis aut Nireus fuit aut aquosa
Raptus ab Ida.

10. *dentes acuit*] Quod proprie valet de apro ad leonem transtulit, ut Scriptor ad Herenn. 4, 39: *sicut e cavea leo missus, - - acuens dentes.*

11. *Arbiter*] βραβευτής, iudex, quia penes ipsum est, cuius praeda esse velit, utrum Pyrrho palmam porrigat, an puellae amore percussae. — *fertur posuisse*] ἀορίστως, «positam habere.» Signum hoc fastus ac superbiae, quo in suo arbitrio positum esse praemium ostendit. — *palmam*] victoriae signum. Sic ut interpretemur, postulant vv. *Arbiter pugnae*. Alii explicant *palmam* manus.

14. *odoratis*] rosa et unguentis. «Quietus dum adstat, aurae comas suas per humeros effusas ventilare permittit.»

15. 16. *Nireus*] Iliad. β, 673: *Νιρεύς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθεν Τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα.* — *aquosa*] Homerus πιδήεσσαν vocat Iliad. κ, 183. et aliquoties πολυπίδακα maxime propter Simoentem et Scamandrum. — *Raptus*] Ganymedes.

# ODE XXI.

## AD AMPHORAM.

O nata mecum consule Manlio,
Seu tu querelas sive geris iocos
Seu rixam et insanos amores
Seu facilem, pia testa, somnum;

Quocunque lectum nomine Massicum
Servas, moveri digna bono die,

XXI. Dum amphoram promit, quam cum Messala in convivio exsiccet, in magnificas vini laudes effunditur. (a. u. c. 722?) — M. Valerius Messala Corvinus natus a. u. c. 685. in bello civili Brutum et Cassium secutus est. Post proelium Philippense reliquiae partium imperium ei detulerunt, quod renuit; primisque post annis ab Antonio stetit. Sed post Brundisinam pacem Octaviani partes amplexus est. Consul factus est a. u. c. 723. Aquitanis devictis et Oriente composito triumphum Aquitanicum egit a. u. c. 727. Postea quietus et in optimis studiis versatus domi consenuit; Augusto si non gratissimus (quippe liberi spiritus retinens:) at honoratissimus. Mortuus est a. u. c. 757. Veterum oratorum quasi agmen cogit.

1. *O nata*] «impleta». Refertur non ad amphoram, sed ad vinum in ea conditum. — *Manlio*] L. Manlio Torquato, L. Aurelio Cotta coss. a. u. c. 689. Nomina consulum, quibus vina condita erant, amphoris adscribebantur vel tessera separata vel in amphoris ipsis expressa.

2. 3. *geris*] «Cuiuscunque horum affectuum secundum diversos potorum animos veluti semen ac principium in te contines.» — *insanos amores*] «cum convivae prope ebrii gloriantur de amoribus suis vel cum puellis compotationi adhibitis liberius colloquuntur.»

4. *pia*] est, quatenus gratum somnum adducit; adeoque hoc v. ad proxima unice refertur.

5. *Quocunque-nomine*] «Quodcunque tandem officium fato quodam tibi tributum est, ut excitares aliquando unum alterumve illorum affectuum, quos significavi, vel alios etiam»; (progre-

Descende Corvino iubente
Promere languidiora vina.

Non ille, quamquam Socraticis madet
Sermonibus, te negleget horridus:
Narratur et prisci Catonis
Saepe mero caluisse virtus.

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro; tu sapientium
Curas et arcanum iocoso
Consilium retegis Lyaeo;

Od. XXI. v. 10. *neglegit* B. e Codd.

diente sententia iam *querelas* et *rixas* missas facit, gratiora dumtaxat mente complexus:) «quemcunque ad effectum praestandum destinatum est Massicum (Campanum Od. 1, 1, 19.), quod contines.»

7. 8. *Descende-Promere*] »descende ex horrei pariete, (cui tamdiu acclinata fuisti), ut, ex Messalae *συμποσιάρχου* iussu, effundas vina *languidiora*, bono significatu, mitiora.

9. 10. *Socraticis - Sermonibus*] «quales reperiuntur maxime apud Platonem et Xenophontem in Symposiis, adeo penitus imbutus est, ut eorum ipsorum formam ac totum genus suis sermonibus referat, cum inter amicos versatur.» — *negleget*] «tum, cum apud me erit.» Futurum, ut vv. 21 et 23. — *horridus*] «nimis tristis ac morosus.»

11. *prisci Catonis*] Censorius h. l. unice aptus: nam is propter nescio quam festivam morositatem atque multa et lepida *ἀποφθέγματα* personam gerebat apud Romanos posteriores mediam inter severitatem et iocum. *Virtus* autem *Catonis*, ut Sat. 1, 7, 2: *Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli.*

13. *tormentum*] «ut vera tormenta reos confiteri cogunt delicta, sic vinum, quasi *lene*, gratum, *tormentum* excitat *ingenium* plerumque (persaepe) *durum* efficitque, ut longe facilius carmina festivosque sermones fundat.» «*Ingenio duro* esse dicitur seu poëta sive orator, qui arida et difficili vena est, qui non *εὑρετικὸς*, non pollens inventione et copia.» BENTL.

14 — 16. *sapientium*] «Vinum efficit, ut etiam ii, qui alioqui sapientes se gerunt et nescio quae secreta consilia semper agitare

**Tu spem reducis mentibus anxiis,**
**Viresque et addis cornua pauperi**
**Post te neque iratos trementi**
**Regum apices neque militum arma.** 20

**Te Liber et, si laeta aderit, Venus**
**Segnesque nodum solvere Gratiae**
**Vivaeque producent lucernae,**
**Dum rediens fugat astra Phoebus.**

putantur, longe apertiores fiant atque ad iocandum ipsi quoque progressi multa patefaciant, quae extra convivium vix cum quoquam communicarent.» — *iocoso* - *Lyaeo*] Dimidiata hac προσωποποιΐα simul significat, Bacchum ipsum sibi ludum quodammodo parare ex retectis istis arcanis consiliis.

18 — 20. *cornua*] quae Fluviis et Libero patri ipsi tribuuntur, virium atque confidentiae σύμβολον. Voss: *des Muthes Hörner*. Apposite Ovid. Am. 3, 11, 6: *Venerunt capiti cornua sera meo*. Ceterum iunge *Viresque et addis cornua;* metaphoram enim τῷ κυρίῳ iunxit. Languet volgaris ratio: «spem viresque reddis anxiis.» — *apices*] Od. 1, 34, 44. de regis Parthorum insigni, tiara cum acumine. In prosa orat. «diademata», sine figura: «maiestatem et potentiam.» Bacchylides Fragm. 26: Γλυκεῖ' ἀνάγκα σευομένα κυλίκων Θάλπησι θυμὸν Κύπριδος· ἐλπίδι δ' αἰθύσσει φρένας Ἀμιμγνυμένας Διονυσίοισι δώροις, Ἀνδράσι δ' ὑψοτάτω πέμπει μερίμνας. Αὐτὸς πόλεων κρήδεμνα λύει, Πᾶσι δ' ἀνθρώποις μοναρχήσειν δοκεῖ. Χρυσῷ δ' ἐλέφαντί τε μαρμαίροισιν οἶκοι, Πυροφόροι δὲ κατ' αἰγλάεντα νᾶες Ἄγονθ' ἁπ' Αἰγύπτου μέγιστον Πλοῦτον· ὡς πίνοντος ὁρμαίνει κέαρ.

21. 22. *si laeta*] atque ideo propitia. — *segnesque nodum solvere*] «nunquam solventes.» Eurip. Hippol. 1147: Χάριτες συζυγίαι.

23. *vivae*] «ardentes», ut alio tropo Od. 3, 8, 14: *vigiles lucernas* dixit. — *te producent*] proprie convivium, «cui tu, amphora, vinum ministras.» Iam vero conviviorum numina, Liber, Venus, Gratiae, hoc cum Messala celebrandum protendent usque ad primam lucem nec unquam exstinguentur lucernae, quae ipsae admodum poëtice numinibus illis hilarem compotationem producentibus sociantur.

# ODE XXII.

## AD DIANAM.

Montium custos nemorumque, Virgo,
Quae laborantes utero puellas
Ter vocata audis adimisque leto,
Diva triformis,

Imminens villae tua pinus esto
Quam per exactos ego laetus annos
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

XXII. Inscriptio tabulae, qua Dianae consecratur pinus, imminens Sabino, arbor poëtae cara, anniversariumque sacrificium votetur. (a. u. c. 726?)

1. 2. *laborantes utero*] parturientes; *puellae* ut Od. 3, 14, 10. de nuptis.

3. *Ter vocata*] Ex sacrorum ritu ter, ut adsis partui eumque leves, advocata. Cfr. Carm. sec. 13. Diana hic eadem cum *Εἰλειθυίᾳ*. Romanis tamen frequentius Iuno Lucina. Catull. 34, 13: *Tu Lucina dolentibus Iuno dicta puerperis, Tu potens Trivia et notho es Dicta lumine Luna.*

4. *Diva triformis*] in caelo Luna, in terra Diana, apud inferos Hecate. Virg. Aen. 4, 511: *Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.*

5. 6. *villae*] meae in Sabinis. — *per exactos annos*] confectos; quotannis. — *laetus*] ut est in formulis Inscriptionum votivarum: V. S. L. *(Votum solvit libens.)*

7. *obliquum*] ex huius animalis natura. Iliad. *μ*, 148: apri duo *δοχμὼ ἀΐσσοντε*. — *meditantis*] Verrem anniculum significat, qui eiusmodi ictus iamiam *meditatur*, destinat.

# ODE XXIII.

## AD PHIDYLEN.

Caelo supinas si tuleris manus
Nascente Luna, rustica Phidyle,
Si ture placaris et horna
Fruge Lares avidaque porca,

Nec pestilentem sentiet Africum
Fecunda vitis nec sterilem seges

XXIII. Fingit virginem rusticam, Sabinam, puto, innocentem ac piam ex intima animi sententia Lares veneraturam fertilitatemque agro a se culto precaturam nihilominus queri, quod exigua dumtaxat dona illis offerre sibi concessum sit. Hanc consolatur affirmans, omnia in puro sacrificantis animo sita esse, non in victimarum pretio ac numero. De Horatii villica quo minus explicemus, vetat in primis, quod arbitrio suo, non domini iussu rem divinam factura est. Cato R. R. 143: *Villica rem divinam ne faciat neve mandet, qui pro ea faciat, iniussu domini aut dominae. Scito dominum pro tota familia rem divinam facere.* (a. u. c. 732?)

1. *supinas*] Solitus *adorantium* gestus iam apud Homerum. Iliad. η, 177: *Λαοὶ δ' ἠρήσαντο, θεοῖσι δὲ χεῖρας ἀνέσχον.*

2. *Nascente Luna*] «Solent enim rusticae mulieres in initio primae Lunae ad caelum effundere preces.» Schol. — *Phidyle*] Hanc formam a *Φειδύλος, η, (φείδεσθαι)*, parem huic *Ἠδύλος, η*, defendit contra Bentleii suspic. *Phidyli* Bastius Ep. crit. p. 245.

3. *ture*] Cato R. R. 134: *Priusquam messim facias, porcam praecidaneam hoc modo fieri oportet: Cereri porca praecidanea, porco femina, priusquam fruges condantur, - - ture, vino Iano, Iovi, Iunoni praefato.* Tib. 1, 3, 34: *menstrua tura Lari.* — *horna fruge*] spicis hornotinis, huius anni. Forma *hornus* poëtarum est.

5. 6. *Africum*] *Scirocco.* Od. 1, 3, 12. — *Fecunda*] Raro reperitur de arboribus pro «fertilis, ferax.» Cic. Orat. 15: *Segetes fecundae atque uberes.* — *sterilem*] «quae efficit sterilitatem.» Virg.

**Robiginem aut dulces alumni**
**Pomifero grave tempus anno.**

**Nam quae nivali pascitur Algido**
**Devota quercus inter et ilices**
**Aut crescit Albanis in herbis**
**Victima pontificum secures**

**Cervice tinget: te nihil attinet**
**Tentare multa caede bidentium**
**Parvos coronantem marino**
**Rore deos fragilique myrto.**

**Immunis aram si tetigit manus,**

Ge. 1, 150: *ut mala culmos Esset robigo.*

7. *Robiginem*] *Robigo (Brand, Mehlthau)* frumenti, *rubigo* ferri. Est etiam deus Robigus vel dea Robigo.

8. *Pomifero - - anno*] auctumno. Sic Epod. 2, 29: *annus hibernus Iovis.* — *grave tempus*] Etiam in prosa orat. pro pestilenti. Liv. 3, 6: *grave tempus et forte annus pestilens.*

9. 10. *Algido*] mons Latii: *gelidum* vocat Od. 1, 21, 6. Od. 4. 4, 58. In eo ac prope Albam Longam erant pascua victimarum, quae collegii pontificum propria erant. — *Devota*] «iamiam aris destinata.»

13. 14. *nihil attinet*] «minime opus est, *οὐδὲν προσήκει.*» — *tentare*] ut alibi *fatigare, lacessere deos* (Od. 2, 18, 12.) — *bidentium*] in sermone pontificum et apud poëtas «oves bimae.»

15. 16. *Parvos - - deos*] Cato R. R. 143: *Villica Kalendis, Nonis, Idibus, festus dies cum erit, coronam in focum indat; per eosdemque dies Lari familiari pro copia supplicet.* Hic eadem facit virgo rustica ingenua. — *fragili*] non «flexilis», sed «cuius ramuli facile franguntur», *spröd.*

17. *Immunis* est liber a *munere*, tributo cet.; qui nihil praestare debet. H. l. qui sacrificat, non ideo quod noxam aliquam expiare debeat deorumque iram placare, sed quia grato pioque animo deorum maiestatem veneratur, vel, ut h. l. significari videtur, immeritas calamitates a se suisque deprecari conatur. Ad idem ergo redit ac si dixisset *sceleris pura, ἁγνή.* — *si tetigit*] tus et molam salsam offerens;

Non sumptuosa blandior hostia
Mollivit aversos Penates
Farre pio et saliente mica. 20

# ODE XXIV.

## IN AVAROS.

Intactis opulentior
Thesauris Arabum et divitis Indiae

Od. XXIII. v. 19. *Mollirit* C1d. Feae. Cuningh. *Mollibit* Codd. aliq.

ἀορίστως, perpetui temporis significatione, quam non agnoscentes *mollivit* mutarunt in *mollirit* ac peius etiam in *mollibit*.

18. *Non sumptuosa*] «*Immunis manus mollivit aversos Penates farre pio et mica salis, non blandior* (futura, oblatâ) *sumptuosa hostia* (ablat.)», «nihilo gratior iis futura per sumptuosam hostiam.»

20. *Farre pio*] Est περίῤῥασις molae salsae. — *pio*] ad immolantis sensum spectat. — *saliente*] «dissiliente atque crepitante, cum in ignem coniicitur.» Ovid. Fast. 2, 538: *Et sparsae fruges parcaque mica salis.*

XXIV. Exspectans fore, ut Caesar finitis bellis civilibus in morum emendationem ante omnia incumbat, quam corrupti sint, demonstrat et remediis etiam violentis pristinam simplicitatem restituendam esse censet. (a. u. c. 726.)

1. *Intactis*] »integris, nondum in Romanorum potestatem redactis.»

3. 4. *Caementis*] Cfr. Od. 3, 1, 34. — *mare Apulicum*] oppositum Tyrrheno. «Licet amplissimas et magnificas villas ad maris litus exstruas cet.»

5. seqq. *Si*] «Ubi tamen, ut fert rerum natura, Necessitas aliquando modum ponit inceptis tuis superbis, tuque id sentis et metu dolorum mortisque propinquae torquebere frustraque mortem effugere studebis cet.» — *adamantinos — Clavos*] Semper cogitandum de prima notione v. ἀδάμας, «ferrum indomitum, durissimum.» — *dira*] Sic item Val. Max. 2, 6, 10. et *saeva* vocatur Od. 1, 35, 17., ubi vide etiam de *clavis trabalibus*. Totam imaginem egregie illustrat patera Oddiana apud Vermiglioliium (*Iscriz. Perugine* T. 1. p. 43. Ed. pr.), ubi Atropos, (Etrusce *Athrpa*) severo voltu in eo est, ut malleo clavum infigat parieti supra caput Meleagri iamiam

Caementis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum,

Si figit adamantinos
Summis verticibus dira necessitas
Clavos, non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.

Campestres melius Scythae,
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
Vivunt et rigidi Getae,
Immetata quibus iugera liberas

morti destinati ac summam maestitiam prae se ferentis. Hinc rite colligitur simile aliquod artis opus vel etiam locum poëtae Graeci eandem imaginem praebentem Horatii animo obversatum esse. Illud tamen probabilius; nam vel patera illa horribilis nescio quid habet sublimitatis. — *Summis verticibus* explica de verticibus, fastigiis, *ἀετώμασιν* aedium, non cum aliis de capitibus humanis, quorum mirum *ἀπίδετον* esset *summis* atque tota imago foedissima. Tota autem imago sic informanda: «Dum homo ille locuples assidue moles iacit aedesque exstruit, necopinato supervenit *Εἱμαρμένη*, *Ἀνάγκη*, clavosque suos, quibus nihil resistere potest, in aedium culmine figit, domino veluti acclamans: Hucusque nec ultra: adest tibi terminus fatalis!»

9. 10. *Campestres*] Iam corruptae suorum popularium vitae poëtice opponit innocentissimos Scytharum Getarumque mores. *Campi*, plana illa loca, quae nos vocamus *Steppen; campestres* ergo «semper in campis viventes, *νομάδες*.» — *melius*] Iliad. *ν*, 5. de iisdem populis: *ἀγαυῶν Ἱππημολγῶν, Γλακτοφάγων, Ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνδρώπων*. — *plaustra*] *ἁμαξόβιοι, ἁμάξοικοι*.

11. seqq. *rigidi*] «simplices ac severi», ut Sabini *rigidi* Epp. 2, 1, 25. — *Immetata*] *ἄπαξ λεγόμενον*, «non metata, nulla decempeda dimensa et inter singulos divisa.» — *liberas fruges et Cererem*] «Cereris fruges liberas, non certi alicuius domini, sed totius populi communes.» — *Nec cultura*] Caesar B. G. 4, 1: *Suevi centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula milia armatorum bellandi causa ex finibus educunt. Reliqui, qui domi manserint, se atque illos alunt. Hi rursus in vicem anno post in armis sunt; illi domi remanent. Sic neque agricultura nec ratio atque usus belli intermittitur. Sed pri-*

Fruges et Cererem ferunt
Nec cultura placet longior annua
Defunctumque laboribus
Aequali recreat sorte vicarius.

Illic matre carentibus
Privignis mulier temperat innocens
Nec dotata regit virum
Coniux nec nitido fidit adultero.

Dos est magna parentium
Virtus et metuens alterius viri
Certo foedere castitas,
Et peccare nefas aut pretium est mori.

O quisquis volet impias
Caedes et rabiem tollere civicam,

*vati ac separati agri apud eos nihil est; neque longius anno remanere uno in loco incolendi causa licet.* Hunc Suevorum morem ad Getas transtulisse videtur poëta. — *recreat*] «otium huic praebet *aequali sorte* laboris ille, qui in eius vicem succedit.»

18. *Privignis*] «noverca parcit privignis, abstinet ab iis manus; non, ut apud nos, insidias eis struit.»

19. 20. *dotata*] «dote freta, adeoque superba atque imperiosa.» — *fidit adultero*] «Adeo est impudens, ut adulteri auxilio utatur etiam adversus maritum et adversus leges.»

21. 22. *Dos est*] «Apud illas nationes naturae convenienter etiamnunc viventes maxima mulierum dos est parentum virtus, castitas, quae certum coniugii pactum servans ab aliorum virorum consuetudine abhorret.» — *metuens*] φυλασσομένη, nolens.

24. *Et peccare nefas*] «Inhaeret in eorum animis nefas esse adulterium committere noverunt-que certam eius poenam fore ultimum supplicium.» — *pretium*, ut τιμή, μισθός et *praemium*, vocabulum medium. Sic Epp. 1, 16, 47: *Habes pretium, loris non ureris.* — *est mori*] «omnis adultera a marito cognatisque necatur.»

25. *O quisquis*] Duae constructiones hic miscentur: 1) «*O tu*,

Si quaeret pater urbium
Subscribi statuis, indomitam audeat

Refrenare licentiam,
Clarus postgenitis: quatenus heu nefas!
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quaerimus invidi.

Quid tristes querimoniae,
Si non supplicio culpa reciditur;
Quid leges sine moribus
Vanae proficiunt, si neque fervidis

Pars inclusa caloribus
Mundi nec Boreae finitimum latus
Durataeque solo nives
Mercatorem abigunt; horrida callidi

Od. XXIV. v. 39. *gelu* Bentl. coni.

*quicunque tandem es, qui voles*»; 2) *Quisquis volet*. «Quicunque amovere conabitur scelera bellorum civilium et stabilire perpetuam pacem, is si volet, ut singularum urbium cives grato animo statuas cum inscriptione *PATRI* vel *PARENTI* (huius) *VRBIS* ei ponant, ante omnia refrenare debebit licentiam, quae nunc in omnibus rebus dominatur.» Iungo igitur *pater urbium*, (non tamen ut *συνώνυμος* sit vv. *pater patriae*); primo quia *pater* sic absolute vix dici posse videtur, deinde habemus similiter *parentem legionum* Pisonem (Tac. Ann. 2, 80.), *patrem exercituum* Caligulam (Suet. Cal. 22.), Claudium *patrem senatus* (Tac. Ann. 11, 25.), et quod maius est, hanc Augusto dicatam inscriptionem (Collect. meae N. 605.) *IMP. CAESAR. DIVI F. AVG. PARENS COLONIAE.* (Iaderae) *MVRVM. ET TVRRIS DEDIT.*

31. *Virtutem incolumem*] «Homini virtute praedito, dum in terris versatur, invidemus; ubi morte abreptus est, eundem desideramus.»

34. seqq. *reciditur*] veluti ulcus insanabile. — *si neque*] Hanc sententiam: «si insatiabilis lucri cupido omnes transversos agit:» variis imaginibus exornat: «mercatorem non absterret a quaestu persequendo nec torrida neque gelida zona cet.» — *duratae solo*]

Vincunt aequora navitae,
Magnum pauperies opprobrium iubet
Quidvis et facere et pati
Virtutisque viam deserit arduae?

Vel nos in Capitolium,
Quo clamor vocat et turba faventium,
Vel nos in mare proximum
Gemmas et lapides, aurum et inutile,

Summi materiem mali,
Mittamus, scelerum si bene poenitet.
Eradenda cupidinis
Pravi sunt elementa et tenerae nimis

v. 44. *deserere* B. coni.

«Nives, quae primum putres erant, gelu adstrictae firmiter illic solo adhaerent.»

42—44. *Magnum*] Repete ex praecedd. *si*. — *Virtutis - arduae*] «quam colere res est difficilis.»

45. *Vel nos*] impetu poëtico abreptus suadet, ut divitiae omnes illico atque in perpetuum aboleantur. Et id quidem duobus modis, inter quos popularibus suis optionem dat: «vel eas in Iovis Capitolini cellam, diis immortalibus sacrandas, humanis usibus eximendas comportemus», (quod v. eliciendum e seq. *mittamus*:) «quam divitum pompam ultro opes suas Iovi dedicantium sequetur totius populi Romani multitudo fausto clamore tam generoso consilio applausura, quemadmodum solet triumphantibus.» — *faventium*] de laetis acclamationibus, ut Liv. 1, 12: *et ille quidem, adnuentibus ac vocantibus suis, favore multorum addito animo evadit.*

47. 48. *Vel nos*] «Vel summum divitiarum contemptum testaturi causam et materiem malorum nostrorum in mare deiiciamus et quidem *in proximum mare*, quo citius eam in sempiternum amoveamus.» — *Gemmas et lapides*] Ubi haec vv. iunguntur a poëtis, plerumque *gemmae* significant lapides pretiosos, *(intagli, camei)*, *lapides* vero uniones margaritasque.

49. 50. *Summi - mali*] «illud, a quo omne malum oritur ac pendet.» — *scelerum si bene* (vere atque ex animi sententia) *poenitet*] «quippe illud demum certissimum

Mentes asperioribus
Formandae studiis. Nescit equo rudis
Haerere ingenuus puer
Venarique timet, ludere doctior,

Seu Graeco iubeas trocho
Seu malis vetita legibus alea,
Cum periurâ patris fides
Consortem socium fallat et hospitem

Indignoque pecuniam
Heredi properet. Scilicet improbae
Crescunt divitiae; tamen
Curtae nescio quid semper abest rei.

v. 54. *Firmandae* B. coni.

signum erit poenitentiae, ubi rebus, quarum summa cupiditate incensi eramus, sponte renuntiaverimus; nam magni aliquid atque inusitati patrando firmum nostrum propositum patefaciendum est.

51—53. *elementa*] Huius voc. prima significatio cum sit «litterae suo ordine collocatae», apposite dixit etiam *eradere*, oblitterare.

55. *Haerere*] «firmiter insidere equo eumque regere.»

57. 58. *Seu-trocho*] «Contra optime versatus est in Graeco illo trochi ludo.» *Trochus*, rota ferrea cum anulis crepitantibus, quam radio s. virga ferrea circumagebant. — *Graeco* autem contemptim de more peregrino. — *vetita legibus alea*] Licinium Denticulam lege, quae est de alea, condemnatum memorat Cic. Philipp. 2, 23. V. *aleator* inter maxima erat opprobria.

59. *periura fides*] «periura facta, crebro periurio violata,» ut Od. 1, 18, 16: *Arcanique fides prodiga.*

60. *Consortem socium*] id est, «sortis socium, *Theilhaber des Handlungscapitals.*»

61. *Indignoque*] utpote aleatori. — *properet*] «quanto ocius corradat, coacervet.» — *improbae*] «nimiae, omnem modum excedentes crescunt in immensum.»

64. *Curtae*] «mancae atque exiguae, ex possessoris certe opinione, qui eo, quod habet, nunquam est contentus.»

# ODE XXV.

## HYMNUS IN BACCHUM.

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum? quae nemora aut quos agor in specus
Velox mente nova? quibus
Antris egregii Caesaris audiar

Aeternum meditans decus
Stellis inserere et consilio Iovis?
Dicam insigne recens adhuc
Indictum ore alio. Non secus in iugis

Od. XXV. v. 6. *concilio* Codd. aliq.

XXV. Bacchi numine afflatus vaticinatur se aliquando eximiis laudibus celebraturum Caesarem, quo ipso vaticinio eum ad caelum attollit. (a. u. c. 726?)

2. *Plenum*] Od. 2, 19, 6. — Praepositio *in* ad utrumque nomen pertinet, ut Virg. Aen. 6, 692: *Quas ego te terras et quanta per aequora vectum Accipio!*

3. 4. *Velox mente nova*] «incitatus mente (ἐνθουσιασμῷ), quam novam Bacchus mihi infudit.» — *Quibus* in *antris* secretis *(Grotten)* cet. Eadem sunt, quae paullo ante *specus (Klüfte)*. — *egregii*] ut Od. 1, 6, 11: *Laudes egregii Caesaris.* — *Stellis inserere*] «Caesarem, gloriosum principem, in caelum efferre.»

5 — 7. *meditans*] ut μελετᾶν, canere; «audiar, dum meditor, dum carmine conor inserere» cet. — *consilio*] Imago sumpta a *consilio* ducum Romanorum. — *Dicam*] «Tunc ubi deus me iubebit Caesaris laudes praedicare, dicam, ut decet ἔνθεον, *insigne* aliquid, illud, quod nemini adhuc proferre contigit.»

9. *Exsomnis*] «ἄυπνος, insomnis, pervigil», ut alibi. Virg. Aen. 6, 555: *Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque* (Tisiphone.) Est igitur «Baccha, quae pervigilium celebrat.» — *stupet*] «furore sacro abrepta suique vix compos miratur (v. 14.) locos sacri horroris plenos.» Ovid. Trist. 4, 1, 42: *Utque suum Bacchis non sentit saucia volnus, Dum stupet Edonis exululata iugis.*

**Exsomnis stupet Evias**
**Hebrum prospiciens et nive candidam**
**Thracen ac pede barbaro**
**Lustratam Rhodopen, ut mihi devio**

**Ripas et vacuum nemus**
**Mirari libet. O Naiadum potens**
**Baccharumque valentium**
**Proceras manibus vertere fraxinos,**

**Nil parvum aut humili modo,**
**Nil mortale loquar. Dulce periculum est,**
**O Lenaee, sequi deum**
**Cingentem viridi tempora pampino.**

v. 9. *Edonis* B. coni. v. 13. *Rivos* B. coni.

11. 12. *pede barbaro*] a thiaso Maenadum Thressarum orgia celebrantium. — *devio*] «longius a consueto itinere evaganti, quo deus impellit.»

13. *Ripas*] Verum non est, quod ait Bentleius: «Nusquam, ubi sanus locus est, reppereris absolute sic positum, nulla mentione fluminis vel aquarum habita.» Cfr. Od. 3, 1, 23.

14—17. *Naïadum potens*] Od. 1, 3, 1: *Cypri potens*. Cfr. Od. 2, 19. — *valentium · Proceras*] Eurip. Bacch. 1109: *αἱ δὲ μυρίαν χέρα Προσέθεσαν ἐλάτῃ κἀξανέσπασαν χθονός*. — *humili modo*] «Pollicetur se nihil nisi grave et sublime dicturum, et has ipsas sublimes sententias non humili, sed sublimi modo dicturum; atque hoc addi oportuit, quia non insolitum est res graves orationis tenuitate dehonestari.» Cuningham.

18. 19. *Dulce periculum*] Non sine periculo deo praesenti mortalem appropinquare illumque cerni posse credebant. Praeterea talis *ἐνθουσιασμὸς* graviter torquebat vexabatque mortale corpus. — *Lenaee*] Apud Orph. Hymn. 50. vocatur *ληναῖς* et *ἐπιλήνιε* a *ληνός*, quod ei sacrum est torcular.

20. *Cingentem*] Supple «sibi, cinctum», referque ad Bacchum ipsum, ne *ἐπιθέτῳ* destituatur, ut est Od. 4, 8, 33: *Ornatus viridi tempora Pampino*.

# ODE XXVI.

## AD VENEREM.

Vixi puellis nuper idoneus
Et militavi non sine gloria;
Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit,

Laevum marinae qui Veneris latus
Custodit. Hic hic ponite lucida
Funalia et vectes et arcus
Oppositis foribus minaces.

XXVI. Per iocum simulans se iamiam amoribus renuntiaturum lyram ac reliqua instrumenta amatoria Veneri dedicat, simul precatus, ut Chloës amorem sibi conciliet, in quo ipso lepida totius odarii vertitur εἰρωνεία. (a. u. c. 733 ?).

2. *militavi*] Frequens de amoribus imago. Od. 4, 1, 16. Ovid. Am. 1, 9, 1: *Militat omnis amans et habet sua castra Cupido.*

3. 4. *arma*] ea ipsa, quae paullo post enumerat. — *barbiton*] quo amores cecinerat, iam defunctum est bello, eo iam opus non est «ad excantandas puellas», ut ait Propert. 3, 2, 49.

5. 6. *Laevum*] paries sacelli sinistro Veneris lateri proximus, dexter iis, qui eius simulacrum ore adverso intuentur. Orientalis ergo pars intelligitur, Etruscis et Romanis in omni re divina fausta. — *Veneris marinae*] ut Od. 4, 11, 15., πόντιας, πελαγίας. *Custodit*] Ut alibi dicunt *tegere latus.* — *ponite*] «o pueri!» Verbum proprium de ἀναθήμασιν.

7. *Funalia*] faces ex funibus pice, resina, cera illitis, quibus utebantur in nocturnis comissationibus; *lucida* autem, «quae olim, cum comissabamur, lucem praebebant.» — *vectes*] Lucil. Lib. 29. Fragm. 47. Bip.: *Vecte atque ancipiti ferro* (bipenni) *effringam cardines.* — *arcus*] «quibus ianitores terrerent.» Gloss. Cod. Regin. *Arcus* magis ioci causa, quam eo fine, ut sagittis figerent ianitores aut aemulos, interdum gestasse comissatores consentaneum est.

9. 10. *beatam*] Eustath. ad Dionys. Perieg. 508: Ὀλβιώτατοι δὲ νησιωτῶν οἱ Κύπριοι διὰ τὸ θαλαττοκρατῆσαι. — *tenes Cyprum*]

O quae beatam diva tenes Cyprum et
Memphin carentem Sithonia nive,
Regina, sublimi flagello
Tange Chloën semel arrogantem.

## ODE XXVII.

### AD GALATEAM.

Impios parrae recinentis omen
Ducat et praegnans canis aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino,
Fetaquè volpes.

Od. 1, 3, 1. — *Memphin*] Strabo 17, 32: *πόλις ἐστὶ μεγάλη τε καὶ εὔανδρος, δευτέρα μετὰ Ἀλεξάνδρειαν.* — *carentem*] «semper liberam a nive Thracia.»

11. 12. *sublimi*] »flagello in altum sublato, ut vehementiora sint verbera, tange semel saltem Chloën, ut mitigetur tandèm eius superbia. Exitus carminis *παρὰ προσδοκίαν*, prorsus ut Od. 4, 1, 33: *Sed cur heu Ligurine* cet.

XXVII. «Non malis equidem ominibus te, Galatea, quam tam invitus dimitto, ab itinere, quod meditaris, deterrebo, immo deos venerabor, ut bonis avibus te proficisci iubeant; sed licet aves itineri tuo addicant, cogita, quaeso, quam graves hoc ipso, quod instat, anni tempore tempestates in mari oriri soleant. Cave igitur, ne tibi fraudi sit ea, quam nunc caelum ostendit, serenitas. Sic Europe quoque olim per externam taŭri ei adblandientis speciem in fraudem inducta et summo animi angore oppressa est, donec Venus eam consolaretur.» (a. u. c. 733?).

1. *Impios*] «Impiis (qualis tu certe non es:) tristissima omina in profectione obveniant, nec tamen eos revocent ab incepto, adeo ut in perniciem ruant.» — *parrae*] Eadem videtur avis, quae in dialecto Veneta *parruzza*, in lingua Italica communi *civetta* vocatur, ulula flammeata, *Schleiereule*, *l'effraie* vel *l'effrosaie*, cuius cantum nocturnum pro mortis augurio habere solent superstitiosi. Alii explicant *Grünspecht*, alii *Kibitz*. — *recinentis*] «assidue atque arguta voce canentis.»

3. 4. *Rava*] Festo auctore est color intra flavum et caesium. Acron: «color niger mixtus cum fulvo.» *(fahl)*. — *decurrens*] ex

Rumpat et serpens iter institutum,
Si per obliquum similis sagittae
Terruit mannos. Ego cui timebo
Providus auspex,

Antequam stantes repetat paludes
Imbrium divina avis imminentum,
Oscinem corvum prece suscitabo
Solis ab ortu.

Sis licet felix, ubicunque mavis,
Et memor nostri, Galatea, vivas,

Od. XXVII. *v.* 5. *Rumpit* B. e Codd.

silva aliquanto altius sita in viam Appiam. — *Lanuvino* a Lanuvio, Latii oppido, haud longe a via Appia. — *Fetaque*] «recens (fetum) enixa, adeoque catulis lac praebens *(säugend)*.

5. *Rumpat*] «interrumpat, incidat impiis iter institutum, mala iis minitetur etiam serpens transversa ex parte celerrime allabens mannosque perterrefaciens; scilicet ita, ut huic omini scelerati non magis pareant quam prioribus illis aeque infaustis ideoque pereant.»

7. *mannos*] animal ex equo et asina natum, (hinnus, burdo). — *cui timebo*] »cuius saluti timebo.» «Ego amico, pro quo timebo, providum sollicitumque avium volatus et cantus observatorem agens, ab oriente precibus meis suscitabo, (ad faustum cantum advocabo) corvum oscinem voce sua laeta auspicia praebiturum, antequam infaustum illud omen fortasse incidat, ut cornix, quae imbres divinat (praesagit), ex locis editioribus revertatur ad paludes stagnantes. Sic ego tibi optima quaeque omina ex animi sententia opto.»

10. *divina avis*] Virg. Ge. 1, 388: *Tum cornix pluviam plena vocat improba voce Et sola in sicca secum spatiatur arena.*

11. 12. *Oscines* aves dicuntur quae augurium voce, *praepetes*, quae volatu faciunt. — *Solis ab ortu*] «Ab ortu solis corvi omina prospera sunt, ab occasu adversa.» Schol. «Qui augurium agebant apud Romanos, ad meridiem spectabant, ita ut sinistra pars esset ab oriente, dextra ab occasu. Graeci contra; inde laeva Romanis felicia, Graecis dextra.» Bothe.

13. *Sis licet*] Tenerrimis versibus, dolorem de discessu amicae premens, huic, dummodo aman-

Teque nec laevus vetet ire picus
Nec vaga cornix.

Sed vides, quanto trepidet tumultu
Pronus Orion. Ego quid sit ater
Hadriae novi sinus et quid albus
Peccet Iapyx.

Hostium uxores puerique caecos
Sentiant motus orientis Austri et
Aequoris nigri fremitum et trementes
Verbere ripas.

v. 15. *vetat* B. e Cld.

tis memoriam retineat, liberam proficiscendi optionem dat, denuque optat, ne ullum omen adversum abeunti eveniat, sed maris periculorum anxie eam admonet. — *Licet* h. l. non «quamquam, etsi», sed in precando usurpatur, ut fere idem sit atque in prosa orat. «per me.»

15. 16. *vetet*] Tenerior hic sensus videtur, ut rursus infausta signa deprecetur, quam si cum uno Cod. Vatic. legas *vetat*. — Novem ista omina partim laeta, partim adversa, nimia nonnullis visa sunt; sed hanc superstitionem popularem semel poëticis coloribus ornare suo iure voluit poëta.

17. *trepidet tumultu*] pr. «quanto Orion agitetur tumultu», id est, «quantas tempestates inquieta sua vi concitans, *pronus* ad occasum festinet, ruat.» V. Idus Novembr., teste Plinio 18, 31. Oxonis gladius occidere incipit. Leonid. Tar. Ep. 90: (ἐμὲ) ὀνοφερῆς νύμφα πανδυσίης Ἑβλαψ' Ὠρίωνος.

19. *Hadriae sinus*] »mare Hadriaticum, quod sinum maris efficit inter Italiam et Epirum Illyricumque.» — *novi*] «ipse aliquando expertus sum», ex pugna Philippensi redux, ut opinor. — *albus*] «caelum quidem fallaciter serenans, cum simul asperos fluctus in mari concitet.» — *peccet*] cum naufragiorum causa fit. De Iapyge v. Od. 1, 3, 4.

21. 22. *Hostium*] Solita exsecratio. Virg. Ge. 3, 513: *Di meliora piis erroremque hostibus illum! — Sentiant*] «cum malo suo experiantur.» — *orientis*] Rarius de ventis pro «surgentis, venientis.»

23. 24. *trementes-ripas*] «quae tremere videntur undarum pulsu conquassatae.»

Sic et Europe niveum doloso
Credidit tauro latus et scatentem
Beluis pontum mediasque fraudes
Palluit audax.

Nuper in pratis studiosa florum et
Debitae Nymphis opifex coronae
Nocte sublustri nihil astra praeter
Vidit et undas.

Quae simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten: Pater, o relictum
Filiae nomen pietasque, dixit,
Victa furore!

Unde quo veni? Levis una mors est
Virginum culpae. Vigilansne ploro

25. *Europe*] Fundus fabulae Iliad. ζ, 321. Cfr. Moschi Idyll. 2. Ovid. Met. 2, 836. Fast. 5, 605. Lucian. Dial. Deor. mar. 15. Schol. Ven. ad Iliad. μ, 307.

26. 27. *et scatentem*] in prosa or. «mox tamen scatentem cet.» Odyss. γ, 158: μεγαχήτεα πόντον. — *mediasque fraudes*] «insidias, pericula occulta, quibus undique circumdata erat.» — *audax*] «eadem illa, quae paullo ante tam audax fuerat, ut tauri tergo insideret.»

29—31. *studiosa florum*] «cupide, *puellari studio* (Ovid. Met. 5, 393.) flores legens.» — *Debitae*] «Coronam nectebat Nymphis ex voto promissam.» — *sublustri*] «aliquantulum nec tamen satis a stellis illustrata, *beim Halblicht.*»

33. *Quae simul*] Totam rem sic proponit, ut tauri quidem forma dolosa evanuerit, Europe tamen iamiam praesagiat animo, quid mox sibi instet, Venus autem velut pronuba eam soletur, antequam vera forma rursus assumpta Iuppiter ad amatam puellam redeat. — *centum*] Iliad. β, 649: Κρήτην ἑκατόμπολιν. Epod. 9, 29.

34. 35. *Pater*] Ab Ovidio et Luciano Agenor, ab Hellanico (Schol. min. Iliad. β, 495.) simpliciter Phoenix appellatur. — *o relictum*] Construe: «o pater, nomen (necessitudinis carissimum) relictum filiae (dativ.), id est, desertum

Turpe commissum, an vitiis carentem
Ludit imago

Vana, quae porta fugiens eburna
Somnium ducit? Meliusne fluctus
Ire per longos fuit, an recentes
Carpere flores?

Si quis infamem mihi nunc iuvencum
Dedat iratae, lacerare ferro et
Frangere enitar modo multum amati
Cornua monstri.

Impudens liqui patrios penates,
Impudens Orcum moror. O deorum

v. 39. *vitio* B. coni. v. 48. *tauri* Codd. aliq. Cfr. v. 72.

ac proditum a filia, et pietas victa furore, temerario meo ausu turpiter neglecta!» V. *nomen* saepe ad necessitudinis et cognationis notionem accedit. *Relictum* autem *filiae*, ut Od. 2, 6, 11: *regnata rura Phalanto*. Od. 3, 29, 27. — *furore*] «caeco illo impetu, quo tauro fallaci me commisi.»

37. *Unde quo veni?*] Duplici interrogatione implicata Graeco modo: πόθεν ποῖ ἐλήλυθα; non: *Unde? quo veni?*

38. *Virginum*] «laeso pudori, quam summam committere possunt culpam virgines.»

41. *porta eburna*] Odyss. τ, 562. Virg. Aen. 6, 894. — «Φάντασμα autem, *imago*, quae rapide *(fugiens)* exit ex altera utra porta, secum *ducit* illud *somnium*, quod cum maxime videre nobis videmur.»

42—44. *Meliusne*] «Quomodo tandem factum est, ut *melius* (iucundius) dementi mihi videretur nare per fluctus quam ex vernis floribus corollas nectere, in quo grato opere occupata eram?»

45. *Si quis*] Non est exclamatio, ut in multis Edd. distinguitur: *Si --- iratae!* sed πρότασις v. *enitar*.

47. *multum amati*] «Cuius ori flores virgo admoverat, cuius cornua sertis cinxerat, cuius pectora manibus plauserat; sic enim Ovidius.» Torrentius.

50 — 52. *Impudens*] *Orcum* autem *moratur* is, qui, cum mori

Si quis haec audis, utinam inter errem
Nuda leones!

Antequam turpis macies decentes
Occupet malas teneraeque succus
Defluat praedae, speciosa quaero.
Pascere tigres.

Vilis Europe, pater urget absens:
Quid mori cessas? Potes hac ab orno
Pendulum zona bene te secuta
Laedere collum;

Sive te rupes et acuta leto
Saxa delectant, age te procellae

vv. 59. 60. *Secuta e-lidere* B. φ Codd.

debet, non moritur. «Quid cesso emori?»

54. 55. *malas*] pro genis. — *teneraeque*] «antequam puellae *tenerae*, florentis, feris destinatae corpus contabescat.» Diuturnos igitur dolores perhorrescit et integra ad Orcum descendere cupit, ex prisco humanitatis sensu. — *speciosa*] «pulchritudine nondum deformata; integra et florens;» puellarem formae etiam propinqua morte curam exprimit.

57. *Vilis*] «Iam nunc digna, quae ab omnibus contemnaris.» — *pater*] «Pater ipse, quamquam absens, mihi instare videtur atque imperare, ut mortem propere mihi consciscam.»

58—60. *ab orno*] Construe: *pendulum ab orno.* — *bene*] «qua opportune, haud frustra, cincta huc devenisti.» — *Laedere*] h. l. prima significatione, *zerschlagen*, *quetschen*, *knicken*, ut apud Lucret. 5, 999: *turbida ponti Aequora laedebant naves ad saxa virosque.*

61. *Sive te*] «Sive magis te alliciunt rupes et saxa (ex rupibus exstantia), ut quae acuta sint ad letum dandum (quae acuminibus suis celeriter mortem afferant:), procellae impetu adiuta deiice te in praeceps; nisi tu, regia virgo, serva fieri praefers, cui quotidie ab hera assignetur pensum (certum pondus lanae *carpendae*, trahendae, nendae:) quae domina barbara te simul ut exosam mariti pellicem perpetuo cruciatu afficiet.»

Crede veloci, nisi herile mavis
Carpere pensum,

Regius sanguis dominaeque tradi
Barbarae pellex. Aderat querenti
Perfidum ridens Venus et remisso
Filius arcu.

Mox, ubi lusit satis: Abstineto,
Dixit, irarum calidaeque rixae,
Cum tibi invisus laceranda reddet
Cornua taurus.

Uxor invicti Iovis esse nescis.
Mitte singultus, bene ferre magnam
Disce fortunam; tua sectus orbis
Nomina ducet.

67. *Perfidum*] «malitiose ac subdole», sed iuncta *εἰρωνείᾳ;* non enim irata advenit Venus, sed suis artibus delusam esse gaudet Europen eamque simul consolatur.

69. 70. *ubi lusit satis*] «ubi Venus satis irriserat puellam splendidae suae sortis ignaram.» — *Abstineto irarum*] *ἀπέχου τῆς ὀργῆς*, ut Od. 2, 9, 17: *desine querelarum.*

71. *Cum tibi*] «tunc, cum tibi cet.»; minime explicandum «donec tibi.» — *laceranda*] pro v. proprio *frangenda.* «Tunc, ubi ad te amplexandam revertetur, probe scio, facile in gratiam eum illo redibis, qui nunc tibi tam invisus est.» — *reddet*] «denuo praebebit; primum enim, cum ex improviso evanuisset, eum sane lacerare non potuisti.»

73. *Uxor*] Iam ex *εἰρωνείᾳ* ad veram consolationem transit; quocirca praefero tranquillam hanc et blandam affirmationem: «Nescis adhuc, cara puella, Iovis te coniugem esse», id est, «scito te mox illum coniugem habituram esse.» Plerique pro interrogatione habent. Ceterum Graecum modum hoc quoque refert: *Οὐ σύνοιδας σεαυτῇ Διὸς νύμφη οὖσα.*

75. 76. *sectus orbis*] «dimidia pars orbis nomen tuum accipiet.» Duas enim dumtaxat orbis terrarum partes agnoscit h. l.: Europam et Asiam, ut Sal. Iug. 17. — *nomina*] pro singulari.

# ODE XXVIII.

## AD LYDEN.

Festo quid potius die
Neptuni faciam? Prome reconditum
Lyde strenua Caecubum
Munitaeque adhibe vim sapientiae.

Inclinare meridiem
Sentis ac, veluti stet volucris dies,
Parcis deripere horreo
Cessantem Bibuli consulis amphoram.

Nos cantabimus invicem
Neptunum et virides Nereidum comas;

XXVIII. Arcessita ad se amica solus cum sola Neptunalia compotatione et cantu celebrat. Neptunalia alia X. Kal. Aug., alia in honorem pugnae Actiacae Kal. Sept. (a. u. c. 732?)

2. *faciam*] «Ὕστερον πρότερον. Erat enim hic ordo: «Prome Caecubum, ut bibam. Quid enim potius festo Neptuni die facere possum?» LAMB. — *reconditum*] «interioris notae (Od. 2, 3, 8.), satis igitur vetus ac generosum.»

3. *strenua*] pro adverbio prosae orat. Est igitur: «Noli defatigari in promendo Caecubo ex *horreo* sive apotheca vinaria atque expugna, pelle liberaliore potu tristiorem tuam ac sic satis munitam adversus voluptates gravitatem et mecum Genio indulge.»

5. 6. *Inclinare*] «Vides solem a meridie iam ad occasum vergere.» Admodum tempestivum igitur describit συμπόσιον. In prosa orat. *se inclinare*, ut Liv. 9, 32: *sol meridie se inclinavit.* — *stet*] «consistat, moretur.»

7. 8. *Parcis*] «cunctaris, veluti nondum adsit potandi hora.» — *deripere*] «celeriter de apothecae pariete demere hucque in triclinium afferre.» — *Cessantem*] «quae, tu dum segnis es, mihi impatienti ipsa videtur cessare.» — M. Calpurnius Bibulus cos. cum C. Iulio Caesare a. u. c. 695.; vinum igitur circiter XXXV. annorum bibiturum se fingit.

Tu curva recines lyra
Latonam et celeris spicula Cynthiae:

Summo carmine, quae Cnidon
Fulgentesque tenet Cycladas et Paphon
Iunctis visit oloribus:
Dicetur merita Nox quoque nenia.

---

# ODE XXIX.

## AD MAECENATEM.

Tyrrhena regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado
Cum flore, Maecenas, rosarum et
Pressa tuis balanus capillis

9. 10. *invicem*] «alternatim, carmine amoebaeo celebrabimus deos immortales; ego Neptunum, cuius est dies festus, eiusque comites Nymphas.» — *virides*] Deorum marinorum omnia sunt caerulea, glauca, viridia; interdum etiam vitrea, ὑάλινα.

11. 12. *recines*] «tu respondebis canendo Latonam et Dianam iaculatricem;» a Cyntho, Deli monte, ubi nata est cum Apolline.

13. *Summo*] «extremo.» «Nam in Veneris laudibus ut amantes inter nos desinamus, consentaneum est.» — *quae Cnidon*] Pendent haec ex superioribus: «Recines eam deam, quae cet.»

15. 16. *visit*] «ex alio quo loco sibi placito illuc revertens:» quae deorum vocantur ἐπιδημίαι. — «*Nox* ipsa quoque cantilena celebrabitur, et quidem debita ob gaudia, quae nobis praebebit.»

XXIX. Maecenatem invitat poëta, ut relictis urbanis negotiis aliquantulum temporis ad se in villam concedat Genioque ibi indulgeat, argumentis, quibus ei hoc suadere conatur, partim ab Urbis fastidio, quod luxus eius gignere soleat, partim a ferventissimo anni tempore desumptis. (ab a. u. c. 733.)

1. 2. *Tyrrhena*] Cfr. Od. 1, 1, 1. — *Non ante verso*] «intacto adhuc:» id quod convivae honori tribuitur. Vertebatur, cum inde in crateres effundebatur vinum.

4. *balanus*] s. myrobalanus,

Iamdudum apud me est. Eripe te moraе; 5
Ne semper udum Tibur et Aesulae
Declive contempleris arvum et
Telegoni iuga parricidae.

Fastidiosam desere copiam et
Molem propinquam nubibus arduis; 10
Omitte mirari beatae
Fumum et opes strepitumque Romae.

Plerumque gratae divitibus vices
Mundaeque parvo sub lare pauperum
Cenae sine aulaeis et ostro 15
Sollicitam explicuere frontem.

glans myrepsica, unguentaria Arabiae et Aethiopiae; h. l. oleum ex eius nucleo pressum, *(die arabische Behennuss, Balsamfrucht.)*

6. *udum Tibur*] Od. 1, 7, 14. — *Aesula*, colonia Romana in Latio, in declivi sita inter Praeneste et Tibur.

8. *Telegoni iuga*] Tusculum significat, conditum a Telegono, qui insciis Ulixem patrem trygonis *(eine Rochenart mit einem Stachel am Schwanze)* radio sagittae praefixo interfecit.

10. *Molem*] turris *(Pallast)* Maecenatiana in colle Esquilino, e qua Nero Romae incendium inspexit. (Suet. Ner. 38.)

11. 12. *beatae*] «opulentae ac splendidae.» — *mirari fumum*] παρὰ προσδοκίαν. — *Strepitus* ille Urbis nocturnus ac diurnus», de quo lamentatur Epp. 2, 2, 70—80.

13. 14. *vices*] «Vicissitudines inter summam copiam, qua divites quotidie veluti obruuntur, et vitam simpliciorem ipsis persaepe placent.» — *Mundae*] «tersae, sed frugales.» Sat. 2, 2, 65. — *pauperum*] «ubi cum locupletibus illis comparentur.»

15. 16. *sine aulaeis*] Cfr. Sat. 2, 8, 54. — *ostrum* significat stragulam vestem, peristromata purpurea, a v. ὄστρειον, pr. succus muricis eiusque color purpureus. — *explicuere*] ἀορίστως.

17. *Iam clarus*] «Tempus venit aestatis; igitur te rure mecum recrees.» Alcaeus Fr. 28. M.: (Θέρους δέ·) Τέγγε πνεύμονας οἴνῳ· τὸ γὰρ ἄστρον (Canicula) περιτέλλεται· Ἁ δ' ὥρα χαλεπά, πάντα δὲ δίψαις ὑπὸ καύματος. — «Cepheus, Aethiopum rex, pater Andromedae ex Cassiopea antea occultum lumen ostendit, ortus

Iam clarus occultum Andromedae pater
Ostendit ignem, iam Procyon furit
Et stella vesani Leonis,
Sole dies referente siccos;

Iam pastor umbras cum grege languido
Rivumque fessus quaerit et horridi
Dumeta Silvani; caretque
Ripa vagis taciturna ventis.

Tu, civitatem quis deceat status,
Curas et Urbi sollicitus times,
Quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent Tanaisque discors.

est (VII. Id. Iul.)» *Procyon* (quem Latini *Ante Canem* vocant:) unus ex Orionis canibus venaticis, oritur Idibus Iuliis, quem XI. diebus post sequitur Canicula s. Sirius, orturque etiam *Leonis stella*, sidus *vesanum* summos calores afferens. XIII. Kal. Aug. Sol Leonem ingreditur.

20. *referente*] «annuo suo cursu rursus afferente.» — *siccos*.] Od. 4, 12, 13: *Adduxere sitim tempora*, *Virgili*.

22. *Rivumque*] In pascuis Italicis greges per aestatem rivos intrant, ut melius se defendant et a calore et ab asillis.

25. *Tu, civitatem*] «Tu quidem, praefectus urbi cum sis, curas optimum civitatis statum otiumque publicum, simul intentus, quae pericula exteri hostes, in primis Orientis populi, Romano imperio minitentur.»

26. *Civitas* et *urbs* recte coniunguntur, ut apud Cic. Acad. 2, §. 137. *nec haec tibi videtur urbs nec in ea civitas.* V. *urbi* iunge cum v. *sollicitus* potius quam cum v. *times*.

27. 28. *Seres*] extremi Orientis populi Romanis noti, «*lanicio silvarum nobiles.*» Plin. 6, 17. — *Bactra*] «quibus olim Cyrus imperitavit.» Xenoph. Cyrop. 1, 1: ἦρχε δὲ καὶ Βακτρίων καὶ Ἰνδῶν. Gens nobilis postea inde ab anno circiter 250. usque ad 125. ante Chr. regno Graeco Bactriano; Augusti vero temporibus pars Bactrianae Parthis, pars Scythis Tocharis subiecta erat; quocirca h. l. de Parthis intelliges. — *discors*] «Scythae, Tanais accolae, intestinis discordiis agitati.» Inest in his innocens neque amicum laesura εἰρωνεία: etenim et ille et omnes Romani optime noverant nihil pe-

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit deus
Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adest memento

Componere aequus: cetera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio aequore
Cum pace delabentis Etruscum
In mare, nunc lapides adesos

Stirpesque raptas et pecus et domos
Volventis una non sine montium
Clamore vicinaeque silvae,
Cum fera diluvies quietos

Irritat amnes. Ille potens sui
Laetusque deget, cui licet in diem

Od. XXIX. v. 34. *aequore*] boni Codd. *alveo* Bentl. et volgo.

riculi iam impendere Romano imperio ab Orientis atque Septentrionis nationibus.

29. *Prudens*] «Sapienter et consulto deus res futuras mortalibus velut obscura nocte *premit*, abscondit.»

31. 32. *trepidat*] «futuros eventus anxie explorare laborat, *ultra* hac in cura progressus, quam natura generis humani concedit.» — *Quod adest*] «Aequo animo praesentia ordina, quippe quae in tua potestate sita sint: cetera omnia fluxa sunt atque incerta.»

34. *Ritu*] Ovid. Am. 1, 7, 43: *tumidi ritu torrentis agebar.* — *medio aequore*] «aqua fluminis sese inter utrumque alvei marginem continente.»

35. 36. *Etruscum*] Ultima elidítur ante sequentem vocalem. — *adesos*] «vi aquarum adrasos.»

38. *una*] «omnia haec inter se permixta.»

41. *Irritat*] «Illos fluvios, qui alioquin exundare non solent, reprimens, haud minus saevire cogit.»

42. 43. *in diem*] «singulis diebus.» — *Vixi*] Cic. Attic. 12, 2: βεβίωταί μοι.

44. *polum*] Apud poëtas fre-

Dixisse Vixi: cras vel atra
Nube polum Pater occupato,

Vel sole puro; non tamen irritum
Quodcunque retro est, efficiet neque
Diffinget infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.

Fortuna saevo laeta negotio et
Ludum insolentem ludere pertinax
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.

Laudo manentem; si celeres quatit
Pennas, resigno quae dedit et mea
Virtute me involvo probamque
Pauperiem sine dote quaero.

Non est meum, si mugiat Africis

quenter pro caelo, ut *axis*. — *Pater*] Od. 1, 34, 5: *Diespiter*.

45. *sole puro*] Ex v. *occupato* ad haec vv. elice: «illustrato».

47. 48. *Diffinget*] diversam formam ei praebebit, prorsus illud immutabit.» — *Infectum (ungeschehen)* gradu aliquanto maius est quam *irritum (wirkungslos)*. — *hora vexit*] «avexit, abstulit, velut in praeteriti temporis voraginem demersit.»

49. 50. *saevo negotio*] «munere, quo fungitur, omnia sine ulla clementia ac saepe crudeliter administrandi, formandi rursusque immutandi.» — *ludere pertinax*] in prosa or. «pertinaciter ludens.»

54. *resigno*] «*Resignare* antiqui pro *rescribere* ponebant, ut adhuc *subsignare* dicimus pro *subscribere*.» Festus. *Rescribere* autem est scriptam debiti liberare, debitum solvere per scripturam.

55. *Virtute me involvo*] «veluti pallio; certum praesidium ea mihi paraturus.»

56. *sine dote*] Opes significat, quibus Fortuna veluti dotat eum, cui favet.

57. 58. *non est meum*] «non est meae indolis meique moris; a mea dignitate abhorret.» — *mu-*

Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere et votis pacisci,
Ne Cypriae Tyriaeque merces 60

Addant avaro divitias mari:
Tunc me biremis praesidio scaphae
Tutum per Aegaeos tumultus
Aura feret geminusque Pollux.

---

# ODE XXX.

Exegi monumentum aere perennius
Regalique situ pyramidum altius,

v. 64. *ferat* B. e Codd.

*giat*] «strideat, fragorem edat ab Africo fractus.»

59. 60. *votis pacisci*] «ut mercator aliquis, votis transigere cum diis, ne naufragio facto pretiosae merces in mari pereant.»

61. 62. *avaro*] Od. 1, 26, 13: *avidum mare.* «Tunc igitur, id est, tali in periculo, dum alii ad vota descendunt, adeo tutus sum, ut vel in summis vitae discriminibus, tranquillo atque aequo animo adspecturus sim fortunarum mearum interitum.» — *biremis*] h. l. proprie, «quae duos habet remos, σκάφος δίκωπον.

64. *geminusque Pollux*] «Pollux cum fratre Castore»; Castores, ut Latini dicebant, Διόσκουροι navigantibus propitii.

**Od. XXX.** Simplicissime huius carminis argumentum exponi potest Sapphonis versu Fr. 16. Neue: *Μνάσασθαί τινά φαμι καὶ ὕστερον ἀμμέων.* (a. u. c. 736.)

1. *Exegi*] «absolvi, perfeci», ut patet ex Ovid. Met. 15, 871: *Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira nec ignes Nec potent ferrum nec edax abolere vetustas.*

2. *situ*] *Situs* proprie «res, quae in aliquo loco sita est.» H. l. «constructione, mole; pyramidibus maximo sumptu ab Aegyptii regibus exaedificatis.»

3. *imber edax*] «compagem saxeam paullatim solvens, aes arrodens, inducta aeruginе.» — *impotens*] «sui; sibi non tempe-

Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere aut innumerabilis

Annorum series et fuga temporum.
Non omnis moriar multaque pars mei
Vitabit Libitinam: usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium

Scandet cum tacita Virgine pontifex.
Dicar, qua violens obstrepit Aufidus
Et qua pauper aquae Daunus agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens

Od. XXX. v. 12. *Regnator* Codd. aliq.

rans», id est, «vehementer saeviens.»

6. *multaque pars mei*] «ingenii mei monumenta.»

7. 8. *Libitinam*] Venus Libitina, dea funerum, metonymice pro morte. *Usque* iunge cum v. *crescam*, «semper crescam.» — *crescam*] «magis magisque agnoscent futurae aetates laudes meas poëticas meque honore persequentur.» — *dum Capitolium*] «quamdiu pontifex maximus cum pontificum collegio et virginibus Vestalibus religiosum silentium tenentibus diebus festis in aedem Iovis Capitolini sollemni pompa ascendet»; hoc est, «in sempiternum»; Roma enim *Urbs aeterna* civibus suis, et sacra publica nunquam exstinctum iri iis persuasum erat.

9. *tacita Virgine*] «Vestali venerabunde ac tacite incedente.» Ipsae enim silentium servabant, cum hymnos cantarent chori puerorum puellarumque patrimorum et matrimorum.

10. *Dicar*] «Grato animo memorabunt posteri, me, hominem Venusinum, primum Sapphus et Alcaei poësin lyricam Latine aemulatum esse.» Construe: *dicar princeps Aeolium carmen ad Italos modos deduxisse*, (ibi natus), *ubi Aufidus obstrepit*. — *violens*] Rarior forma pro *violentus*. Cfr. de Aufido, hodie *Ofanto*, etiam Od. 4, 14, 25. — *obstrepit*] accolis; «magno cum sonitu undas suas volvit.»

11. *pauper aquae*] Daunum ipsum vocat *pauperem aquae*, pro regione eius imperio subiecta.

12. *Regnavit populorum*] «incolarum eius tractus rex fuit, ἦρξε λαῶν.» *Regnator* est glossema. — *ex humili potens*] «Ego humili loco

**Princeps Aeolium carmen ad Italos**
**Deduxisse modos. Sume superbiam**
**Quaesitam meritis et mihi Delphica**
**Lauro cinge volens, Melpomene, comam.**

natus ingenii mei ope ad eam vitae condicionem perveni, qua satis nobilis ac felix mihi esse videor.» Cfr. 4, 8, 26.

14. *Deduxisse*] «transtulisse», primum ausum esse in poësi Latina uti lyricis Graecorum metris.» Paucissimis enim ei praeluserat Catullus. — *Sume*] «Assume, o Musa mea, spiritus iustos, quippe ingenio meo convenientes *et Delphica* cet.», id est, «fac, ut omnes facultatem poëticam, cuius mihi conscius sum, ultro agnoscant.»

15. 16. *Delphica*] *Apollinarem* dicit Od. 4, 2, 9. — *volens*] Verbum sollemne in precibus. Servius ad Aen. 1, 737: *Sic enim dicunt:* «Volens propitiusque sis.»

# Q. HORATII FLACCI

# CARMINUM

## LIBER QUARTUS.

---

## ODE I.

### AD VENEREM.

Intermissa, Venus, diu
Rursus bella moves? Parce, precor precor.
Non sum qualis eram bonae
Sub regno Cinarae. Desine, dulcium

Mater saeva Cupidinum,
Circa lustra decem flectere mollibus

I. Respondet, ut ita dicam, Libri 3. carmini 26. «Cum diu liber fuissem ab amoribus, rursus tu, Venus, me impugnas novumque amorem mihi inspiras, et quidem Ligurini.» (a. u. c. 739.) 4. *Sub regno*] «quae tam mite amoris imperium in me exercebat.» — *bonae*] «probae, in me minime avarae.» — *Cinarae*] Hoc inter tot amicarum ficta nomina (Lyde, Lydia, Lalage, Pholoë, Glycere, cet.) verum est nomen libertinae ab Horatio aliquando ex animo amatae, cuius gratam mentionem fecit etiam Od. 4, 13, 12. Epp. 1, 7, 27. 1, 14, 33. nec tamen unquam singulari carmine eius laudes celebravit.

5. 6. *Mater*] Versiculus Od. 1, 19, 1. hic consulto repetitur. Philostrato Imagg. 1, 6. Cupidines

Iam durum imperiis: abi,
Quo blandae iuvenum te revocant preces.

Tempestivius in domum
Paulli purpureis ales oloribus
Comissabere Maximi,
Si torrere iecur quaeris idoneum:

Namque et nobilis et decens
Et pro sollicitis non tacitus reis
Et centum puer artium
Late signa feret militiae tuae.

Et, quandoque potentior
Largi muneribus riserit aemuli,

Od. I. v. 18. *Largis* Codd. plerique.

praeter caelestem illum Nympharum sunt filii.

7. *durum*] «tenerorum sensuum iam minus capacem.»

9. 10. *Tempestivius*] «opportunius ac decentius.» — *Paulli*] Est Paullus Fabius Maximus cos. a. u. c. 743. et apud Augustum valde grātiosus, pater Maximi illius, quem ut fidelissimum sibi etiam in exilio amicum crebro laudat Ovidius. — *purpureis*] purpureum, nonnunquam appellatur quod candet splendore, ut cum Pedo Albinovanus 2, 62: *nivem purpuream* vocat. — *ales*] Alae non ipsi quidem Veneri tribuuntur, sed alitibus per aërem vehitur.

12. *iecur*] sedes amoris ex antiquorum opinione. Est igitur: «Si eius animum amori utique aptum inflammare vis.»

14. *non tacitus*] «eloquens causarum patronus», ut Pollio Od. 2, 1, 13.

15. *centum puer artium*] «quam plurimis bonis artibus instructus iuvenis, *πάντεχνος*.» Puerum autem vocat Fabium iuvenem XXXV. vel etiam plures annos natum.

17. *Et quandoque*] «Et quandocunque rivalem etsi largiora munera amicae offerentem vicerit apud eam adeoque illum deriserit» cet. Iunge *potentior muneribus*, «quam munera», non cum aliis *riserit muneribus*. *Largi - - aemuli* praefero ex auctoritate Cod. antiquiss. B.

Albanos prope te lacus
Ponet marmoream sub trabe citrea.

Illic plurima naribus
Duces tura, lyraeque et Berecyntiae
Delectabere tibiae
Mixtis carminibus non sine fistula;

Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes pede candido
In morem Salium ter quatient humum.

Me nec femina nec puer
Iam nec spes animi credula mutui

v. 20. *Cypria* cum Codd. aliq. Fea.

19. *Albanos - lacus*] Quattuor lacus ibi antiquitus sibi proximi fuerunt, ita, ut quasi quadrangulum efficerent. Sunt 1) lacus Albanus proprie dictus; 2) lacus Nemorensis; 3) *Laghetto*, sine nomine proprio; 4) *Lago*, *oggi Valle Aricina*. In ea igitur regione videtur Maximus villam habuisse.

20. *citrea*] Hanc lect. Cod. B. praetuli. Vereor, ne *Cypria* orta sit ex illa longe diversa *trabe Cypria* Od. 1, 1, 13. nec magnopere placet *deam Cypri* locari sub *trabe Cypria*. Omnino cogitandum (ut in Virg. Catal. 5, 5. Ge. 3, 12.) de templo ex libera poëtae *φαντασίᾳ* exstruendo, in quo quaelibet vel pretiosissima materia poëtico luxu large profundi potest.

21—24. *Illic*] «Illic assidue coleris; plurimi tibi adolebuntur odores: semperque lyrae, tibiae Berecyntiae (quae proprie est Matris deûm magnae, a Berecynto, Phrygiae monte:), fistulae (ut Od. 3, 19, 20.) cantus mixtus resonabit.»

25. *bis*] Tibull. 1, 3, 31: *Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes Insignis turba debeat in Pharia*, mane prima hora et vespere hora octava.

28. *In morem Salium*] ut Od. 1, 36, 12. adiectivum potius quam plur. pro *Saliorum*. — *ter*] ut Od. 3, 18, 16. «*im Drittelschlag*.» Voss. — *quatere terram* de saltatione, ut *pulsare*, *pellere* terram.

Nec certare iuvat mero
Nec vincire novis tempora floribus.

Sed cur heu, Ligurine, cur
Manat rara meas lacrima per genas?
Cur facunda parum decoro
Inter verba cadit lingua silentio?

Nocturnis ego somniis
Iam captum teneo, iam volucrem sequor
Te per gramina Martii
Campi, te per aquas, dure, volubiles.

## ODE II.

### AD IULUM ANTONIUM.

Pindarum quisquis studet aemulari,
Iule, ceratis ope Daedalea

33. 34. *Sed cur heu*] Vi tandem amoris victus fatetur se Ligurini amore incensum. Cfr. Od. 4, 10. — *rara*] «guttatim ac furtim decidit», ut fit in molliore animi affectu.

39. 40. *gramina*] «per cespitem.» Iam solitas adolescentium exercitationes ludosque campestres memorat, cursum per Campum Martium et natationem in Tiberi. — *volubiles*] «a natante huc illuc pulsas.»

II. Iulus Antonius, alter M. Antonii triumviri ex Fulvia filius, natus circiter a. u. c. 710., educatus ab Octavia maiore, benigna noverca, huius filiam Marcellam maiorem in matrimonium duxit. Tam gratiosus fuit apud Augustum, ut cum primum locum Agrippa, Liviae filii secundum tenerent, tertius esset ac numeraretur Iulus circiter a. u. c. 742., quo Agrippa mortem abiit. Ornatus est a patris victore sacerdotio, praetura a. u. c. 741., consulatu, quem cum Q. Fabio Maximo Africano gessit a. u. c. 744. Nihilo tamen secius violavit domum Augusti, affinis sui, commisso cum Iulia adulterio a. u. c. 752. Insimulabatur id fecisse spe imperii occupandi (Dio 55, 10.). Iulia in Pandatariam insulam relegata, Iulus Augusti iussu se ipse inter-

Nititur pennis vitreo daturus
Nomina ponto.

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet immensusque ruit profundo
Pindarus ore,

Laurea donandus Apollinari,

fecit. — «Iulus Antonius heroico metro Diomedeas (*Διομηδείας*) duodecim libros scripsit egregios et prosa aliqua.» Acron. Poëtas igitur cyclicos *τῶν νόστων* imitari conatus est, primus, ut videtur, inter Romanos. Composita est haec Ode a. u. c. 741 vel 742.

1. *Pindarum*] Stat. Silv. 4, 7, 5: *Regnator lyricae cohortis, Pindare.* Tametsi Horatius singulas aliquot sententias ex Pindaro transtulit (ut Od. 1, 12, 1.), sapientissime tamen abstinuit ab imitandis carminum Pindaricorum formis ac metris, imaginibus audacioribus, liberiore verborum compositione, rationem habens et suarum virium et indolis totius Latinae poësis.

2. *Iulo*] Iulus insolitum hoc praenomen gessit inditum a patre, ut ostenderet, se per matrem Iuliam, L. Iulii Caesaris filiam, attingere gentem illam *missam ab Ascanio, cui cognomen Iulo*: Virg. Aen. 1, 267. — *ceratis*] «cera coniunctis affixisque corpori.» Schol. Cruq. — *ope Daedalea*] «velut arte illa, qua Daedalus usus est.»

3. 4. *Nititur*] «sustinet, librat se in aëre.» — *vitreo*] «*ὑαλίνῳ*, viridi, caeruleo», *kristallen.* — *Nomina*] ut ex volgari opinione Icarus mari Icario. Dempta imagine: «Summum periculum adit, ne, dum audacior esse volt atque sublimis, adeo vitiosus turgidusque fiat, ut omnes ei experimentum male cessisse iudicent.»

7. 8. *Fervet*] *ζέει*, aestuat. Sat. 1, 10, 62: *Cassi rapido ferventius amni Ingenium.* — *immensus*] «fines illos audaciae lyricae, intra quos se continuerunt ceteri, migrans.» — *profundo-ore*] os rotundum, magnum, magna sonaturum (Sat. 1, 4, 44.) poëtis tribuitur ad significandam elocutionis vim atque ubertatem. Hic assumpta amnis imagine copia illa infinita mixtâ metaphorâ refertur ad amnis ostium, per quod in mare immensa aquarum vis exit. *Profundum* pertinet in primis ad imaginum sublimitatem et magnificentiam miramque sententiarum gravitatem, qua singula argumenta, per se interdum sterilia, Pindarus exornavit. *(mit tiefem Wortstrom.* Garve.).

9. *Laurea - Apollinari*] «In singulis generibus, in quibus ela-

Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit numerisque fertur
Lege solutis;

Seu deos regesve canit, deorum
Sanguinem, per quos cecidere iusta
Morte Centauri, cecidit tremendae
Flamma Chimaerae;

Sive quos Elea domum reducit
Palma caelestes pugilemve equumve
Dicit et centum potiore signis
Munere donat,

boravit, quaeque postea significantur, ille primas fert.»

10. *per audaces nova dithyrambos verba*] «Dithyrambus genus est carminis in honorem Liberi patris rhythmis vehementioribus liberioribusque compositum.» Schol. *Nova verba* vocat dithyrambicum dicendi genus maxime propter audaciorem verborum compositionem.

11. 12. *numerisque*] Quintil. 9, 4, 45: *Omnis structura ac dimensio et copulatio vocum constat aut numeris (numeros ῥυθμοὺς accipi volo) aut μέτροις. — Lege solutis*] ut certe iudicabant Horatii aequales inter Romanos de dithyramborum Pindaricorum metris; quod genus propter vehementiorem animi motum repetitionem numerorum aspernabatur.

13—15. *Seu deos*] Paeanes dicit et hymnos, ut in Iovem, Ἄμμων Ὀλύμπου δέσποτα et Δωδωναῖε μεγάσθενες, ἀριστότεχνα πάτερ. (Ed. Diss. p. 223 et 224.) Iam transit ad ἐγκώμια. — *reges*] «heroas, ἡμιθέους, deorum filios, quorum ex numero potissimum Pirithoum, Theseum, Peleum Κενταυροκτόνους et Bellerophontem, Chimaerae πῦρ πνεούσης interfectorem, memorat. — *iusta Morte*] propter raptatam Hippodamiam, Pirithoi novam nuptam. Referuntur huc Fragm. 44 et 45. Diss. p. 244: Ἀνδροδάμαντα δ' ἐπεὶ Φῆρες δᾶεν ῥιπὰν μελιαδέος οἴνου, Ἐσσυμένως ἀπὸ μὲν λευκὸν γάλα χερσὶ τραπεζᾶν Ὦθεον, αὐτόματοι δ' ἐξ ἀργυρέων κεράτων Πίνοντες ἐπλάζοντο.

17. *domum reducit*] Vitruv. Lib. 9. Praefat.: *Graecorum maiores hieronicis ita magnos honores constituerunt, uti non modo in conventu stantes cum palma et corona ferant laudes, sed etiam, cum revertantur in suas civitates*

**Flebili sponsae iuvenemve raptum**
**Plorat et vires animumque moresque**
**Aureos educit in astra nigroque**
**Invidet Orco.**

**Multa Dircaeum levat aura cycnum,**
**Tendit, Antoni, quoties in altos**
**Nubium tractus. Ego apis Matinae**
**More modoque**

**Grata carpentis thyma per laborem**
**Plurimum circa nemus uvidique**

*cum victoria, triumphantes quadrigis in moenia et in patrias invehantur, e reque publica perpetua vita constitutis vectigalibus fruantur.*

18. *caelestes*] «quos eius *ἐπινίκια terrarum dominos evehunt ad deos* (Od. 1, 1, 6.), diis aequant.» — *equumve*] Sic *Φερενίκου*, Hieronis equae, mentionem facit Olymp. 1, 18.

19. 20. *signis*] «statuis, quae hieronicis ponebantur.» — *Munere*] *ἐπινικίῳ*, cuius, utpote aeterni, maius pretium est, quam vel centum statuarum. Pind. Nem. 5, 1: *Οὐκ ἀνδριαντοποιός εἰμ', ὥστ' ἐλινύσοντά μ' ἐργάζεσθαι ἀγάλματ' ἐπ' αὐτᾶς βαθμίδος Ἑσταότα.*

21. *Flebili sponsae*] «Sive iuvenem maestae sponsae acerba morte ereptum deplorat.» Significat *Θρήνους*, quorum pulcherrimae aliquot supersunt reliquiae.

24. *Invidet Orco*] «a morte vindicat, eripit oblivioni.» Hoc ipsum egit Pind. Olymp. 8, 77: *Ἔστι δὲ καί τι θανόντεσσιν μέρος Κὰν νόμον ἐρδόμενον· Κατακρύπτει δ' οὐ κόνις Συγγόνων κεδνὰν χάριν.*

25. *Dircaeum*] a Dirce, fonte Thebano.

27. *apis*] Frequens haec comparatio. Leonid. Tar. Ep. 81. Erinnam vocat *μέλισσαν - - Μουσῶν ἄνθεα δρεπτομέναν;* sic Sophocles dictus est *Ἀτθὶς μέλισσα.* — *Matinae*] Matinus mons ad pedes Gargani in Apulia, nunc *Mattinete*, ubi mel optimum. Od. 3, 16, 33.

29. 30. *carpentis*] «*δρεπτομένης*, suecum sugentis ex thymo.» Utique iungendum *per laborem plurimum*, «*μετὰ πόνου πολλοῦ*, admodum laboriose singulos flores supervolitantis.»

Tiburis ripas operosa parvus
Carmina fingo.

Concines maiore poëta plectro
Caesarem, quandoque trahet feroces
Per sacrum clivum merita decorus
Fronde Sugambros;

Quo nihil maius meliusve terris
Fata donavere bonique divi
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.

Concines laetosque dies et Urbis
Publicum ludum super impetrato

Od. II. v. 31. *rivos* Bentl. coni.

31. 32. *ripas*] absolute, ut Od. 3, 25, 13., ubi non minus facile *Hebri* cuique in mentem venit quam hic *Anienis*. — *fingo*] πλάττω, verbo Graecis de mellificio proprio.

33. *Concines*] «ut poëta vere hoc nomine dignus, pleniore sono, grandioris spiritus carmine.» — *poëta*] quippe qui Diomedeam composuisset. «Dignius tu canes ad lyram, maius argumentum tractaturus, Augusti laudes, quas operosa mea carmina non assequuntur.»

34. *quandoque*] «quandocunque.» Est igitur: «cum ipsi aliquando placebit triumphare.»

35. *sacrum clivum*] Sacer clivus a nullo scriptore memoratur praeterquam ab Horatio. Partem fuisse Sacrae viae leniter ascendentem, diversam a clivo Capitolino, contendit Fea ad Epod. 16, 8.

36. *Sugambros*] Sic scribitur etiam apud Tac. Ann. 2, 26., ut *Suria* cet. Populus Germaniae ad Rhenum, Sigiam et Luppiam fl., qui cum Usipetis et Tencteris M. Lollium magna clade affecerunt a. u. c. 737. Hinc *caede gaudentes* vocantur Od. 4, 14, 51.

39. *in aurum*] «quamvis aureum seculum redeat.»

42. *Publicum ludum*] editis etiam muneribus gladiatoriis cet.

43. 44. *reditu*] Supersunt nummi a. u. c. 738. apud Eckhel D. N. 6. p. 163. cum inscriptione: *S. P. Q. R. V. S. (vota suscepta) Pro.*

Fortis Augusti reditu forumque
Litibus orbum.

Tum meae, si quid loquar audiendum,
Vocis accedet bona pars; et, O Sol
Pulcher! o laudande! canam, recepto
Caesare felix.

Teque, dum procedit, io triumphe,
Non semel dicemus, io triumphe,
Civitas omnis dabimusque divis
Tura benignis.

Te decem tauri totidemque vaccae,
Me tener solvet vitulus, relicta

v. 45. *loquor* B. e Codd. v. 49. *Tuque dum procedis* Codd. plerique. Mein. *Isque dum procedit* Bentl. coni.

*S.* (*salute*) ET RED. AVG. — *orbum*] «vacuum, propter iustitium indictum.

45. *si quid loquar*] Supple: «tunc»; quo nomine praestat futurum: nam hoc dicit: «Si meae laetitiae vox digna erit, quae illo die festo audiatur.» «Omnibus viribus enitar, ut carmine laetissimos meos sensus de Caesaris reditu digne exprimam, dum tu, Iule, illius res gestas atque virtutes celebras;» quae carminum argumenta prorsus sunt diversa. — «*Solem* pro die posuit, quo victor Caesar urbem ingressus est.» ACRON.

48. *Caesare felix*] «Ego felicissimum me reputans propter Augustum reducem.»

49. *Teque, dum procedit*] Triumphus h. l. velut numinis divini formam induit, quod invocent Romani (prorsus ut Epod. 9, 21.), et quidem ex eadem illa antiquissima formula, quae reperitur in Carmine Fratrum Arvalium: *Io* TRIVMPE. (sic). «Dum procedit Caesar triumphans a porta triumphali usque ad Capitolium, nos te, Triumphe, non semel, sed continuo dicemus laeta acclamatione nomen tuum ita identidem repetentes: *Io Triumphe, Io Triumphe.*»

52—56. *Tura*] Adoleri solebant tura in aris temporariis per plateas et areas, quas pompa triumphalis attingeret, exstructis. — *relicta matre*] «delactatus.» GLOSS. — *iuvenescit*] «paullatim fit iuven-

Matre qui largis iuvenescit herbis
In mea vota,

Fronte curvatos imitatus ignes
Tertium Lunae referentis ortum,
Qua notam duxit niveus videri,
Cetera fulvus.

## ODE III.

### AD MELPOMENEN.

Quem tu, Melpomene, semel
Nascentem placido lumine videris,
Illum non labor Isthmius
Clarabit pugilem, non equus impiger

v. 58. *orbem* Codd. aliq.

cus, ut a me immolatus mea vota solvat.»

57. *Fronte*] «qui cornibus imitatur Lunae tertiae, id est, tertio post interlunium die, figuram.» Significat eius cornua admodum esse parva ipsumque tenerum. — *ortum* pro die, ut Virg. Ge. 1. 432: *ortu-quarto*, item de luna.

59. 60. *Qua notam duxit*] «qua parte notam contraxit in fronte.» — *niveus videri*] λευκὸς ἰδέσθαι. Fuerunt qui reprehenderent huius carminis finem, poëtae artificio parum intellecto. Videlicet summus ἐνθουσιασμὸς in placidissima ac religiosa futuri sacrificii cogitatione tandem adquiescit.

III. Post multas illas ac diuturnas obtrectatorum et iniquorum suorum cavillationes se tandem verum atque unicum *Romanae fidicinem lyrae* a suis popularibus agnitum esse laetatur. (a. u. c. 742?)

1—5. *Melpomene*] Cfr. Od. 3, 30, 16. — *semel-videris*] «primum atque propterea ita, ut nulla alia vis malefica ei obstare et nocere postea possit.» — *placido lumine*] «Quem tu oculis benevolis primo temporis puncto, quo natus est, (ipso in horoscopo) aspexeris, is profecto nunquam in eo elaborabit, ut in Graecorum ludis publicis victor evadat, (quem honorem illi Romanorum triumpho aequiparare solebant:) neque ut rebus bellicis clarus fiat et de hostibus devictis triumphet.» De aspectu deorum opinio est antiquissima.

Curru ducet Achaico
Victorem, neque res bellica Delias
Ornatum foliis ducem,
Quod regum tumidas contuderit minas,

Ostendet Capitolio:
Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt
Et spissae nemorum comae
Fingent Aeolio carmine nobilem.

Romae principis urbium
Dignatur soboles inter amabiles
Vatum ponere me choros,
Et iam dente minus mordeor invido.

O testudinis aureae

Od. III. v. 10. *perfluunt* Fea e Codd.

Hesiod. Theog. 82. — *labor*] Sic saepe apud Pindarum de his ludis χάματος, πόνος. — *Clarabit*] «nobilitabit.» Schol. Verbum est antiquius ac poëticum. — *ducet*] «reducet in patriam.» Od. 4, 4, 31. — *Achaico*] Tunc tota Graecia a Romanis Achaia solebat appellari.

6—9. *Delias*] «lauro Apollinis in Delo insula nati.» — *contuderit*] «profligarit atque ultus sit.»

10. *Sed quae Tibur*] «Sed cum, spreta caducae gloriae specie, id unice spectet, quod per se pulchrum est cuiusque perfectam imaginem praebet ipsa rerum natura atque ante omnia amoenissimus quisque tractus, ut Tibur cum aquis suis, Aniene et Albunea, ut nemora solitaria, poëta ille evadit.» — *praefluunt*] pro volgari *praeterfluunt*, ut Od. 4, 14, 20. et apud Liv. 1, 45: *infima valle praefluit Tiberis.*

12. *Aeolio carmine*] Alcaei et Sapphus, pro toto genere lyrico. Cfr. Od. 2, 13, 24.

13. *principis urbium*] Od. 4, 14, 43: *domina Roma.* Martialis 12, 8: *Terrarum dea gentiumque Roma, Cui par est nihil et nihil secundum.*

15. 16. *Vatum*] «hoc nomine vere dignorum, cuiusmodi sunt novem illi Graecorum Lyrici»: *amabiles* autem, quatenus poëtae omnibus cari sunt. — *mordeor*] «rodor». «Gloria», inquit, «invidiam vici.»

17. 18. *testudinis aureae*] Pind.

Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas,
O mutis quoque piscibus
Donatura cycni, si libeat, sonum,
Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lyrae:
Quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.

# ODE IV.

## DRUSI LAUDES.

Qualem ministrum fulminis alitem,
Cui rex deorum regnum in aves vagas

Pyth. 1, 1: *Χρυσέα φόρμιγξ.* — *strepitum*] Sic vocat lyrae sonum etiam Epp. 1, 2, 31. Epp. 1, 14, 26.

19. 20. *mutis piscibus*] Sic etiam Graeci. Sophocl. Fragm. 700: *Χορὸς δ' ἀναύδων ἰχθύων ἐπερῥύθει.*

21. *muneris*] «Nullum meum proprium meritum, totum tuum donum ac beneficium est.»

22. seqq. *monstror digito*] in bonam partem contra nostrae linguae rationem. Pers. 1, 28: *At pulchrum est digito monstrari et dicier Hic est.* — *fidicen*] Od. 3, 30, 10. Epp. 1, 19, 24 et 35., ubi *Latinum* se *fidicinem* nominat. Ovid. Trist. 4, 10, 49: *Et tenuit nostras numerosus Horatius aures, Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.* — *spiro*] «quod inspiratus sum a Musa, quod verus me movet *ἐνθουσιασμός*.» Dioscorid. in Anth. Pal. I. p. 426. Sapphonem dicit *ἴσα πνείουσαν ἐκείναις* (*Πιερίσιν.*) Cfr. Od. 4, 6, 29.

IV. Drusi res gestas egregiis laudibus celebrat, ita ut eius virtutes educationi, qua eum formarat Augustus vitricus, in primis deberi significet. (a. u. c. 739.) Claudius Drusus Nero, minor frater Tiberii, natus a. u. c. 716. XXIII. annorum adolescens a. u. c. 739. una cum illo Raetos Vindelicosque debellavit, postea consul a. u. c. 745. in expeditione Germanica mortem obiit. Tacit. Ann. 1, 33. *Drusi magna apud populum Romanum memoria; crederetur, si rerum potitus foret,* (Augustus enim una cum populo eum Tiberio longe anteferebat:) *libertatem redditurus.* «Haec est Ecloga, propter quam totus hic liber editus est.» PORPHYRION.

Permisit expertus fidelem
Iuppiter in Ganymede flavo,

Olim iuventas et patrius vigor
Nido laborum propulit inscium
Vernique iam nimbis remotis
Insolitos docuere nisus

Venti paventem, mox in ovilia
Demisit hostem vividus impetus,
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis atque pugnae;

Qualemve laetis caprea pascuis
Intenta fulvae matris ab ubere

1. *Qualem*] Protasis procedit usque ad v. 16: «Qualem novellam aquilam -- qualemve leonem, talem videre Vindelici Drusum adolescentem.» — *ministrum fulminis*] Aquila Iovis fulmina custodit atque ei iacienda porrigit.

2. *regnum*] Sic Pindaro aquila est ἀρχὸς οἰωνῶν (Pyth. 1, 7.), οἰωνῶν βασιλεὺς (Ol. 13, 21. B.). — *aves vagas*] «ἠεροφοίτους.»

4. *in Ganymede*] Ex Horatii igitur mente aquila, Iovis ministra sive famula, Ganymedem, Trois filium, rapuerat: alii Iovem ipsum eo consilio sese in aquilam mutasse narrant. Lucian. Dial. D. A. Fundus fabulae est Iliad. υ, 232: ἀντίθεος Γανυμήδης, Ὃς δὴ κάλλιστος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων· Τὸν καὶ ἀνηρείψαντο θεοὶ Διὶ οἰνοχοεύειν Κάλλεος εἵνεκα οἷο, ἵν' ἀθανάτοισι μετείη.

5. *Olim*] frequenter usurpatur in fabellis et exemplis de tempore infinito, quo aliquid factum est aut fieri solet, ut Epod. 3, 1. Sat. 1, 1, 25. Epp. 1, 10, 42. Virg. Aen. 8, 391.

6. *propulit*] «impulsu quodam naturali nido foras expulit.»

7. 8. *Vernique*] «iam nimbis hibernis cessantibus, cum sudum est caelum.» Primo enim vere, ineunte mense Aprili, interdum iam exeunte m. Martio aquila per dies XXI. ovis incubat. — *nisus*] «alarum verbera, remigium.» Lucret. 6, 834: *pinnarum nisus inanis.*

9. 10. *paventem*] «primo conatu pavidum; sed mox audacter cum acri impetu defertur in praedam.»

11. *reluctantes*] Plin. H. N. 10, 4: *Draco multiplici nexu alas aquilae ligat, ita se implicans, ut simul*

Iam lacte depulsum leonem
Dente novo peritura vidit:

Videre Raetis bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici; quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia securi

Dextras obarmet, quaerere distuli,
Nec scire fas est omnia; sed diu
Lateque victrices catervae
Consiliis iuvenis revictae

Od. IV. vv. 18—22. *Videre Raetis bella sub Alpibus Drusum gerentem Vindelici; et diu* mediis omissis Guietus. v. 24. *repressae* Bentl. e Cod. Graev.

*decidat.* — *amor dapis*] «cibi cupiditas.» Admirabili arte tres describit veluti gradus aquilae vires suas paullatim explicantis.

15. 16. *lacte depulsum*] unam notionem exprimit, quam posteriore aetate, ut e Glossariis constat, uno verbo *ablactatus* vel *delactatus* signarunt. Hinc recte adiungi poterat *ab ubere*, «a mamma.» — *Dente novo*] «novelli leonis, tunc primum praedam rapturi.» — *peritura*] «certo exitio destinata.»

17. *Raetis*] pro Raeticis. Haec autem, ut docent Inscriptt., rectior scriptura quam *Rhaetis*. «Sua in vicinia ad radices septentrionales Alpium Raeticarum Vindelici primum viderunt, quomodo Drusus bellum gereret adversus Raetos, postea ipsi eum senserunt»; id est, detracto omni ornatu ac sermone poëtico: «Vindelici, acceptis nuntiis de Raetorum clade, ipsi quoque pro vicinis suis ac sociis et pro eadem libertatis causa arma sumpsere contra Romanos; mox tamen etiam ipsi Drusi virtutem bellicam experti, ab eo devicti sunt.»

18. *quibus*] «quorum mos in proeliis semper securibus utendi (quemadmodum solebant, ut tradunt poëtae, Amazones, *securigerae puellae* (Ovid. Her. 4, 117.) *unde* sit *deductus*, quam ob causam apud eos inde ab antiquissimis temporibus invaluerit, equidem investigare nolui; inane enim fuisset studium, cum multa eiusmodi semper nos lateant necesse sit.»

21. 22. *obarmet*] «firmiter armet proeliaturos.» — *distuli*] «quaerere supersedeo, non vacat.» — *Nec scire fas est omnia*] Hoc quidem refert antiquissimo-

Sensere, quid mens rite, quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.

Fortes creantur fortibus et bonis;
Est in iuvencis, est in equis patrum
Virtus neque imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam:

Doctrina sed vim promovet insitam
Rectique cultus pectora roborant;
Utcunque defecere mores,
Indecorant bene nata culpae.

v. 36. *Dedecorant* volgo.

rum temporum sensum, cum mortales deorum voluntate negatam sibi esse rerum in primis ad religiones pertinentium cognitionem timide agnoscerent. Nec sine causa Scaliger comparari iussit Pind. Nem. 5, 16: *στάσομαι· οὔ τοι ἅπασα κερδίων Φαίνοισα πρόσωπον ἀλάθει· ἀτρεκής· Καὶ τὸ σιγᾷν πολλάκις ἐστὶ σοφώτατον ἀνθρώπῳ νοῆσαι.*

23. 24. *catervae*] utpote de barbaris. — *revictae*] Graviter et cum vi *victrices* - - *revictae*, «prorsus victae», ut Cic. pro Sulla 1. non minus singulariter: *perditi cives, redomiti atque victi.*

25 — 28. *mens*] ad virtutes intelligentiae, sagacitatem, prudentiam, *indoles* ad animi virtutes, fortitudinem, clementiam, fidem pertinet. — *rite*] «bene ac recte.» Verba tria sunt religiosa, *rite*, *faustus*, «cui dii favent», *penetralia*, «veluti dei domicilium.» — *Nerones*] «in privignos Tiberium et Drusum.»

29. *fortibus et bonis*] ablativi sunt, non dativi. Est formulae instar: Epp. 1, 9, 13: *et fortem crede bonumque.* «Tiberius et Drusus utique genus ducunt ab antiquis illis Claudiis, viris fortibus et bonis; sed educatio eorum, cuius curam gessit Augustus, bonam iuvenum indolem excoluit.» *Innutritum caelestium praeceptorum disciplinis* Tiberium dicit Vellei. 2, 94.

34. 35. *Rectique cultus*] «Recta educatio animum fortem reddit et exemplo et exercitationibus.» — *Utcunque*] «Verum simulac recta morum disciplina patribus deest, prava educatione etiam bona liberorum indoles corrumpi solet.»

36. *Indecorant*] Volgari *dedecorant* a poëta praelatum esse ver-

Quid debeas, o Roma, Neronibus;
Testis Metaurum flumen et Hasdrubal
Devictus et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,

Qui primus alma risit adorea,
Dirus per urbes Afer ut Italas
Ceu flamma per taedas vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.

Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit et impio
Vastata Poenorum tumultu
Fana Deos habuere rectos,

bum rarius (usurpavit Accius apud Non. p. 125. Merc.) satis demonstrat etiam Cod. c., in quo ex utraque lectione coniuncta ortum est monstrum *indedecorant*.

38. *Metaurum flumen*] ut Od. 2, 9, 21: *Medum flumen*, A. P. 18. *Rhenum flumen*. Metaurus ex Piceni finibus oritur. — *Hasdrubal*] A. u. c. 547. C. Claudius Nero cos. cum Hasdrubalem, Hannibalis fratrem, cum nova belli mole Italiae faucibus imminere intellexisset, relictis clam cum delecto milite, quae in Lucania adversus Hannibalem tenebat, castris, in Umbriam profectus, Hasdrubalis exercitum praevalidum collatis cum M. Livio Salinatore signis ad Metaurum flumen adgressus, maxima clade penitus contrivit. Liv. 27, 43. Val. Max. 2, 9.

41. *adorea*] donatio, a. v. adore (*Dinkel*, *Spelt*.). Iam cum de re publica bene meriti antiquis temporibus farre donarentur, hinc factum est, ut v. *adorea* pro praemio atque adeo pro laude, gloria, honore usurpari coeptum sit. Glossar.: *adorea*, *δόξα ἢ ἀπὸ τοῦ πολέμου*. Plin. 18, 3: *Gloriam a farris honore adoream appellabant*.

42—44. *ut*] «ex quo.» — *taedas*] «silvam piniferam, *Kiengehölz*.» — *equitavit*] Eurip. Phoen. 210: *Τπὲρ ἀχαρπίστων πεδίων Σικελίας Ζεφύρου πνοαῖς Ἱππεύσαντος*.

45. 46. *secundis*] «Exinde exercitus Romani feliciores in dies superioresque hostibus fieri coeperunt, auctaque est res Romana.» Polyb. 11, 3. de victoria illa ad Metaurum fl.: *καθόλου δ' εἰς τοιαύτην εὐελπιστίαν παρεγένοντο καὶ θάρσος, ὥστε πάντας*

Dixitque tandem perfidus Hannibal:
Cervi, luporum praeda rapacium,
Sectamur ultro, quos opimus
Fallere et effugere est triumphus.

Gens, quae cremato fortis ab Ilio
Iactata Tuscis aequoribus, sacra,
Natosque maturosque patres
Pertulit Ausonias ad urbes,

Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigrae feraci frondis in Algido,
Per damna, per caedes ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

τὸν Ἀννίβαν, ὃν μάλιστα χρότερον ἐφοβήθησαν, τότε μηδ' ἐν Ἰταλίᾳ νομίζειν παρεῖναι. — *impio*] propter deorum delubra violata.

47. 48. *tumultu*] h. l. de bello internecino, ut dicebant *tumultum Italicum, Gallicum.* Cic. Phil. 8, 1. *gravius tumultum esse quam bellum* demonstrat. — *rectos*] «simulacra, quae deiecerat Hannibal, reposita in bases suas in perpetuumque restituta sunt.»

49. *Dixitque tandem*] Liv. 27, 51: *C. Claudius consul cum in castra redisset, caput Hasdrubalis, quod servatum cum cura attulerat, proiici ante hostium stationes captivosque Afros, vinctis ut erant, ostendi, duos etiam ex iis solutos ire ad Hannibalem et expromere, quae acta essent, iussit. Hannibal tanto simul publico familiarique ictus luctu, agnoscere se fortunam Karthaginis. fertur dixisse.* — *perfidus*] Liv. 21, 4. *perfidiam plus quam Punicam* ei tribuit.

51. 52. *Sectamur ultro*] «Caeco impetu abrepti eos aggredimur.» — *opimus*] Memor formulae *opima spolia* opimum triumphum nove dixit pro amplo et magnifico.

53. 54. *fortis*] iunge cum v. *pertulit*, pro «summa fortitudine advexit.» — *sacra*] Vestam et Penates. Virg. Aen. 2, 293.

57. 58. *tonsa*] «Ilex ramis amputatis laetius pullulat.» — *Algidus*, mons Latii, Dianae sacer.

59. 60. *Per damna*] Cfr. Karthaginiensium lamenta apud Liv. 29, 3: *Illis* (Romanis) *Romanam plebem, illis Latium iuventutem praebuisse maiorem semper frequentioremque pro tot caesis exercitibus subolescentem.* — *Ducit*] «acquirit, sumit; laetior revirescit.»

Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem,
Monstrumve submisere Colchi
Maius Echioniaeve Thebae.

Merses profundo, pulchrior exiet;
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem geretque
Proelia coniugibus loquenda.

Carthagini iam non ego nuntios
Mittam superbos: occidit, occidit
Spes omnis et fortuna nostri
Nominis, Hasdrubale interempto!

v. 65. *evenit* volgo. Secutus sum Feae Codd.

61. *Hydra*] Ovid. Met. 9, 69. Seneca Herc. fur. 529: *Serpentis resecet colla feracia.*

63. 64. *submisere*] «unum post alterum protulere»; ut ἀναπέμπειν. — *Colchi*] satis ab Iasone draconis dentibus. — *Echioniae*] Echion, unus terrigenarum (τῶν σπαρτῶν) ex draconis a Cadmo interempti dentibus ortorum cum quattuor aliis post pugnam inter fratres superstes, gener Cadmi, quem in Thebis condendis adiuvit, Agaves maritus, Pentheï pater. Apollod. 3, 4, 1.

65. *Merses*] «Si mersaris, licet merses in alto mari, pulchrior ac fortior exibit.» — *exiet*] statuendum est archaismo h. l. usum esse poëtam; nam seqq. futura satis muniuntur ab optimis Codd.

68. *coniugibus loquenda*] «de quibus coniuges Romanorum et cum filiis et inter se cum voluptate iustaque gloriatione verba faciant.» Similem Hannibalis orationem habes apud Liv. 27, 14: «*Cum eo nimirum*», *inquit*, «*hoste res est, qui nec bonam nec malam ferre fortunam potest. Seu vicit, ferociter instat victis; seu victus est, instaurat cum victoribus certamen.*»

69. *nuntios-superbos*] Liv. 23, 11: post cladem Cannensem Mago Karthaginem missus, illa enarrata: *ad fidem tam laetarum rerum effundi in vestibulo curiae iussit anulos aureos* (equitum Romanorum in illa acie caesorum:) *qui tantus acervus fuit, ut metientibus dimidium super tres modios explesse sint quidam auctores.*

72. *Hasdrubale interempto*] Liv.

Nil Claudiae non perficient manus,
Quas et benigno numine Iuppiter
Defendit et curae sagaces
Expediunt per acuta belli.

## ODE V.

### AD AUGUSTUM.

Divis orte bonis, optime Romulae
Custos gentis, abes iam nimium diu:
Maturum reditum pollicitus patrum
Sancto concilio redi.

v. 73. *perficiunt* B. e Codd.

Od. V. v. 4. *consilio* Fea e Codd.

28, 12: *Post Hasdrubalis exercitum cum duce, in quibus spes omnis repositâ victoriae fuerat, deletum, cedendo in angulum Bruttium cetera Italia concessum.*

73. 74. *Nil Claudiae*] Non, ut alii volunt, haec ex poëtae persona dicta sunt, sed Hannibali tribuenda; quae ratio et magis honorifica est Neronibus, «quibus prosperata fortunam vaticinatus sit etiam hostis, iustus virtutis eorum aestimator», et magis poëtica, quippe cum sic carmen exeat in Hannibalis vaticinium.

75. 76. *curae sagaces*] «ipsorum diligentia cum ingenio ac prudenti consilio coniuncta.» — *Expediunt*] «felicem susceptorum periculorum exitum praebent.» Virg. Aen. 2, 632: *ducente deo flammam inter et hostes Expedior.* — *per acuta belli*] «per graves belli molestias atque omnis generis discrimina.» Liv. 6, 32: *subita belli.* 33, 11: *aspera belli.* H. l. fere dictum, ut *morbi acuti*, vehementes celeremque mortem minantes.

V. Augustus rebus Gallicis, Germanicis Hispanicisque omnibus confectis, Druso in Germania relicto, Romam reversus est a. u. c. 741. (Dio Cass. 54, 25.) Paullo ante eius reditum Horatius hanc Oden composuit, Drusi laudes hic Augusti laudibus excipiens, eadem ratione, qua Tiberii praeconium Od. 4, 14. subsequitur laus Augusti.

1—4. *bonis*] «diis propitiis nate; quem deorum benevolentia nobis principem dedit.» — *nimium diu*] a mense Septembri a. u. c.

Lucem redde tuae, dux bone, patriae;
Instar veris enim voltus ubi tuus
Affulsit populo, gratior it dies
Et soles melius nitent.

Ut mater iuvenem, quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris aequora
Cunctantem spatio longius annuo
Dulci distinet a domo,

Votis ominibusque et precibus vocat,
Curvo nec faciem litore dimovet;
Sic desideriis icta fidelibus
Quaerit patria Caesarem.

Tutus bos etenim rura perambulat,

738. usque ad m. Febr. 741. — *Sancto concilio*] Ut frequenter dicitur *concilium deorum*, *caelestium*, sic etiam senatus Romani.

5 — 8. *Lucem*] «Felicem redde patriam reditu tuo.» Aeschyl. Pers. 299. de Xerxis reditu: *Ἐμοῖς μὲν εἶπας δώμασιν φάος μέγα Καὶ λευκὸν ἦμαρ νυκτὸς ἐκ μελαγχίμου.* — *Affulsit*] in prosa or. «arrisit.» Sed occupat metaphoram de solis radiis v. 8. — *it*] «procedit», ut Od. 2, 14, 5: *quotquot eunt dies.* — *melius*] «splendidius ac gratius.»

9. 10. *invido*] «qui matri amanti reditum filii invidet: adversus cum sit, reditum eius impedit.» — *Carpathii*] Od 1, 35, 8.

11. *spatio annuo*] intra quod mercatores ex Italia in Asiam navigare atque redire solebant.

13. *Votis*] Liv. in praefat. extr.: *cum bonis ominibus votisque et precationibus.*

15. *icta*] «percussa, affecta.» Frequentius de doloribus, metu, luctu; tamen etiam Lucret. 2, 360: *desideriis perfixa.* Aeschyl. Agam. 544.: *ἱμέρῳ πεπληγμένος.*

17. *rura perambulat*] Consulto immoratur in *ruris* et imagine et nomine; hinc grata eius repetitio.

18 — 20. *Nutrit rura*] «fertilia reddit.» Silius 12, 375: *arva - - Cereris nutrita favore.* — *Faustitas*] *ἄπαξ λεγόμενον.* Schol.: «Nove Felicitas dicta.» — *Culpari metuit*] «Non culpatur cuiusquam fides, quia nemo est, qui eam,

Nutrit rura Ceres almaque Faustitas,
Pacatum volitant per mare navitae,
Culpari metuit Fides.

Nullis polluitur casta domus stupris,
Mos et lex maculosum edomuit nefas,
Laudantur simili prole puerperae,
Culpam poena premit comes.

Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?
Quis Germania quos horrida parturit
Fetus incolumi Caesare? quis ferae
Bellum curet Hiberiae?

Condit quisque diem collibus in suis,
Et vitem viduas ducit ad arbores;

v. 18. *Nutrit farra* B. coni.

violet; sed sancte servatur ab omnibus.»

22—24. *maculosum*] h. l. de adulteriis. Tacit. Hist. 1, 7: *avaritia et libidine foedus ac maculosus.* — *edomuit*] «prorsus domuit atque emovit.» — *simili prole*] Iam Hesiodus Oi. et D. 232: in ceteris hominum iustorum praemiis hoc quoque enumerat: Τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσιν. — *Culpam*] «Culpam ita celeriter insequitur poena, ut pede pedem premat.»

25—28. *Scythen*] Od. 3, 8, 23. Carm. sec. 55. — *horrida*] H. l. maxime propter truces atque horridos incolas, ut Epod. 16, 7: *fera caerulea Germania pube.* — *parturit*] rariore usu pro: «parere, edere solet.» — *Fetus*] grandes, truces atque deformes, contemplim, veluti monstra. Manil. 4, 713: *Flava per ingentes surgit Germania partus.* — *ferae*] Feros vocat Cantabros, quod tandiu tam saepe rebellarant adversus Romanos ac vix tandem domari potuerant a. u. c. 734.

29—32. *Condit*] «diem totum usque ad vesperam tranquillo animo traducit in vineis suis neque incursionum hostilium metu ab opere rustico deterretur.» — *collibus in suis*] Consulto addit *suis*, ut significet laetitiam, qua agricola sua possessione fruitur. — *viduas*] Viduae dicuntur ulmi, populi similesque arbores, antequam iungantur vitibus, iunctae autem

Hinc ad vina redit laetus et alteris
Te mensis adhibet deum;

Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris et Laribus tuum
Miscet numen, uti Graecia Castoris
Et magni memor Herculis.

Longas o utinam, dux bone, ferias
Praestes Hesperiae, dicimus integro
Sicci mane die, dicimus uvidi,
Cum Sol Oceano subest.

v. 31. *venit* B. c Codd.

maritae vocantur. — *redit*] «domum suam ab opere rustico et secundis mensis tibi ut deo libationem offert.» Verba *Te mensis adhibet deum* explicantur sequentibus. Virg. Aen. 5, 62: *adhibete Penates Et patrios epulis et quos colit hospes Acestes.*

33—35. *prosequitur mero*] Ut dicimus «laudibus, veneratione, votis aliquem *prosequi*», sic h. l. mero, libationis honore. Est ergo: «una cum Laribus suis te veneratur ac pacem tuam invocat.» — *Defuso*] v. proprium de libationibus. Val. Max. 2, 6, 8: *tum defusis Mercurio libamentis.* — *uti Graecia*] «ut Graecia memor Castoris et Herculis eos inter deos honorat.»

37. — 39. *ferias*] «dies festos, securitatis ac laetitiae plenos;» *longas* autem, id est, «diu, precamur, vivas:» ut Od. 1, 2, 46. — *Integrum diem* vocat cum maxime incipientem adeoque intactum, cui nulla dum pars dempta est. Diversus est *solidus dies* Od. 1, 1, 29. — *uvidi*] βεβρεγμένοι, vino madidi, poti.

# ODE VI.

## AD APOLLINEM.

Dive, quem proles Niobea magnae
Vindicem linguae Tityosque raptor
Sensit et Troiae prope victor altae
Phthius Achilles.

Ceteris maior, tibi miles impar; 5
Filius quamvis Thetidis marinae

VI. Est veluti προοίμιον carminis secularis (a. u. c. 737.); quo Apollinis pacem ac favorem, ex vetere hymnorum consuetudine admirandis ejus factis celebratis implorat, ut et ipse poëta et puerorum virginumque chori mox munere suo rite fungi possint. Praecipue autem immoratur in Achille a deo interfecto, propterea quod ob illius interitum Troia non funditus deleta, Aenea servato condi potuit Urbs aeterna. Deinde ad choros se convertens, etiam atque etiam eos exhortatur, ut, quantum in ipsis sit, officio imposito satisfaciant, cuius recte persoluti memoria aliquando gratissima iis sit futura.

1. 2. *Dive*] Post longam parenthesin repetitur allocutio v. 25. *Doctor*. — *Niobea*] Cum Niobe, Amphionis, regis Thebarum, uxor, cui septem filios totidemque filias pepererat, se prolemque suam Latonae eiusque liberis antetulisset et matronas Thebanas ab illius deae cultu absterruisset, Apollo et Diana matris fratae iussu Niobidas omnes sagittis confixerunt. Iliad. ω, 602. Ovid. Met. 6, 155. — *magnae--linguae*] «immodicae iactantiae;» unde Callimacho H. Del. 96. est κακόγλωσσος. — *Tityos*] Cfr. Od. 3, 4, 77. Pind. Pyth. 4, 90: καὶ μὰν Τιτυὸν βέλος Ἀρτέμιδος ϑήρευσε κραιπνόν. Ab Apolline et Diana sagittis confixum tradit Pausanias 3, 18, 9. — *raptor*] Latonae; auctore vero Euphorione apud Schol. Apollod. 1, 181., Dianae.

3. 4. *prope victor*] interempto Hectore. — *altae*] Odyss. γ, 130: Πριάμοιο πόλιν διεπέρσαμεν αἰπήν. — *Phthius*] Myrmidones, quorum dux erat Achilles, Phthiotidis regionis in Thessalia erant incolae.

5. 6. *Ceteris*] Iliad. α, 412: ἄριστος Ἀχαιῶν appellatur. — *tibi miles impar*] Iliad. χ, 358.

Dardanas turres quateret tremenda
Cuspide pugnax.

Ille mordaci velut icta ferro
Pinus aut impulsa cupressus Euro,
Procidit late posuitque collum in
Pulvere Teucro.

Ille non inclusus equo Minervae
Sacra mentito male feriatos
Troas et laetam Priami choreis
Falleret aulam;

Sed palam captis gravis, heu nefas heu,
Nescios fari pueros Achivis

Hector Achilli: *Φράζεο νῦν, μή τοί τι θεῶν μήνιμα γένωμαι Ἥματι τῷ, ὅτε κέν σε Πάρις καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων Ἐσθλὸν ἐόντ' ὀλέσωσιν ἐνὶ Σκαιῇσι πύλῃσιν.*

7. *turres*] *πύργους.* — *quateret*] «labefactaret pugnax cuspide,» de qua Iliad. τ, 387: *Ἐκ δ' ἄρα σύριγγος πατρώϊον ἐσπάσατ' ἔγχος, Βριθύ, μέγα, στιβαρόν· τὸ μὲν οὔ τινα ἄλλος Ἀχαιῶν Πάλλειν, ἀλλά μιν οἷος ἐπίστατο πῆλαι Ἀχιλλεύς.*

9—11. *mordaci*] «vi fortiter impacto.» Iliad. π, 482: (*Πάτροκλος*) *Ἥριπε δ', ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν ἢ ἀχερωΐς κτλ.* — *impulsa*] «deiecta in terram.» — *Procidit late*] Odyss. ω, 39: *σὺ δ' ἐν στροφάλιγγι Κονίης Κεῖσο μέγας μεγαλωστὶ, λελασμένος ἱπποσυνάων.*

13—16. *equo*] Odyss. δ, 272: *Ἵππῳ ἐνὶ ξεστῷ, ἵν' ἐνήμεθα πάντες ἄριστοι Ἀργείων Τρώεσσι φόνον καὶ κῆρα φέροντες.* — *Minervae*] quem simularant Graeci a se constructum esse, ut Minervam propter Palladii raptum iratam placarent. Virgil. Aen. 2, 17: *Votum pro reditu simulant* cet. — *male feriatos*] «intempestive et magno suo malo diem festum celebrantes.» — *falleret aulam*] «clam irrupisset in regiam.»

17. 18. *palam captis*] «aperto Marte, non insidiis, devictis perniciosus.» — *gravis*] Sic Alexander *βαρὺς Πέρσαις* Theocr. 17, 19. — *Nescios fari*] Il. ζ, 57: *μήτις ὑπεκφύγοι αἰπὺν ὄλεθρον Χειρὰς θ' ἡμετέρας· μηδ' ὄντινα γαστέρι μήτηρ Κοῦρον ἐόντα φέροι, μηδ' ὃς φύγοι.*

Ureret flammis, etiam latentem
Matris in alvo;

Ni tuis victus Venerisque gratae
Vocibus divom pater annuisset
Rebus Aeneae potiore ductos
Alite muros.

Doctor argutae fidicen Thaliae,
Phoebe, qui Xanthio lavis amne crines,
Dauniae defende decus Camenae,
Levis Agyieu.

Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem

Od. VI. v. 21. *flexus* Bentl. e Cod. Bland. v. 25. *Doctor* Codd. aliq. Ibid. *Argivae* Fea e Codd.

23. *potiore alite*] «melioribus auspiciis exstructos.» *Ducere* idem atque Graecorum ἐλαύνειν. Odyss. η, 86: Χάλκεοι μὲν γὰρ τοῖχοι ἐληλάδατ' ἔνδα καὶ ἔνδα. Virg. Aen. 1, 423: *pars ducere muros.*

25. *Doctor*] Apollo est veluti χοροδιδάσκαλος Musarum. Idem apud Euripidem Med. 425. vocatur ἀγήτωρ μελέων. Tamen non ausus est Bentleius edere *ductor.* — *argutae*] «canorae, sonorae, λιγείας, quod ἐπίθετον Musis tribuit iam Alcman Fragm. 1.

26. *Xantho*] Non de Scamandro, Troadis fluvio, sed de eiusdem nominis fl. Lyciae accipiendum propter Pataram, huius regionis urbem. Memoratur flu Lyciae fl. Il. β, 877.

27. 28. *Dauniae*] Latinae, ab antiquo Apuliae nomine. «Fac, ut carmen meum seculare honori atque ornamento sit poësi Latinae.» — *Levis*] «imberbis, perpetuo iuvenis.» — *Agyieu*] Macrob. Sat. 1, 9: *Apud Graecos Apollo cōlitur, qui Ὑγιαῖος vocātur, eiusque aras ante fores suos celebrant, ipsum exitus et introitus demonstrantes potentem; idem Apollo apud illos et ἀγυιεὺς nuncupatur, quasi viis praepositus urbanis.*

29. Nexus inter hanc strophen et praecedentes hic est: «Preces meas Apollo iamiam exaudivit; ipse me poëtico furore perculit:» unde missas faciens preces, quibus doni illius compoti iam non opus est, fiduciae plenus se ipsum poëtam profitetur. — *Spiritum*] ἐνθουσιασμόν, qui arti opponitur. Tria autem haec per-

Carminis nomenque dedit poëtae.
Virginum primae puerique claris
Patribus orti,

Deliae tutela deae fugaces
Lyncas et cervos cohibentis arcu,
Lesbium servate pedem meique
Pollicis ictum,

Rite Latonae pueruni canentes,
Rite crescentem face Noctilucam,
Prosperam frugum celeremque pronos
Volvere menses.

Nupta iam dices: Ego dis amicum,
Seculo festas referente luces,

ficiunt poëtam tali nomine dignum, ingenium, studium, fama utrique respondens.

31. *Virginum primae*] «nobiles.» Erant autem virgines et pueri patrimi et matrimi, ex gentibus patriciis, parentibus confarreatis geniti.

33—36. *tutela*] «qui estis in tutela Dianae.» Catull. 34, 1: *Dianae sumus in fide puellae et pueri integri.* — *cohibentis*] «sistentis in fuga, dum eos sagittis trafigit.» — *Lesbium*] metrum Sapphicum. — *Pollicis ictum*] Non de ipsa citharae pulsatione, sed de carminis ῥυθμῷ, qui pollicis motu indicabatur, loquitur. (*Tactschlag.*)

37. 38. *Rite*] «ex ritu in his caerimoniis antiquitus nobis tradito.» — *face*] lumine. Diana Lucifera in antiquis monumentis aut lunam crescentem s. falcatam in capite habet aut facem dextra tenet aut utroque symbolo ornata conspicitur. — *Noctiluca*] νυκτιφαής, νυκτιλαμπής Varro L. L. 5, 68: *Luna - - dicta Noctiluca in Palatio; nam ibi noctu lucet templum.*

39. *Prosperam frugum*] Graeca constructione, «prosperantem fruges celeriterque cursu suo singulos menses ad finem perducentem.» — *pronos*] «celeriter praetereuntes.»

41—44. *Nupta*] «Aliquando gratissima tibi erit festorum horum dierum recordatio.» — *luces*] Per triduum et trinoctium celebrabantur ludi seculares. — *Reddidi*] «Cantu, gestu, saltatione expressi ego, quae studiose et facili opera didiceram, Horatii versus.»

Reddidi carmen docilis modorum
Vatis Horati.

---

# ODE VII.

## AD TORQUATUM.

Diffugere nives, redeunt iam gramina campis
Arboribusque comae;
Mutat terra vices et decrescentia ripas
Flumina praetereunt;

Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
Ducere nuda chores.
Immortalia ne speres, monet annus et almum
Quae rapit hora diem.

VII. Hunc Torquatum, ad quem est etiam Ep. 1, 5., plerique nunc habent pro nepote L. Manlii Torquati, quo consule a. u. c. 689. natus est Horatius, nonnulli olim pro consulis filio, qui tamen ante a. u. c. 709. (Cic. Brut. 76.) in Hispania interiit. (Bell. Afric. 96.) Verum cum de L. Manlii Torquati nepote nihil omnino constet, probabilior sane est Marcilii et Weicherti coniectura intelligendum esse C. (in Fastis Capitol.: Q.) Nonium Asprenatem, consulem postea suffectum a. u. c. 748., de quo Sueton. Oct. 43: *In Troiae ludicro C. Nonium Asprenatem lapsu debilitatum aureo torque donavit passusque est ipsum posterosque Torquati ferre cognomen.* (a. u. c. 738?)

1—4. *Mutat terra vices*] dictum est fere ut πόνον πονεῖν, μάχην μάχεσθαι, in prosa orat.: «patitur, subit vices annuas, mutantur terrae vices, cum ex hiemali vernam speciem assumit.» — *decrescentia*] Alpium et Apennini nivibus cito liquefactis primo vere intumescunt Italiae flumina; mox adulto vere decrescunt et se continent intra ripas suas; itaque eas *praetereunt*, id est, iuxta ripas labuntur, neque eas evaganturs *(verbei rollen)*.

5. *Gratia cum - - geminis*] id est «Gratiae tergeminae», Euphrosyne, Aglaia, Thalia.

7—12. *Immortalia ne speres*] Simonides Fr. 60: Θνητῶν δ' ἄφρα τις ἄνδος ἔχῃ πολυήρατον ἥβης, Κοῦφον ἔχων θυμὸν πόλλ'

Frigora mitescunt Zephyris; ver proterit aestas
Interitura, simul
Pomifer Autumnus fruges effuderit, et mox
Bruma recurrit iners.

Damna tamen celeres reparant caelestia lunae;
Nos, ubi decidimus,
Quo pater Aeneas, quo dives Tullus et Ancus,
Pulvis et umbra sumus.

Quis scit an adiiciant hodiernae crastina summae

Od. VII. v. 15. *pius Aeneas* Codd. aliq. Ibid. *Tullus, dives et Ancus* B. e Codd.

ἀτέλεστα νοεῖ. Οὔτε γὰρ ἐλπὶδ' ἔχει γηραλέην οὔτε θανέεσθαι. — *almum*] diem vocat, quod sol, qui diei praeest, omnia alit. Est ἐπίθετον perpetuum, ut ἱερὸν ἦμαρ. Virg. Aen. 5, 64: *si nona diem mortalibus almum Aurora extulerit.* — *hora*] Hic non dea vicissitudinis, nec temporum universe, sed proprie horae singulae, ut patet ex vv. *annus* et *diem*. — *proterit*] «pellit, fugat.» *(drängt zurück.)* — *effuderit*] e sinu suo vel ex Amaltheae cornu. Cfr. Epod. 2, 17. — *iners*] «nihil producens.» Od. 2, 9, 5: *glacies iners.*

13. *Damna*] «Luna quoque decrescendo quasi *damna* accipit; quae *tamen* semper reparantur.» Lunae cum *damna* tribuit, proprie locutus est de illa, ut ait Plin. 2, 9, 6., *senescente semper aut crescente.* Manil. 2, 94: *Ad Lunae motum variant animalia corpus, Et tua damna, tuas imitamur, Delia, vires.*

15. *Quo pater Aeneas*] Solitum ἐπίθετον Virgilianum *pius* multis librariis magis placuit, quamquam etiam Aen. 1, 467. ac saepius est *pater Aeneas. Dives* autem ex volgi opinione de opibus ac potentia veterum regum, quorum statuas in Capitolio collocatas quotidie videbant. Sic Liv. 1, 31: *in magna gloria magnisque opibus regnum Tulli ac totam rem Romanam* fuisse dicit. Anci autem memoria in primis cara Romanis. Lucretius Ennium imitatus 3, 1038: *Lumina sis oculis etiam bonus Anci reliquit.* Epp. 1, 6, 27: *Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus.*

17 — 20. *hodiernae - summae*] temporum, dierum nostrorum, οἳ θνητοὶ πελόμεσθα, τὸ δ' αὔριον οὐκ ἐσορῶμες. — *animo*] In Latina lingua aliquanto significantius quam φίλῃ ψυχῇ χαριζόμενος, maxime cum v. *animus* h. l. significet non mentem, sed facultatem appetendi ea, quae delectabilia vi-

Tempora di superi?
Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
Quae dederis animo.

Cum semel occideris et de te splendida Minos
Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.

Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum,
Nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

dentur, unde, ut *Genio indulgere, Genio bonâ facere* (Plaut. Pers. 2, 3, 11.), ita etiam dicunt *animo morem gerere, animo obsequi.*

21 — 23. *splendida - - arbitria*] «indicium sollemne atque augustum», pro tribunali, qui praeest Minos, severa dignitate. — *genus*] Cum C. Nonius Asprenas Troiae ludicro adhibitus fuerit ab Augusto, iam hoc indicio est *clarae stirpis* eum fuisse. Cfr. Suet. Oct. 43. Quodsi Torquatus *Manliae* gentis fuit, patricia haec et nobilissima erat. — *facundia*] quam praedicat etiam Epp. 1, 5.

25. *Diana*] quae apud Eurip. Hippol. 1437. ita Hippolyto valedicit: *Καὶ χαῖρ' · ἐμοὶ γὰρ οὐ θέμις φθίτους ὁρᾶν.* — *pudicum*] «Phaedrae novercae amori caste resistentem.»

28. *Pirithoo*] Pirithous, Iovis filius ex gente Lapitharum artissimo amicitiae vinculo cum Theseo iunctus, Hippodamia uxore praematura morte exstincta, nullius in posterum nisi Iovis filiae petere coniugium sibi proposuerat. Itaque *Taenaria porta* (ut Ovidius dicit Pont. 2, 3, 43.) *Pirithoum Theseus Stygias comitavit ad undas*, ut Proserpinam Pirithoo conciliaret. Quam quidem audaciam Pluto tam graviter tulit, ut ambos Furiis lacerandos traderet atque saxo alligandos curaret. Cum deinde Hercules ad inferos descendisset, ut Cerberum educeret, Theseum quidem, quippe qui non sua sponte, sed amicitiae obsecutus descendisset, auxilium implorantem liberavit, sad amatorem insanum *trecentae cohibent catenae* (Od. 3, 4, 79.) neque Theseus amicum secum abducere potuit.

# ODE VIII.

## AD CENSORINUM.

Donarem pateras grataque commodus,
Censorine, meis aera sodalibus,
Donarem tripodas, praemia fortium
Graiorum, neque tu pessima munerum

Ferres, divite me scilicet artium,
Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,

VIII. Pro rebus cuiusvis generis pretiosis, quas poëta non habet, quibus amicus non eget, carmen ei mittit, cuius pretium in eo maxime versatur, quod ut alia aliis; velut Ennii Scipioni, Graecorum poëtarum heroibus, sic Censorino immortalitatem dare valet. C. autem Marcius Censorinus consul a. u. c. 746. cum C. Asinio Gallo. *Demerendis hominibus genitum* appellat Vellei. 2, 102. (a. u. c. 742?)

1. 2. *Donarem*] Kalendis Martiis et Saturnalibus homines locupletes suis sodalibus talia dona (strenas) mittebant, qualia significat Pseudotibull. 3, 1, 1. — *pateras*] ad libationes. — *commodus*] Construe: *commodus* (largus et liberalis, pro adverbio, *mit Lust* Voss.) *donarem pateras meis sodalibus.* — *aera*] vasa in primis Corinthiaca.

3. *tripodas*] Odyss. *ν*, 13: Ἀλλ' ἔγε, δὶ δῶμεν τρίποδά μέγαν ἠδὲ λέβητα.

5. *Ferres*] «auferres, acciperes.» — *artium*] «operum affabre factorum.» Sic Virg. Aen. 5, 359: *clypeum*, *Didymaonis artes.*

6—8. *Parrhasius*] Ephesius, Olymp. 98. (ante Chr. 400.) certamine cum Zeuxi nobilitatus, cum hic pinxisset uvas, quibus aves deceptae sunt, ille linteum, quo Zeuxin ipsum decepit. — *Scopas*] Parius, Olymp. 87. Plin. 36, 4: *fecit Venerem et Pothon et Phaëthontem, qui Samothrace sanctissimis caerimoniis coluntur, item Apollinem Palatinum.* — *protulit*] «ut inventor finxit.» — *Sollers - - ponere*] «peritus artifex in fingendo.» Similiter nos *darstellen.*

9. 10. *vis*] «facultas et copia.» — *Res*] familiaris. «Cum tute satis locuples sis, opus non habes, ut quis talia tibi donet neque vero nimis cupidus es eiusmodi *deli-*

Hic saxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc deum.

Sed non haec mihi vis, non tibi talium
Res est aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus; carmina possumus
Donare et pretium dicere muneri.

Non incisa notis marmora publicis,
Per quae spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus, non celeres fugae
Reiectaeque retrorsum Hannibalis minae;

Od. VIII. v. 12. *muneris* Mein. cum Codd. aliq.

*ciarum*,» quemadmodum Romani severiores artificum Graecorum praeclara opera nominabant.

11. 12. *Gaudes*] «Tu, quod generosum animum longe magis decet, sensu vere poëtico praeditus es.» — *pretium dicere*] «de iusto pretio carminum, quae omni alio honore certius immortalem viris bene meritis gloriam conciliant, recte statuere.» — *dicere*] statuere. Cfr. Sat. 2, 3, 23: *Callidus huic signo ponebam milia centum.*

13. 14. *notis - publicis*] «Non tituli insignibus ducibus in statuarum (triumphalium) basi publice incisi eo utique fine, ut talium laudes etiam a posteris celebrentur, aequiparari possunt carminibus, *bonorum*, fortium ac strenuorum imperatorum laudes praedicantibus.» Liv. 6, 29: *tabula litteris incisa.* — *spiritus (Athem) et vita*] Ut hic nomina, sic verba respondentia iunguntur Od. 4, 9, 10: *spirat adhuc amor Vivuntque commissi calores* cet. Probabiliter hic de virorum clarorum statuis locus refertur ad eas, de quibus Suetonius Octav. 31: *Augustus proximum a dis immortalibus honorem memoriae ducum praestitit, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent. Itaque et opera cuiusque manentibus titulis restituit et statuas omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit.*

15. seqq. Multis difficultatibus laborat hic locus, ut exstat in omnibus Codd. Vide Excursum in Ed. maiore p. 493. *Fugae* sive celer discessus Hannibalis, sane ex Italia (Liv. 30, 20.), non fuga capta post cladem, quam Zamae perpessus erat. — *minae*] «quas iactarat, a se Romanum imperium tandem eversum iri.» — *reiectae retrorsum*] «repulsae.» Quod addunt, «in ipsius caput reiectae»,

Non incendia Karthaginis impiae,
* * * *
* * * *
Eius, qui domita nomen ab Africa

Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes quam Calabrae Pierides: neque,
Si chartae sileant quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliae

Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum
Virtus et favor et lingua potentium

v. 17. delendum censet Bentl. Ibid. *impendia* Cuningh. *stipendia* Doering.

in ipsius poëtae verbis certe non inest; sed dictum est, ut Plin. H. N. 9, 31. *retrorsum redire*, et satis frequenter *retro redire, retro regredi, retro referre pedem* (Seneca Thyest. 419.), *retro respicere*.

17—21. *impiae*] Cic. de Off. 1, 12: *Poeni foedifragi, crudelis Hannibal. — nomen ab Africa*] Liv. 30, 45: *Primus hic imperator nomine victae ab eo gentis est nobilitatus.*

22. *Calabrae*] Ovid. A. A. 3, 409: *Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus, Contiguus poni, Scipio magne, tibi.* Rudiis, Calabriae oppido, natus erat (a. u. c. 515—584.), unde ipse de se: *Nos sumu' Romani, qui fuvimus ante Rudini.*

23. *sileant*] «Si nullus poëta memorarit tua bene facta, tua merita, debita mercede in perpetuum carebis.» Pind. Olymp. 11, 91. B.: *Καὶ ὅταν καλὰ ἔρξαις ἀοιδᾶς ἄτερ, Ἀγησίδαμ', εἰς Ἀίδα σταδμὸν Ἀνὴρ ἵκηται, κενεὰ πνεύσαις ἔπορε μόχθῳ βραχύ τι τερπνόν.*

24. 25. *Quid foret*] «Obscurus maneret etiam Romulus, nisi celebratus esset a poëtis, praesertim ab Ennio apud Cic. de Rep. 1, 41: *O Romule, Romule die, Qualem te patriae custodem di genuerunt! O pater, o genitor! o sanguen dis oriundum! Tu produxisti nos intra luminis oras.*» — *si taciturnitas*] «Si posteri invidi de eo tacuissent.»

27—29. *Aeacum*] qui immortalitati consecratus saepe laudibus

Vatum divitibus consecrat insulis.
Dignum laude virum Musa vetat mori;
Caelo Musa beat. Sic Iovis interest
Optatis epulis impiger Hercules;

Clarum Tyndaridae sidus ab infimis
Quassas eripiunt aequoribus rates;
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

# ODE IX.

## AD LOLLIUM.

Ne forte credas interitura, quae
Longe sonantem natus ad Aufidum

celebratur a Pindaro. — *Virtus*] «vis ingenii, facultas poëtica.» — *potentium*] ut Od. 3, 30, 12: *ex humili potens. Potentes* sunt poëtae, quatenus immortalitatem donare possunt. — *divitibus - insulis*] «fortunatis.» — *consecrat*] Sacrae enim sunt omnes Elysii umbrae. Cic. Phil. 14, 12: *fortissimi, dum vixistis, nunc vero etiam sanctissimi milites.*

30 — 36. *beat*] «in caelo collocatum reddit beatum.» — *Sic*] per poëtarum carmina. — *Tyndaridae*] Castor et Pollux, *fratres Helenae, lucida sidera* Od. 1, 3, 2. — *eripiunt*] Eurip. Electr. 990: κοῦροι Διός, οἱ φλογερὰν ὑπὲρ ἐν ἄστροις Ναίουσι, βροτῶν ἐν ἁλὸς ῥοθίοις Τιμὰς σωτῆρας ἔχοντες. — *Liber*] «ipse quoque ex mortali deus factus, ut poëtae cecinerunt (Od. 3, 3, 13.), votis homines *damnat* (Virg. Ecl. 5, 80.), votorum eos compotes reddit.»

IX. M. Lollius consul a. u. c. 733. Vellei. 2, 97: (a. u. c. 737.) *Accepta est in Germania clades sub legato M. Lollio, homine in omnia pecuniae quam recte faciendi cupidiore et inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimo.* Postea tamen moderator iuventae C. Caesari, Agrippae filio, Augusti nepoti ac filio adoptivo in Orientem misso a. u. c. 751. ab Augusto additus fidem datam cum minus praestitisset (Tacit. Ann. 3, 48.), *perfida et plena subdoli ac versuti animi consilia per Parthum indicata Caesari fama volgavit; cuius*

Non ante volgatas per artes
Verba loquor socianda chordis;

Non, si priores Maeonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricae latent
Ceaeque et Alcaei minaces
Stesichorique graves Camenae;

Nec, si quid olim lusit Anaereon,
Delevit aetas; spirat adhuc amor

*mors intra paucos dies fortuita, an voluntaria fuerit, ignoro.* Vellei. 2, 102. Plin. H. N. 9, 35, 58. «Poëtarum Graecorum Lyricorum (quibuscum fidenter ego, *Romanae fidicen lyrae*, me consocio:) carmina, tametsi primas ultro deferimus Homero, tamen etiamnunc exstant ac summa cum admiratione ab omnibus leguntur; sic mea quoque aetatem durabunt. Sed permulti priscorum illorum heroum, qui antecesserunt Troiana tempora, a nullo poëta collaudati nunc misera oblivione premuntur; quae iniqua fortuna ne te quoque maneat, Lolli, hoc carmine eximias tuas virtutes praedicante satis, ut spero, cautum erit.» Scriptum videtur carmen post Lollii consulatum, ante cladem, quam in Germania passus est, circa a. u. c. 736.

1—4. *Ne forte credas*] Apodosis inest in v. 5. seqq.: «Scito non oblitterata esse Pindari cet. carmina, nec multo minorem lyricae poësis dignitatem quam epicae.» — *ad Aufidum*] Cfr. Od. 3, 30, 10. Od. 4, 3, 23 et 14, 25. — *socianda chordis*] «lyrae aptanda, ad lyram decantanda.» Schol.

5—7. *Maeonius*] proprie Lydius; h. l. idem quod *Maeonides*, filius Maeonis, mythici patris Homeri. Lucret. 3, 1049: *Adde Heliconiadum comites, quorum unus Homerus Sceptra potitus.* — *Ceaeque*] Non est Bacchylides Ceus, sed Simonides. — *Alcaei minaces*] quibus Pittacum Myrsilumque, Lesbi tyrannos, insectatur. Haec carmina διχοστασιαστικά, veluti Fragm. 5.: τὸν κακοπάτριδα Πιττακὸν πόλεως τᾶς ἀχόλω καὶ βαρυδαίμονος Ἐστάσαντο τύραννον μέγ' ἐπαινεῦντες ἀολλέες.

8. *Stesichorique*] Stat. Silv. 5, 3, 154: *Stesichorusque ferox.* Quintil. 10, 1, 62: *maxima bella et charissimos cecinit duces et epici carminis onera lyra sustinuit. Reddit personis in agendo simul loquendoque debitam dignitatem*: quo refertur v. *graves*.

9—12. *Anacreon*] «si quid levioris, in primis amatorii argu-

Vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae.

Non sola comptos arsit adulteri
Crines et aurum vestibus illitum
Mirata regalesque cultus
Et comites Helene Lacaena,

Primusve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu; non semel Ilios

menti tractavit.» — *spirat*] Sic Simonides de Anacreonte Anth. Pal. I. p. 313: *Ὃς Χαρίτων πνείοντα μέλη, πνείοντα δ' Ἐρώτων Τὸν γλυκὺν ἐς παίδων ἵμερον ἡρμόσατο.* Posidippus Anth. Pal. II. p. 780: *Σαπφώ, σαὶ δὲ μένουσι φρένες ἔτι καὶ μενέουσιν Ἰωνῆς αἱ λευκαὶ φθεγγόμεναι σελίδες.* Hoc igitur dicit: «Gratissimo sensu etiamnunc nos afficiunt amores, quos Sappho suis carminibus tamquam arcanas pectoris curas concredidit iisdemque admirabiliter expressit.» Iunge: *commissi fidibus Aeoliae* (Lesbiae) *puellae*; non: *calores Aeoliae puellae*, dativus pro: ab Aeolia puella.

13 — 15. *arsit*] «amore capta est eleganter compti ornatique adulteri.» Construe: *arsit crines eos mirata*; non: *arsit, mirata crines.* — *aurum vestibus illitum*] veluti inspersum, de vestibus pictis vel aureis filis intextis. Significat Orientalium *χρυσοπήνητα φάρεα* (Eurip. Orest. 840.) Virg. Aen. 3, 483: *picturatas auri subtemine vestes.* De Paride Eurip. Iphig. Aul. 73: *ἀνδηρὸς μὲν εἱμάτων στολῇ, χρυσῷ τε λαμπρὸς, βαρβάρῳ χλιδήματι.*

16. *Helene Lacaena*] Sic saepe additur patria, ut accuratius definiatur persona, in quam poëta mentis nostrae oculos convertere volt. Od. 2, 4, 2: *Xanthia Phoceu.* Od. 3, 9, 9: *Thressa Chloë.* Ibid. 14: *Thurini Calais filius Ornyti.* Od. 3, 12, 5: *Liparaei nitor Hebri.* Propert. 1, 4, 6: *Spartanae — Hermionae* cet.

17 — 20. *Teucer*] Cfr. Od. 1, 7, 21. Iliad. *ν*, 313: *ὃς ἄριστος Ἀχαιῶν Τοξοσύνῃ. Cydon*, Cretae urbs; Cretes autem sagittandi arte excellebant. Od. 1, 15, 17. — *Ilios Vexata*] «Non semel urbs aliqua aeque magna et opulenta ac Troia excisa est, nec tamen poëta ullus eius interitum narravit.» — *Idomeneus*] Cretensium dux. Iliad. *γ*, 230: *Ἰδομενεὺς δ' ἑτέρωθεν ἐνὶ Κρήτεσσι θεὸς ὣς Ἕστηκε.* — *Sthenelus*] Capanei et Evadnes F., Diomedis auriga.

Vexata; non pugnavit ingens
Idomeneus Sthenelusve solus
Dicenda Musis proelia; non ferox
Hector vel acer Deïphobus graves
Excepit ictus pro pudicis
Coniugibus puerisque primus.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; sed omnes illacrimabiles
Urgentur ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.

Paullum sepultae distat inertiae
Celata virtus. Non ego te meis

21 — 24. *Pugnavit proelia*, pro eo, quod tralaticium est, «pugnavit pugnas.» Sic Od. 3, 19, 4: *pugnata bella*. — *Deïphobus*] Helenae post Paridis interitum coniux, unus post Hectorem Troianorum fortissimus. Quint. Smyrn. 11, 340: Δηΐφοβός τε μενεπτόλεμος κρατερός τ' αἰχμήτης. — *Coniugibus*] Il. ω, 730. de Hectore: πόλιν Ῥύσασεν, ἔχες δ' ἀλόχους κεδνὰς καὶ νήπια τέκνα.

26 — 28. *illacrimabiles*] ἄκλαυστοι, *indefleti*. Ovid. Met. 7, 611. — *Urgentur*] «obruuntur, premuntur»; ut saepe de spissis tenebris et de morte. Od. 1, 24, 15. — *sacro*] Sacri sunt poëtae, quatenus sunt in Apollinis, Mercurii, Bacchi tutela, interpretes deorum, Musarum sacerdotes. (Od. 3, 1, 3.)

29 — 34. *Paullum*] «Virtus incognita ac silentio transmissa parum differt ab inertia (merito) latente.» — *inertiae*] dativ. ut Sat. 1, 4, 48: *comoedia - - differt sermoni*. — *sileho*] «Non concedam, ut malevolorum livor et oblivione obscuret et *carpat*, obtrectando extenuet, praeclara tua facta.»

35. 36. *rerum - - prudens*] «rerum civilium bellicarumque peritus.» — *rectus*] «firmus, constans sibique semper aequalis.» — *dubiis*] saepe idem fere ac «rebus adversis.»

37. 38. *Vindex*] «qui vel iudex vel provinciae praeses severe punit fraudes et avaritiam, ipse quoque a rapinis abhorrebit.» — *Ducentis ad se*] «cuius illecebris

Chartis inornatum silebo,
Totve tuos patiar labores

Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Est animus tibi
Rerumque prudens et secundis
Temporibus dubiisque rectus;

Vindex avarae fraudis et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae,
Consulque non unius anni,
Sed quoties bonus atque fidus

Iudex honestum praetulit utili,
Reiecit alto dona nocentium

plerique ducuntur transversique aguntur, paucissimi cum iis resistant.»

39. *Consulque*] «Optimi quique scriptores non aliter interdum de animo quam de persona quapiam loquuntur.» BENTL. Atque exempla larga manu ab eo collecta demonstrant Latinos dixisse: *Animus aestimator, carnifex, censor, contemptor, corruptor, dominus, liberator, proscriptor, rector, rex, speculator*, quibus adde ex Seneca Phoeniss. 45: *desertor animae*. Mitigatur autem durior haec metaphora *animus consul* vel eo, quod quattuor versiculi interponuntur, ita ut lector illius nominis prope oblitus facillime suppleat: «tu, Lolli, *consul* es et *iudex* et *victor* cet.» Nam haec quoque vocc. pendent a v. *animus*, cui itidem *altus voltus* tribuitur. «Vero nomine consul, et perpetuus quidem, tu es, fungeris dignitate vere consulari, quotiescunque iudicem te praebes probum atque incorruptum.»

41. *Iudex*] h. l. proprie: «unus de iudicibus selectis»: (Sat. 1, 4, 123.) — *alto - - Voltu*] «non ad pecuniam oblatam deflexo, sed cuius liberrima indignatio aperte monstret te ex animi sententia sontium dona aspernari.»

43. 44. *catervas*] Eos, qui virtuti atque integritati iudicis dolis insidiantur eiusque cupiditates excitare conantur, adeoque pravas cupiditates ipsas, nulla addita comparationis particula, confert cum hostium catervis, per quas destricto gladio aperienda sit via; sine imagine: «quoties removet a

Voltu, per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.

Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter uti

Duramque callet pauperiem pati
Peiusque leto flagitium timet,
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

---

# ODE X.

## AD LIGURINUM.

O crudelis adhuc et Veneris muneribus potens,
Insperata tuae cum veniet pluma superbiae,

se corruptores summa in eos austeritate usus fortiterque suas quoque domans cupiditates.» Virtutes autem victoriam de vitiis atque corruptione ferentes *armis* comparat. — *Explicuit*] in prosa ox. «expedivit.»

46 — 50. *occupat*] «sibi vindicat.» — *deorum Muneribus*] «sorte divinitus data, etiam minus commoda.» Hom. Hymn. in Cer. 147: *Μαῖα, θεῶν μὲν δῶρα καὶ ἀχνύμενοί περ ἀνάγκῃ Τέτλαμεν ἄνδρωποι· δὴ γὰρ πολὺ φέρτεροί εἰσι.* — *Peiusque - timet*] ut Epp. 1, 17, 30. Cic. ad Fam. 7, 2: *oderam multo peius hunc quam illum*: respondetque populari nostro: *ärger fürchten.*

51. 52. «Stoicorum ille sapiens perfectus (cuius speciem inde a v. 34. Lollio exhibet:) turpitudinem quidem timebit, nequaquam timebit mortem pro amicis et pro patria oppetere.»

X. Idem argumentum ita tractavit Theognis v. 1209. Bekk.: *Ὦ παῖ, μέχρι τίνος με προφεύξεαι; ὡς σε διώκων Λίζημι'· ἀλλά τί μοι τέρμα γένοιτο κιχεῖν Σῆς ὀργῆς. Σὺ δὲ μάργον ἔχων καὶ ἀγήνορα θυμὸν Φεύγεις, ἐκτίνου σχέτλιον ἦθος ἔχων. Ἀλλ' ἐπίμενον, ἐμοὶ δὲ δίδου χάριν,*

Et, quae nunc humeris involitant, deciderint comae,
Nunc et qui color est puniceae flore prior rosae,

Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam,
Dices, heu, quoties te speculo videris alterum:
Quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit,
Vel cur his animis incolumes non redeunt genae?

Od. X. v. 5. *Ligurine* B. e Codd. v. 6. *te in speculo* B. e Codd.

*Οὐκέτι δηρὸν Ἕξεις Κυπρογενοῦς δῶρον ἰοστεφάνου.* (a. u. c. 739?)

1. *crudelis*] *Durum* eundem vocat Od. 4, 1, 40. — *Veneris muneribus*] Iam Hom. Iliad. γ, 54: *τά τε δῶρ' Ἀφροδίτης Ἥ τε κόμη τό τε εἶδος.* — *potens*] «forma, venustate, lepore praevalens.»

2. *Insperata*] «Cum necopinato tibi supervencrit adultior aetas, a qua nunc quantum potes refugis.» — *pluma*] «lanugo, quae tibi cum genas vestierit, ex ephebis excedes.» V. *pluma* consonat cum nostro *Flaum*, Gallorum *duvet*, Italorum *piuma*, de prima barba usurpato.

3. 4. *humeris involitant*] Eiusmodi enim pueri puellarem in morem comam alebant. — *deciderint*] adulta autem aetate tondebantur, et, qui servilis conditionis erant, in ceterorum conservorum gregem paullatim transibant; libertini alium quaesticulum circumspiciebant.

5. *Ligurinum*] Qui mutarunt in vocativum, non satis perceperant acerbam poëtae sententiam; «te, puerum tam formosum tamque superbum cet.» Construe: *cum color mutatus* atque evanidus *te verterit in faciem hispidam*, id est, tibi induxerit faciem hispidam. — *hispidam*] «hirsutam atque asperam;» non: «rugis contractam et horridam.»

6. *te speculo*] Antiquissimum glossa. *te in speculo* comparet iam in Cod. B. Sed praestat, ne eliciatur *te*, ablativus instrumenti sine praepositione. — *alterum*] «alterum factum, prorsus immutatum ab hoc, qui nunc es.»

7. 8. *mens*] «iam ad amorem prompta et facilis, sed frustra, quia omnes nunc me asperhantur.» — *incolumes*] «barba non deformatae; leves ac nitidae.»

# ODE XI.

## AD PHYLLIDEM.

Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus; est in horte,
Phylli, nectendis apium coronis;
Est hederae vis

Multa, qua crines religata fulges; 5
Ridet argento domus; ara castis
Vincta verbenis avet immolato
Spargier agno;

Cuncta festinat manus, huc et illuc

XI. Ad Maecenatis diem natalem Id. April. secum celebrandum invitat Phyllida, amabilem psaltriam, cui consilium dat; ut nimis dispari Telephi amori tandem renuntiet, atque perpetuum, qui priorum iam finis sit, amorem pollicetur. Similis argumenti sunt Neptunalia cum Lyde celebrata Od. 3, 28. (a. u. c. 738?)

2. *Albani*] Vinum Albanum soli Falerno cedens, Dionys. Halic. 1, 12.; tertia saltem palma inter Italica dignum, auctore Plinio 14, 6. — *apium*] «Alcaeus frequenter se dicit apio coronari.» Acron. Anacreon Fr. 53. B.: Ἐπὶ δ' ὀφρύσιν σελίνων στεφανίσχους Θέμενοι θάλειαν ὁρτὴν ἀγάγομεν Διονύσῳ. — *hederae vis*] copia.

5. 6. *fulges*] «fulgere soles.» «Non enim eam ad se coronatam venire cupit, sed invitat, ut apud se coronetur.» Porphyr. — *Ridet*] «renidet, splendet.» Epp. 1, 5, 7. — *ara*] ex cespitibus in terrae solo exstructa. Sonos. Ovid. Trist. 5, 5, 9: *Araque gramineo viridis de cespite fiat.*

7. 8. *verbenis*] Plin. 22, 2: *Auctores imperii Romani conditoresque quiddam et ex surdis, hoc est, ignobilibus herbis sumpsere, quoniam non aliunde* sagmina *in remediis publicis fuere et in sacris legationibusque* verbenae. *Certe utroque nomine idem significatur, hoc est,*

Cursitant mixtae pueris puellae;
Sordidum flammae trepidant rotantes
Vertice fumum.

Ut tamen noris quibus advoceris
Gaudiis, Idus tibi sunt agendae,
Qui dies mensem Veneris marinae
Findit Aprilem,

Iure sollemnis mihi sanctiorque
Paene natali proprio, quod ex hac
Luce Maecenas meus adfluentes
Ordinat annos.

Telephum, quem tu petis, occupavit
Non tuae sortis iuvenem puella
Dives et lasciva tenetque grata
Compede vinctum.

*gramen ex arce sua cum herba evolsum.* Donatus ad Ter. Andr. 4, 4, 5: Verbenae *sunt redimicula ararum.* — *Spargier*] Hoc uno loco in lyricis utitur infinitivi forma antiquiore, qua nimis abuti solent lyrici Latini recentiores, etiam Sarbievius.

9—12. *manus*] «familia mea tota diligenter ministrat convivium a me paratum.» — *pueris puellae*] ministri et ancillae. V. *puellae* de ancillis rarissimum; cogita de vernulis. — *Sordidum*] *den qualmig wirbelnden Rauch.* Voss. — *trepidant rotantes*] «fumum celerrime torquentes ac glomerantes, ita ut eius verticem (*Wirbel*) efficiant.»

13—16. *marinas*] Od. 3, 26, 5. *Ἀναδυομένης*, quae mense Aprili, ipsi sacro, e mari emersisse ferebatur. — *Findit*] «dividit;» ut ipsum v. *Idus* deducebant ab antiquo verbo *iduare*, id est, *dividere.* Macrob. Sat. 1, 15.

17—20. *Paene*] «Pro adulatione vitanda posuit.» Acron. — *Ordinat*] «A primo die suo natali exorsus Maecenas annos suos *affluentes*, sensim sibi succedentes et quorum numero quam plurimi optio accedant, ordine numerat.»

21—24. *Telephum*] Idem nomen poëticae personae Od. 1, 13. et 3, 19. — *occupavit*] «te praeveniens sibi conciliavit.» — *Non tuae sortis iuvenem*] « conditionis longe

Terret ambustus Phaëthon avaras
Spes, et exemplum grave praebet ales
Pegasus terrenum equitem gravatus
Bellerophontem,

Semper ut te digna sequare et ultra
Quam licet sperare nefas putando,
Disparem vites. Age iam meorum
Finis amorum,

Non enim posthac alia calebo
Femina: condisce modos, amanda
Voce quos reddas; minuentur atrae
Carmine curae.

te ditioris ac nobilioris; cuius igitur amorem tibi polliceri nunquam debebas.»

25 — 28. *Terret*] «Atque copia adest exemplorum, quae graviter nos moneant, ut ea tantummodo sectemur, quibus vires fortunaeque nostrae pares sint: veluti Phaëthon ille, (*τυπεὶς πρὸς στέρνα κεραυνῷ ἡμιδαὴς Φαέθων* Apoll. Rhod. 4, 598.) qui *ambustus* incendio, quod per caelum excitavit, et Iovis fulmine ictus nos deterret, ne spes nimis *avaras*, id est, avidas atque immodicas rerum nobis negatarum concipiamus.» — *ales*] ut Od. 3, 12, 4. Epod. 3, 4. — *Pegasus*] divinae originis equus, ut qui a Neptuno et Medusa procreatus sit. — *gravatus*] «indignatus ferre *equitem* mortalem.»

29 — 32. *ut te digna*] Pind. Pyth. 4, 90: *Καὶ μὲν Τιτυὸν βέλος Ἀρτέμιδος θῆρευσε χραισμόν -- ὅφρα τις τᾶν ἐν δυνατῷ φιλοτάτων ἐπιψαύειν ἔραται.* — *finis*] Propert. 1, 12, 20: *Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.* «*meiner Liebe Beschluss du.*» Voss.

33 — 36. *calebo*] Od. 1, 4, 19. — *amanda*] in prosa or. «amabili, grata.» — *condisce*] «accurate ac diligenter disce.» — *reddas*] Cantu quasi redduntur numeri (*ῥυθμοί*) et modi (*μέλη*), quos quis a modulatore didicit. Sic Od. 4, 6, 43: *reddidi carmen*, cantavi. — *minuentur*] «Statim ubi tu cantu me delectabis (ut antea Lyde illa Od. 3, 11, 22.), tristes curae mitigabuntur.»

# ODE XII.

## AD VIRGILIUM.

Iam veris comites, quae mare temperant,
Impellunt animae lintea Thraciae;
Iam nec prata rigent nec fluvii strepunt
Hiberna nive turgidi.

Nidum ponit Ityn flebiliter gemens
Infelix avis et Cecropiae domus

XII. Ad se Virgilium iocose invitat ea condicione, ut unguenti onychem quasi cadi mercedem afferat; quae condicio si placeat, statim missis omnibus, quae convivium moratura sint, advolet, adiectis, quae ad illud impellant, argumentis, a sicciore anni tempestate vitaeque brevitate desumptis. Iam cum probabilis sit eorum opinio, qui omnia huius libri carmina inde ab a. u. c. 736. composita esse censent: (hoc a Kirchnero refertur ad a. 740:) vel propterea non ad Virgilium Maronem poëtam scriptum esse potest, quippe qui mortem obierit a. u. c. 735. Praeterea poëta quomodo sub vitae finem dici potuerit *iuvenum nobilium cliens* difficile est profecto intellectu, cum Augusti ipsius et Liviae amicitia uteretur, non Augusti privignorum vel nepotum. nescio cui tutelae sese applicasset. Deinde quomodo vel indibundus *studium lucri* poëtae tribuere poterat? qui quidem iocus, ut iocum esse largiamur, in talem virum iactus sensu prorsus caruisset neque cuiquam risum movisset. «Nihil denique hic est» (recte inquit Gesnerus:) «quod talem spiret amicitiam, quali coniunctus cum Marone Flaccus fuit, quodve magis ad poëtam quam ad quemvis alium Horatii sodalem pertineat.»

1—4. *Iam Veris*] Non Zephyri, ut quidam voluerunt, sed Aquilones. Colum. 11, 2, 21: *venti septentrionales, Ornithiae, per dies XXX. esse solent; tum et hirundo advenit.* — *temperant*] «faciunt, ut placidius sit mare quam per tempus hibernum.»

5—8. *Nidum*] «Hirundo, veris nuntia, iam nidificat.» Pandionis filia Pregne, Philomelae soror, a Tereo marito, Thraciae rege, gladio eam persequente, in hirundinem est mutata, postquam sororem, cui ille vim intulerat linguamque exsecuerat, ulto-

# ODE XIII.

## AD LYCEN.

Audivere, Lyce, di mea vota, di
Audivere, Lyce: fis anus, et tamen
Vis formosa videri
Ludisque et bibis impudens

Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum sollicitas. Ille virentis et
Doctae psallere Chiae
Pulchris excubat in genis.

Importunus enim transvolat aridas

XIII. Referri videtur ad Od. 3, 10., ubi de Lyces ferocia ac superbia conqueritur, seu fictus est is amor sive verus. Hic vetulae interea factae et tamen lascive iuveniles amores captanti magno cum contemptu insultat, grato simul animo *bonae* Cinarae, nimis mature exstinctae, memor. (a. u. c. 736?)

1—4. *mea vota*] «ut puniretur aliquando fastus tuus importunus.» — *Ludisque*] «ut adolescentula ludos iocosque amatoriis tentas in comissationibus.»

5—8. *tremulo*] ut solet esse anus bene potae. — *Lentum*] «tibi non iam obsequentem, sed renitentem.» — *sollicitas*] «canticis amatoriis iuvenes pellicere frustra conaris.« — *virentis*] «in genis Chiae aetate florentis et psallendi peritae vigil cubat, cum in te sopitus sit, nullamque tu iam excites cupiditatem te fruendi.» Sophocl. Antig. 776: Ἔρως, - - ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς νεάνιδος ἐννυχεύεις. *Chia* autem nomen proprium apud Grut. 15, 9. 642, 9., ut *Lesbia*, *Delia*.

9—12. *Importunus*] «superbus et saevus», ut saepe apud Cic. de tyrannis atque hominibus insolentibus et crudelibus. — *aridas Quercus*] Sic Graeci homines senio confectos γεράνδρυα vocant. Item Pers. 5, 49: *veteris ramalia fagi*. — *luridi*] «illuvie squalidi et crocei coloris.» — *capitis nives*] Antipater Thess. Anth. Pal. I. p. 248. senem vocat πολιῷ γήρᾳ νιφόμενον. Quinctil. 8, 6, 17: *sunt*

Quercus et refugit, te quia luridi
Dentes, te quia rugae
Turpant et capitis nives.

Nec Coae referunt iam tibi purpurae
Nec clari lapides tempora, quae semel
Notis condita fastis
Inclusit volucris dies.

Quo fugit venus, heu, quove color? decens
Quo motus? quid habes illius, illius,
Quae spirabat amores,
Quae me surpuerat mihi,

Felix post Cinaram, notaque et artium
Gratarum facies? Sed Cinarae breves

*et durae, id est, a longinqua similitudine ductae translationes, ut* capitis nives.

13 — 16. *Coae - purpurae*] sericae ex subtili bombycino filo contextae in Coo insula, in quam bombyces ex Oriente apportabantur, ac paene pellucidae, quibus tunc huius generis libertinae utebantur. — *clari lapides*] «uniones pellucidi ac resplendentes.» «Frustra iam, inquit, te ornas Cois vestibus atque uniombus, quo iunior videaris. Neque enim propositum tuum attingis, cum tempus fugax condiderit semel *(ein für allemal)* et incluserit, id est, consignarit, in fastis, qui omnibus noti sunt, annos tuos: siquidem omnes, quorum hoc scire interest, probe norunt, quibus consulibus nata sis quotque annos numeres.»

17 — 20. *venus*] «pristina tua venustas et gratia.» — *decens*] Quinctil. 1, 10, 20: *Corporis decens et aptus motus, qui dicitur εὐρυθμία, est necessarius.* — *illius*] faciei, *quae spirabat amores;* simili constructione atque Epod. 2, 37: *malarum, quas amor curas habet.* — *surpuerat*] surripuerat, ut Sat. 2, 3, 283: *surpite*, Lucret. 2, 314: *surpere*, ex usu sermonis quotidiani: «quae optimam mei partem furtim mihi ademerat.»

21 — 24. *Felix post Cinaram*] «Felix, maxime propter laudes sinceras, quas post Cinaram (Od. 4, 1, 4.) vitae defunctam tibi impertiebam, ac propterea omnibus nota.» — *facies*] Donatus ad

Annos fata dederunt,
Servatura diu parem

Cornicis vetulae temporibus Lycen,
Possent ut iuvenes visere fervidi
Multo non sine risu
Dilapsam in cineres facem.

## ODE XIV.

### AD AUGUSTUM.

Quae cura patrum quaeve Quiritium
Plenis honorum muneribus tuas,

Ter. Eun. 2, 2, 5: *faciem pulchram*] «faciem modo non partem corporis dicit, sed totam speciem, quae apparet et cernitur.» — *artium Gratarum*] Videtur amplecti non solum εὐρυθμίαν corporis, verum etiam artem psallendi canendique. Cfr. v. 7. — *Servatura parem*] «donec effecta sit par.»

25 — 28. *parem - temporibus*] aetati *cornicis vetulae:* hic indignabundus plebeio vocabulo consulto usus est; nobili Od. 3, 17, 13: *annosa cornix.* — *iuvenes*] «qui te formosam nunquam viderunt, nunc ita consumptam, aridam, exsanguem vident, ut solet in cineres tandem dissolvi fax primum lucida.»

XIV. Cum huius libri carmine IV. Drusi res in Alpibus gestas praedicasset, ab Augusto fortasse invitatus vel ipse fautoris voluntatem divinans, similiter Ti. Claudium Neronem propter victorias de Raetis a. u. c. 739. partas extollit: ita tamen et in carminis exordio et sub exitum in Augusti laudibus immoratur, ut, nisi omnia nos fallunt, ab indole ac moribus Drusum magis quam Tiberium huiuscemodi praeconia mereri ipse sensisse videatur, ideoque bellica dumtaxat huius virtute celebrata, libentius ad Augustum se convertat, et quidem sic, ut, si cum Editore Leidensi velis habere merum ἐγκώμιον Augusti, carmen tamen certo fine atque consilio prorsus destitutum, secure recidas vv. 9—40. Omnino simillimum cum argumentum iamiam tractasset, minus spontaneus est impetus, quo fertur, ac diligentissima arte omnia sunt ela-

Auguste, virtutes in aevum
Per titulos memoresque fastos

Aeternet, o, qua sol habitabiles
Illustrat oras, maxime principum?:
Quem legis expertes Latinae
Vindelici didicere nuper,

Quid Marte posses: milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus,

borata, ne in illo vis poëtica aliquatenus exhausta videretur.

2 — 4. *Plebis*] «quae tibi meritis prorsus respondeant.» Dio 54, 24, 3 (a. u. c. 741.) ἡ τε γὰρ βουλὴ ἡδροίσθη καὶ ἔδοξε σφίσιν ἄλλα τε καὶ βωμὸν ἐναὐτῷ τῷ βουλευτηρίῳ ὑπὲρ τῆς τοῦ Αὐγούστου ἐπανόδου ποιήσασθαι, τοῖς δὲ ἱκετεύσασιν αὐτὸν ἐντὸς τοῦ πωμηρίου ὄντα ἄδειαν εἶναι· οὐ μέντοι καὶ ἐδέξατο τοὐδέτερον. — *Per titulos*] «inscriptiones arcuum aliorumque monumentorum publicorum.» — *memoresque fastos*] «qui rerum gestarum memoriam continent et propagant.»

5. 6. *in aevum — Aeternet*] pro simplici *aeternet* vel pro: *in aevum — Extendat.* — Inscriptio nummi: *AETERNITATI AVGVSTI.* — *maxime*] «qui summus, immo unus es princeps per totum orbem, potentissimus inter homines.» Utitur nomine honoris, quem per consuetudinem quotidianam sibi impertiri a Romanis voluerat Augustus. Tac. Ann. 1, 9: *non regno neque dictatura, sed principis nomine constitutam rem publicam.*

7. 8. *legis expertes Latinae*] «antea imperio Romano non subiecti.» Od. 4, 15, 22: *edicta Iulia.* Ad constructionem *Quem — didicere, Quid* cet. cfr. Terent. Eun. 3, 6, 18: *Me noris, quam elegans formarum spectator siem. — Didicere* autem: «novere, sensere cum damno et clade sua.»

9 — 12. *milite nam tuo*] Idem repetit v. 33: *Te copias* cet., ut summa victoriae gloria ad Augustum redundet. — *Genaunos*] incolas vallis Alpinae, quae hodie *Valle di Non* appellatur; *Breuni, Brunecken* prope *Sterzingen;* alii eos collocant in *Val di Bregna.* — *implacidum genus*] Strabo 4, 6, 8: τῆς δὲ πρὸς τοὺς Ἰταλιώτας τῶν ληστῶν τρύτων χαλεπότητος λέγεταί τι τοιοῦτον, ὡς ἐπειδὰν ἕλωσι κώμην ἢ πόλιν, οὐ μόνον ἡβηδὸν ἀνδροφονοῦντας, ἀλλὰ καὶ μέχρι τῶν νηπίων προϊόντας τῶν ἀῤῥένων, καὶ μηδ' ἐνταῦθα παυομένους, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐγκύους γυναῖκας κτείνοντας, ὅσας φασὶν οἱ μάν-

Breunosque veloces et arces
Alpibus impositas tremendis
Deiecit acer plus vice simplici.
Maior Neronum mox grave proelium
Commisit immanesque Raetos
Auspiciis pepulit secundis,
Spectandus in certamine Martio,
Devota morti pectora liberae
Quantis fatigaret ruinis,
Indomitas prope qualis undas

Od. XIV. v. 20. *Indomitus* B. coni. firmata a Cod. Turic.

τεις ἀῤῥενοχυεῖν. — *arces*] «castella ab iis in Alpibus exstructa», ut Epp. 2, 1, 252: *arces montibus impositas.* — *tremendis*] propter altitudinem glaciemque perpetuam.

13. *Deiecit*] «velut e montium verticibus deturbavit», refertur et ad populos debellatos et ad eorum castella: «Genaunos fudit fugavitque; castella capta excidit.» — *plus vice simplici*] Male olim explicabant: «plus quam semel, semel atque iterum:» quae significatio ultimae est Latinitatis. Opponitur *pari vice, mutua vice, pariter.* «Volt intelligi in vastandis his non tantam solum illis cladem intulisse, quantam ipsi dederant, sed duplam, hoc est, eam non simplici vice reddentem.» PORPHYR.

14. *grave proelium*] Dio 54, 22. haec tradit de Neronibus: Ἐσβαλόντες οὖν ἐς τὴν χώραν τῶν Ῥαιτῶν πολλαχόθεν ἅμα ἀμφότεροι, αὐτοί τε καὶ διὰ τῶν ὑποστρατηγῶν, καὶ ὁ γε Τιβέριος καὶ διὰ τῆς λίμνης πλοίοις κομισθείς, ἀπό τε τούτου κατέπληξαν αὐτούς, ὡς ἑκάστοις σφίσι συμμιγνύντες τούς τε ἀεὶ ἐς χεῖρας ἀφικνουμένους, οὐ χαλεπῶς ἅτε διεσπασμένους ταῖς δυνάμεσι χρωμένους κατειργάσαντο.

17 — 20. *Spectandus*] «dignus, qui spectaretur, tunc cum *fatigaret* eos, magnis cladibus frangeret atque ad desperationem redigeret.» — *morti liberae*] «exitio sese devoventes, ut saltem liberi atque animis invicti morerentur.» — *Indomitas*] «Furentes.» SCHOL. «Quae dum eas *exercet*, violenter agitat, cum iis luctatur Auster (Od. 1, 1, 15.), saeviunt.» — *prope qualis*] ut Sat. 2, 3, 268: *tempestatis prope ritu*, sic etiam h. l. pro comparationis particula usus est v. *prope*.

21 — 24. *Pleiadum*] Pleiades, αἳ δή τοι θέρεος καὶ χείματος

Exercet Auster, Pleiadum choro
Scindente nubes, impiger hostium
Vexare turmas et frementem
Mittere equum medios per ignes.

Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni praefluit Apuli,
Cum saevit horrendamque cultis
Diluviem meditatur agris,

Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu

v. 26. *Qua* B. coni. v. 28. *minitatur* B. e Codd.

ἄγγελοί εἰσι (Myro in Anal. Br. I. p. 203.), Latine Vergiliae, a vere; *Quae septem dici, sex tamen esse solent:* Ovid. Fast. 4, 165. «Quando Vergiliae vel *exoriuntur VI. Id. Octobr.; ubi Favonius et interdum Africus cum pluviâ* (Colum. 11, 2, 74.), vel *celantur VIII. Id. April.*, *in sequens tridium Austri et Africi tempestatem significantes* (Id. ibid. §. 34.)» Est igitur: «Pl. choro imbres effundente e nubibus a vento scissis, ruptis», sive ut Schol. «vento tempestuoso faciente pluviam.» Virg. Aen. 11, 548: *tantus se nubibus imber Ruperat*, his discissis. — *impiger — Vexare*] «acer et strenuus in hostibus urgendis ac persequendis.» Od. 3, 2, 3. — *medios per ignes*] «per medium fervorem, ardorem, tumultum proelii»; «qua pugna est ferventissima, audacter equum per hostium catervas immisit.» Silius 14, 167: *Per medios ignes mediosque per enses*, et 5, 41: *Per medias volitare acies mediosque per ignes.* Ov. Met. 8, 76.

25 — 28. *tauriformis*, taurino, cornuto capite, ut solebant fingi fluvii, imagine petita ab undarum mugitu atque impetu. Iliad. φ, 287. de Xantho: μεμυκὼς ἠΰτε ταῦρος. Eurip. Ion 261: Ὦ ταυρόμορφον ὄψμα Κηφισοῦ πατρός. Virg. Aen. 8, 77: *Cornigero Hesperidum fluvius regnator aquarum.* — *Dauni*] regis Apuliae mythici. Od. 3, 30, 11. — *praefluit*] ut Od. 4, 3, 10. et Plin. 3, 11: *Aufidus ex Hirpinis montibus Canusium praefluens.* — *meditatur*] «inundare paratus est ad inundandos agros.» Inest in h. v. mirabilis et longe audacior translatio a re animata ad inanimam quam in altera lect. *minitatur.*

30 — 32. *Ferrata*] «loricis ferreis tecta.» — *diruit*] nove dictum de *agminibus*, ordinibus hostium, ut alibi de aedificiis, pro «disie-

Primosque et extremos metendo:
Stravit humum sine clade victor,

Te copias, te consilium et tuos
Praebente divos. Nam tibi quo die
Portus Alexandrea supplex
Et vacuam patefecit aulam,

Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque et optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.

Te Cantaber non ante domabilis

cit, dispersit.» — *metendo*] ut ἀμᾶν apud Graecos. Virg. Aen. 10, 513: *Proxima quaeque metit gladio.* — *Stravit humum*] «eorum corporibus humum constravit.» — *sine clade*] suorum militum. Vell. 2, 95: (Nerones) *Raetos Vindelicosque — gentes numero frequentes, feritate truces, maiore cum periculo quam damno Romani exercitus, plurimo cum eorum sanguine perdomuere.*

33 — 40. *Te copias*] Augustus eiusque successores, ut auspicia, sic honorem omnem rerum a ducibus suis legatisve gestarum sibi servabant. *Hinc ductus et auspicia* distinguuntur a Tacito Ann. 2, 41. Suet. Oct. 21: *Domuit partim ductu, partim auspiciis suis — Raetiam et Vindelicos ac Salassos.* — *quo die*] «Quia, post quindecim annos quam Augustus Alexandriam cepit (a. u. c. 724.), Tiberius devicit Vindelicos.» (a. u. c. 739.) Acron. Vv. *quo die Portus* cet. non nimis accurate de uno eodemque die accipienda videntur: sed est: «eodem prope tempore recurrente.» Quodsi re vera idem fuit dies, est IV. Kal. Sept. (29. m. Augusti.) — *vacuam — aulam*] Antonius enim et Cleopatra, cum se in Mausoleum recepissent, mox mortem sibi consciverunt. — *reddidit*] «rursus praebuit.» — *arrogavit*] «Rebus olim tuis auspiciis et tuo ductu gestis Fortuna devictis Raetis Vindelicisque novam iam laudem ac gloriam addidit.»

41 — 44. *Cantaber*] Od. 2, 6, 2. Od. 3, 8, 22. — *Medusque et Indus*] Suet. Oct. 21: *Indos etiam ac Scythas auditu modo cognitas pellexit ad amicitiam suam popu-*

Medusque et Indus, te profugus Scythes
Miratur, o tutela praesens
Italiae dominaeque Romae.

Te fontium qui celat origines
Nilusque et Ister, te rapidus Tigris,
Te beluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis,

Te non paventis funera Galliae
Duraeque tellus audit Hiberiae,
Te caede gaudentes Sugambri
Compositis venerantur armis.

v. 49. *paventes* B. e Codd.

*lique Roma[illegible] per legat[illegible] tendam: Parthi quoque et Armeniam vindicanti facile cesserunt, et signa militaria, quae M. Crasso et M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt.* — *profugus*] Od. 1, 35, 9. Od. 3, 24, 9. — *tutela*] voc. propr. de Geniis bonis. — *praesens* hoc significatu Graecis est ἐπιφανής.

45—48. *origines*] »cuius fontes adhuc ignoti sunt.» Tibull. 1, 7, 24. — *Tigris* ob rapiditatem a Medis dictus, quia *tigris* eorum lingua *sagitta*. Varro LL. 5, 20. Est igitur: «Aegyptus, Dacia, Armenia te venerantur.» — *beluosus*] Od. 3, 27, 26: *scatentem Beluis pontum.* Homeri μεγακήτης, πολυκήτης. Theogn. 175: ἐς βαθυκήτεα πόντον. — *Obstrepit* [illegible] Od. 2, 18, 20. [illegible] *Britannis*] Od. 1, 21, 15. Od. 1, 35, 30. Od. 3, 5, 3. Virg. Ecl. 1, 67: *Et penitus toto divisos orbe Britannos.*

49—52. *non paventis funera*] Lucan. 1, 460. de Gallis: *quos ille timorum Maximus haud urget, leti metus: inde ruendi In ferrum mens prona viris animaeque capaces Mortis et ignavum rediturae parcere vitae.* — *Sugambri*] Od. 4, 2, 34. Suet. Oct. 21: *Germanos ultra Albim fluvium summovit; ex quibus Ubios et Sugambros dedentes se traduxit in Galliam atque in proximis Rheno agris collocavit.* — *Compositis*] *Depositis* prosae fuisset orationis; *compositis* id praeterea significat, recondita esse ab iis arma et ab usu remota.

# ODE XV.

## AUGUSTI LAUDES.

Phoebus volentem proelia me loqui
Victas et urbes increpuit lyra,
Ne parva Tyrrhenum per aequor
Vela darem. Tua, Caesar, aetas

Fruges et agris rettulit uberes
Et signa nostro restituit Iovi
Derepta Parthorum superbis
Postibus et vacuum duellis

XV. Quartum carminum librum cum editurus esset, prope necessarium erat, ut post Drusi et Tiberii laudes epilogus contineret laudes Augusti tamquam pacis atque otii publici auctoris, utpote quo rei publicae principe, coërcita tandem morum corruptione, denuo efflorescant bonae artes omnesque Romani vitae tranquillae commodis plena cum securitate gaudeant. Scriptum videtur carmen a. u. c. 744 vel 745.

1—4. *proelia*] Augusti expeditiones militares: quas cum celebrare nunquam animum induxisset (cfr. iam Od. 1, 6.), ingeniose h. l. fingit hoc sibi ab Apolline ipso interdictum esse. — *increpuit lyra*] «lyrâ plectro tactâ hoc ne facerem vetuit.» — *parva - - vela*] Frequens navigationis cum libero poëticae facultatis quasi cursu comparatio. Virg. Ge. 2, 41: *pelagoque volans da vela patenti*. Sine imagine: «monuit, ne auderem res graves, meum ingenium excedentes, canere itaque *magna modis tenuare parvis* (Od. 3, 3, 72.).»

5—8. *rettulit uberes*] vel propterea, quod agri per bella civilia vastati, pace restituta, denuo colebantur. — *nostro - Iovi*] Propert. 3, 11, 40: (Cleopatra) *Ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubim*. — *Parthorum*] a. u. c. 734. Od. 3, 5, 5. Epp. 1, 18, 55. Dio 54, 8. Ovid. Fast. 5, 585. Cfr. ad 4, 14, 42. — *postibus*] Apud Parthos signa ista Crassi et Antonii in regiae atrio videntur

Ianum Quirini clausit et ordinem
Rectum evaganti frena licentiae
Iniecit emovitque culpas
Et veteres revocavit artes,

Per quas Latinum nomen et Italae
Crevere vires famaque et imperi
Porrecta maiestas ad ortus
Solis ab Hesperio cubili.

Custode rerum Caesare non furor
Civilis aut vis exiget otium,
Non ira, quae procudit enses
Et miseras inimicat urbes.

Od. XV. v. 9. *Ianum Quirinum* de Passeratii coni. Fea. v. 15. *ortum* B.

affixa fuisse. Proprie Marti Ultori signa a Phraate recuperata consecravit Augustus; sed consulto poëta summo imperii Romani custodi ea restituta dicit.

9. *Ianum Quirini*] Sic Codd. omnes, pro quo recipi non debebat Passeratii coniectura *Ianum Quirinum* ducta ex Macrob. Sat. 1, 9: *invocamus Ianum Quirinum quasi bellorum potentem, ab hasta, quam Sabini curim vocant.* Verum consulto a formularum sermone recessisse putandus est poëta, ut sit Ianus Quirinus. Ipse Augustus in Monum. Ancyrano Suet. Wolf. II. p. 374: *Cum post Romam conditam Ianum Quirinum bis omnino* (regnante Numa et post bellum Punicum primum a. u. c. 519.) *clausum ante me fuisse prodatur memoriae, ter me principe claudendum esse decrevit senatus.* (a. u. c. 725. 729. 744.)

12. *veteres - artes*] «prudentiam, fortitudinem, iustitiam, temperantiam.» Schol.

15. 16. *Porrecta*] pro. or. «dilatata, propagata.» — *ad ortus*] Librarii facilius h. l. mutarunt num. plur. in singularem quam contra. — *ab Hesperio cubili*] «ab occasu, quo Sol ab aethere velut in cubile descendit.

17—20. *Custode*] Od. 3, 14, 15. Od. 4, 5, 2. — *exiget*] prima significatione: «expellet, exturbabit.» — *Non ira*] bellica. Tib. 1, 3, 47. — *inimicat*] Ut Laberius *iniquare* pro *iniquum reddere* dixerat, sic Horatius, quod sciam, primus hoc v. usurpavit pro:

Non, qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Iulia, non Getae,
Non Seres infidive Persae,
Non Tanain prope flumen orti.

Nosque et profestis lucibus et sacris
Inter iocosi munera Liberi
Cum prole matronisque nostris,
Rite deos prius apprecati,

Virtute functos more patrum duces
Lydis remixto carmine tibiis
Troiamque et Anchisen et almae
Progeniem Veneris canemus.

«inimicas inter se reddit, ad bella domestica excitat.»

21 — 24. *Danubium bibunt*] Vindelici, Pannonii. Cfr. Od. 2, 20, 20. — *Edicta - Iulia*] «leges atque iussa Augusti, condiciones foederum pactorumque cum barbaris initorum.» — *Getae*] Plin. 4. 12: *alias Getae, Daci Romanis dicti.* — *Seres*] ultimi Orientis populus. — *Tanain*] Scythae.

25 — 28. *lucibus*] «*Luces* et *soles* pro diebus poni solent.» Schol. Est igitur: «singulis diebus.» —

29 — 32. *Virtute functos*] «qui in vita virtutes pro virili parte et tamquam munus suum exercuerunt.» Cic. Tusc. 1, 45: *nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectae perfecto functus est munere.* — *more patrum*] Cic. Tusc. 1, 2: *Est in Originibus* (Catonis) *solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus.* Cfr. Tusc. 4, 2. — *Lydis*] Epod. 9, 5. Plato Polit. 3, 10: *Τίνας οὖν μαλακαί τε καὶ ξυμποτικαὶ τῶν ἁρμονιῶν; ἡ ἰαστὶ, ἡ δ' ὃς, καὶ λυδιστί, αἵτινες χαλαραὶ καλοῦνται. Ταύταις οὖν, ὦ φίλε, ἐπὶ πολεμικῶν ἀνδρῶν ἔσθ' ὅ τι χρήσει; Οὐδαμῶς, ἔφη, ἀλλὰ κινδυνεύει σοι ἡ δωριστὶ. λείπεσθαι καὶ φρυγιστί.* — *almae*] perpetuum Veneris ἐπίθετον. Lucret. 1, 2. — *Progeniem Veneris*] Aeneam ac totam gentem Iuliam a Iulo, Veneris nepote, ortam.

# Q. HORATII FLACCI

# CARMEN SECULARE.

## PROLEGOMENA.

De origine ludorum secularium et de ritu, quo in Campo Martio celebrabantur, vide locos Commentatoris Cruquiani et Zosimi L. 2, 5. in Ed. maiore, collato in primis Censorino C. 17. Augustus eos celebravit a. u. c. 737., cum primum decennium, in quod prorogandum sibi a senatu imperium curaverat a. u. c. 727., (quo anno etiam Augustus appellatus est:) praeterisset, qua occasione oblata partim praeclarum felicitatis imperii Romani se principe monumentum posteris proponere, partim Romanis legem suam de maritandis ordinibus commendare statuit. Finis igitur huius caerimoniae omnino erat *πολιτικώτατος*. Compacto autem rem cum Quindecim viris sacris faciundis ita egisse videtur, ut hi pro eius voluntate dicis causa consultis libris Sibyllinis et compositis fortasse illis ipsis versibus Sibyllinis, quos servarunt Phlegon Trallianus et Zosimus, pronuntiarent, ultimos ludos seculares celebratos esse a. u. c. 628., quo fortasse piaculum vel lustrum aliquod sollemne populi Romani factum erat, cum re vera proxime superiores editi essent a. u. c. 605. vel 608., sequentibus (a. u. c. 705. vel 708.) per bellorum civilium turbas intermissis; seculum autem finiri annis CX., qua in re Etruscam doctrinam secuti esse videntur, cum consuetudo Latina v. *seculum* pro centenis annis usurparet.

---

Phoebe silvarumque potens Diana,
Lucidum caeli decus, o colendi

1. *silvarumque potens*] (Od. 1, 3, 1.) *νοικῶν μεδέουσα*. Virg. Aen. 9, 495: *Astrorum decus et nemorum Latonia custos.*

Semper et culti, date, quae precamur
Tempore sacro,

Quo Sibyllini monuere versus
Virgines lectas puerosque castos
Dis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen.

Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis et celas aliusque et idem
Nasceris, possis nihil urbe Roma
Visere maius.

Rite maturos aperire partus
Lenis, Ilithyia, tuere matres,

5. 6. *Sibyllini versus* consulto memorantur, quia horum auctoritate utebatur Augustus in renovandis ludis secularibus. Virgines autem et pueri nunc, ut ita dicam, primum in scena comparentes, de se ipsi eo magis verba facere debebant, ut, cum ex primariis familiis lecti essent, inter hos ipsos versus ab iis cantatos *tacitum pertentaret gaudium* parentum *pectora*. — *Virgines lectas*] «chorum virginum XXVII. totidemque puerorum lectum castumque (nam duo ἐπίθετα ad utrumque sexum referuntur:) qui ex confarreatis patribus geniti simul essent ἀμφιθαλεῖς, patrimi et matrimi.»

9 — 12. *Alme Sol*] Cfr. formulam iuris iurandi Philippi cos. apud Diod. Fragm. Dind. p. 128: Ὄμνυμι τὸν Δία τὸν Καπετωλιον καὶ τὴν Ἑστίαν τῆς Ῥώμης καὶ τὸν πατρῷον αὐτῆς Ἄρην καὶ τὸν γέναρχον Ἥλιον καὶ τὴν εὐεργέτιν ζώων τε καὶ φυτῶν Γῆν (C. S. v. 29.), ἔτι δὲ τοὺς κτίστας γεγενημένους τῆς Ῥώμης ἡμιθέους καὶ τοὺς συναυξήσαντας τὴν ἡγεμονίαν αὐτῆς ἥρωας κτλ. Notandum Martis neque in verss. Sibyllinis neque apud Horatium mentionem fieri, ideo quod pacificatoris munere fungi volebat Augustus. — *celas*] «condis occidens.» — *aliusque et idem*] «quotidie renovato splendore eodemque vigore exoriens, adeo ut mortalibus novus videare, cum tamen idem sis ac die proxime superiore.»

13 — 16. *Rite*] «pro benigno tuo more.» — *aperire partus Lenis*] Graeca constructione: «Quae lenem te praebes in partubus ma-

Sive tu Lucina probas vocari
Seu Genitalis.

Diva, producas sobolem patrumque
Prosperes decreta super iugandis
Feminis prolisque novae feraci
Lege marita,

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos,
Ter die claro totiesque grata
Nocte frequentes.

Vosque veraces cecinisse, Parcae,

Carm. Sec. v. 16. *Genetyllis* B. coni.

turis in lucem proferendis.» — Eodem antiquorum more usus, quo Sat. 2, 6, 20: *Matutine pater seu Iane libentius audis*, et Aeschyl. Agam. 147: *Ζεὺς, ὅστις ποτ' ἐστίν, εἰ τόδ' αὐτῷ φίλον κεκλημένῳ, Τοῦτό νιν προσεννέπω*, deae optionem dat, utrum nomen ei acceptius sit, Graecumne illud *Εἰλειθυίας*, (quae ad parturientes venit opem latura:) an Latinum vel *Lucinae*, (quae allis eadem est cum Iunone:) vel *Genitalis*, *Γενεθλίας*, gignendi praesidis. Bentleii autem *Genetyllis* Latinis inauditum et Graecis turpiculum fere Venerisque potius quam Dianae *ἐπίθετον*.

17 — 20. *producas sobolem*] «profer eam in lucem atque eius numerum auge.» — *super iugandis*] «super lege de maritandis ordinibus, ut minueretur caelibum numerus ac mores corrigerentur.» Iam tum ab Augusto promota erat, et quidem ipso hoc ludorum secularium anno 737., obstante tamen iterum, ut a. 726., recusantium multitudine ac tumultu, adeo ut lata demum sit a. 762. nomine Papiae Poppaeae a consulibus suffectis accepto. — *Lege marita*] breviter ac nove dictum, *Ehegesetz*. Similiter Propert. 4, 11, 33: *faces maritae* pro nuptialibus.

21 — 24. *Certus undenos*] «Quod si vos fortunaveritis prolem Romanam, post *orbem*, *κύκλον*, *περίοδον* CX. annorum decursum iidem ludi vestri seculares rursus celebrabuntur.» — *Ter*] «ternis diebus totidemque noctibus.» — *frequentes*] «ab innumerabili civium multitudine celebratos.»

25 — 28. *veraces cecinisse*] Graeca constructione: *Wahrheitsin-*

Quod semel dictum est stabilisque rerum
Terminus servat, bona iam peractis
Iungite fata.

Fertilis frugum pecorisque Tellus
Spicea donet Cererem corona;
Nutriant fetus et aquae, salubres
Et Iovis aurae.

Condito mitis placidusque telo
Supplices audi pueros, Apollo;
Siderum regina bicornis, audi,
Luna, puellas:

Roma si vestrum est opus, Iliaeque
Litus Etruscum tenuere turmae,

v. 26. *dictum stabilisque* Fea e Codd. *dictum stabilis per aevum terminus servet* B. coni.

*gende Mächte.* Voss. — «Veraces in canendo id, quod ita a vobis *dictum* (decretum) est, ut in perpetuum valeat, quodque propter hoc ipsum *rerum* (fatorum) *terminus* (certus eventus) *servat*, stabilit.» Accius in Hecuba apud Priscian. 6. p. 716: *Veter fatorum terminus sic iusserat.* Lucret. 1, 78: *atque alte terminus haerens.* Virg. Aen. 4, 614: *Et sic fata Iovis poscunt, hic terminus haeret.* — *servat*] Optativo hic locus non est, propterea quod longe rectius pro certo affirmat servari a Parcis fatorum imperii Romani terminum. — *iam peractis*] «quibus adhuc feliciter usi sumus.»

29—32. *Tellus*] «Sit frugum ubertas et prospera pecudum fetura.» Schol. — *Fertilis - pecoris*] per zeugma pro *fecunda;* contra *fecundus* pro *fertilis* de arboribus Od. 3, 23, 6. — *fetus*] H. l. agrorum fruges. Cic. de Or. 2, 31: *quo meliores ager fetus possit et grandiores edere.* — *Iovis aurae*] Ex antiquo sermonis usu, quo tempora et varia caeli temperies et pluvia Iovi tribuebantur. Epod. 2, 29. Iliad. ε, 91: Διὸς ὄμβρος. Apollon. Rhod. 2, 527: ἐτήσιοι ἐκ Διὸς αὖραι.

37—40. *Roma si*] «si est, ut est reapse.» In precibus modestior particula quam *quoniam.*

Iussa pars mutare lares et urbem
Sospite cursu,

Cui per ardentem sine fraude Troiam
Castus Aeneas patriae superstes
Liberum munivit iter daturus
Plura relictis:

Di, probos mores docili iuventae,
Di, senectuti placidae quietem,
Romulae genti date remque prolemque
Et decus omne!

Quaeque vos bobus venerator albis
Clarus Anchisae Venerisque sanguis,
Impetret, bellante prior, iacentem
Lenis in hostem.

v. 49. *Quique* Fea et volgo. v. 51. *Imperet*, Fea et volgo.

Etenim sic proceduut sententiae: «Quoniam Roma vestrum est opus, etiam in posterum ei quocunque modo ut faveatis, precamur.» — *Iussa*] Apollinis oraculo. Virg. Aen. 4, 343. — *pars*] quotquot Aeneam comitati sunt. — *Sospite cursu*] «ita iussi, ut salvi in Italiam pervenirent.»

41—44. *sine fraude*] «sine damno aut pernicie cuiusquam»; ut Od. 2, 19, 20. — *Castus*] «pius, cui propterea favebatis.» Sic *incestus*, impius Od. 3, 2, 30. — *Plura*] «conditurus per posteros suos imperium Troiano potentius.»

45—48. *Di*] proxime refertur ad Apollinem et Dianam. — *senectuti placidae quietem*] «tranquillitatem, quam unice optant, senibus date, ut placide, sine ulla molestia ac miseria ad vitae finem perveniant.» — *remque*] «opum affluentiam.» — *prolemque*] *que* pronuntiandum cum v. seq.

49—52. *Quaeque*] «Et quae, boves albas vobis immolans, vos precatur Augustus, ea consequatur.» A. Caecina apud Cic. ad Fam. 6, 7: *qui multa deos venerati sunt contra eius salutem.* Sat. 2, 2, 124: *Ac veneratа Ceres, ita culmo surgeret alto.* — *bellante prior*] «itaque dis faventibus semper victor hostium evadat, clementer autem, ut decet virum fortem

Iam mari terraque manus potentes
Medus Albanasque timet secures;
Iam Scythae responsa petunt superbi
Nuper et Indi.

Iam Fides et Pax et Honos Pudorque
Priscus et neglecta redire Virtus
Audet apparetque beata pleno
Copia cornu.

Augur et fulgente decorus arcu
Phoebus acceptusque novem Camenis,
Qui salutari levat arte fessos
Corporis artus,

Si Palatinas videt aequus arces,

v. 65. *aras* Mein. e Codd. aliq.

pariter ac generosum, domitis parcat.» Virg. Aen. 6, 853: *Parcere subiectis et debellare superbos.*

54—56. *Medus*] Parthus. — *Albanas*] «Romanorum ex Alba Longa ortorum.» — *responsa*] «edicta illa Iulia (Od. 4, 15, 22.), quomodo seditiones intestinas componere, quid Romanis praestare debeant.» — *superbi*] iunge cum v. *Scythae*. Suet. Oct. 21. Dio 54, 9. Ovid. Trist. 2, 1, 227.

57—60. *Fides*] Theognis 1137: *Πίστις μεγάλη θεός.* — *Pax*] Eurip. Orest. 1682: *τὴν καλλίστην θεῶν Εἰρήνην.* — *Honos*, qui a Romanis colebatur, proprie est *Honos Virtutis*, qui virtutem consequitur; sed iam a M. Marcello bello Gallico ad Clastidium aedes HONORI ET VIRTUTI vota est. Liv. 27, 25. — *Pudor*] Apud Eurip. Hippol. 77: *ἀκήρατον λειμῶνα Αἰδὼς (δὲ) ποταμίαισι κηπεύει δρόσοις.* — *redire*] in terras, quas cum a mortalibus coli desita esset, maesta reliquerat; id quod Graeci de Astraea, *Δίκη*, narrabant. — *Copia*] abundantiae dea; cuius imagine praecipue delectatus esse Augustus videtur. Cfr. Od. 1, 17, 16. Epp. 1, 12, 28. — *cornu*] Graeci simile habent *Ἀμαλθείας κέρας*. Apud Senecam Med. 64. Paci ipsi tribuitur cornu copiae: *Et cornu retinet divite copiam.*

61—64. *acceptus*] Eurip. Med. 426: *Φοῖβος, ἀγήτωρ μελέων.* Orph. Hymn. 34, 6. est *Μουσαγέτης*, ut alibi Hercules. — *levat*] «medetur aegris.» V. *fessus* significat languidum ex morbo.

**Remque Romanam Latiumque felix**
**Alterum in lustrum meliusque semper**
**Proroget aevum.**

**Quaeque Aventinum tenet Algidumque,**
**Quindecim Diana preces virorum**
**Curet et votis puerorum amicas**
**Applicet aures.**

**Haec Iovem sentire deosque cunctos**
**Spem bonam certamque domum reporto,**
**Doctus et Phoebi chorus et Dianae**
**Dicere laudes.**

vv. 68. 71. 72. idem indicativos habet cum Codd. aliq.

65—67. *Si Palatinas--arces*] «Si propitius respicit, ut re vera respicit, aedem suam in monte Palatino ab Augusto ante hoc decennium magnificentissime exstructam.» Virg. Ge. 2, 535: (Roma) *Septemque una sibi muro circumdedit arces; alterum* autem «proximum»; iam sequitur tempus infinitum *meliusque semper aevum.*

69—72. *Quaeque*] Ut Apollinem per aedem Palatinam, sic Dianam obtestatur chorus per religiones et Romae et in Latio, in monte Algido (Od. 1, 21, 6.) illi institutas, ut, si propitia sit imperio Romano, hoc fortunare velit. — *Quindecim--virorum*] Cum hi ludi seculares ex librorum Sibyllinorum responso celebrarentur, quos solis Quindecimviris sac. fac. adire licebat, consentaneum erat, ut hoc sacerdotum collegium diserte memoraretur. Tacit. Ann. 11, 11: *Collegio Quindecimvirum antiquitus ea cura* (ludorum secularium), *et magistratus potissimum exsequebantur officia caerimoniarum.*

73—76. *Haec*] «quae precati sumus quaeque ut exaudiantur a dis immortalibus, ex animi nostri sententia optamus.» — *sentire*] «hanc eandem voluntatem esse deorum adeoque fore, ut nostras preces benigne exaudiant.» — *Doctus*] «edoctus a poëta.»

# Q. HORATII FLACCI

# EPODON

## LIBER.

---

## CARMEN I.

### AD MAECENATEM.

Ibis Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula,
Paratus omne Caesaris periculum
Subire, Maecenas, tuo.

1. Sane cum hoc carmen composuit, constitutum erat, ut Maecenas Octavianum in bellum adversus M. Antonium comitaretur, quod tamen consilium postea mutatum est Maecenasque Romae mansit, ut urbanis negotiis praeesset ac seditiones fortasse orituras mature opprimeret. (a. u. c. 723., quo anno pugna Actiaca pugnata est IV. Non. Sept.)

1—4. *Ibis*] «Caesaris navibus Liburnis (Od. 1, 37, 29.), quae celerrimae quidem, sed triremibus multo humiliores sunt, ibis inter ingentes illas triremes Antonii, cum hoc depugnaturus.» Actiaco proelio Liburnarum auxilio praecipue victus est Antonius. — *propugnacula*] De iisdem Virgil. Aen. 8, 691: *pelago credas innare revolsas Cycladas aut montes concurrere montibus altis; Tanta mole viri turritis puppibus instant.* Flor. 4, 11, 5: *Augusto quadringentae amplius naves, ducentae non minus Antonii; sed numerum magnitudo pensabat, quippe a senis in novenos remorum ordinibus*; (immo δεκήρους memorat Plut. Ant. 54.) *ad hoc turribus et tabulatis allevatae castellorum et urbium specie non sine gemitu maris et labore ventorum ferebantur*:

Quid nos? quibus te vita si superstite
Iucunda, si contra, gravis.
Utrumne iussi persequemur otium,
Non dulce, ni tecum simul,
An hunc laborem mente laturi, decet
Qua ferre non molles viros?
Feremus et te vel per Alpium iuga,
Inhospitalem et Caucasum,
Vel Occidentis usque ad ultimum sinum
Forti sequemur pectore.
Roges, tuum labore quid iuvem meo,
Imbellis ac firmus parum?
Comes minore sum futurus in metu,
Qui maior absentes habet;
Ut assidens implumibus pullis avis
Serpentium allapsus timet
Magis relictis, non, ut adsit, auxili

Carm I. v. 21. *uti sit auxili* B. cum Codd. aliq.

sed utroque scriptore teste ipsa illa navium moles exitio deinde fuit Antonio; Octaviani contra naves «*μικρότεραι καὶ ταχύτεραι.*» Dio l. l. — *Subire*] «excipere cum tuo periculo» cet.

5. 6. *Quid nos*] capiemus consilii? — *te vita si superstite*] Propter sequens *si* duplicem constructionem miscuit: «si superstes mihi eris» et: «te superstite.»

7 — 13. *iussi*] «Utrum ego, quem tu remanere in Italia iubes, cessabo in otio (quod alioqui poëtae gratissimum est:) an hunc militiae laborem feram ea mente, qua virum fortem decet»? — *sinum*] Oceani, ad Hispaniae oram ultimam. Schol.

18. *habet*] «tenet, occupat.»

19 — 22. *Ut assidens*] Aeschyl. S. adv. Th. 278. Blomf.: *δράκοντας ὡς Τις τέκνων ὑπερδέδοικε λεχέων δυσευνάτορας πάντρομος πελειάς.* «Ut avis eo tempore, quo fovet implumes pullos his relictis (dativ.), id est, cum eos escae petendae causa reliquit, magis timet serpentium impetus in nidum suum.» Statim autem sequitur comparatio v. *magis* significata; nimirum volgaris ratio cum fuisset: «timet magis pro relictis quam cum praesens est in nido»:

Latura plus praesentibus.
Libenter hoc et omne militabitur
Bellum in tuae spem gratiae,
Non ut iuvencis illigata pluribus
Aratra nitantur mea,
Pecusve Calabris ante sidus fervidum
Lucana mutet pascuis,
Neque ut superni villa candens Tusculi
Circaea tangat moenia.
Satis superque me benignitas tua

v. 26. *meis* Codd. aliq. v. 28. *pascua* Codd. aliq.

hanc praetulit: «etsi, licet adsit, non plus auxilii illis est latura»; pro quo pronomine non *sine* vi posuit *praesentibus*. — *ut adsit*] «licet praesens sit»: non vero, ut alii: «quamvis parata sit ad ferendam opem.»

23—26. *Libenter*] «Totius huius belli laborem adibo, nullo abs te praemio exspectato, sed tuae erga me benevolentiae spe ac studio ductus.» — *militabitur*] «a me»; nove dictum. Scholl. — *Non ut*] «Non ut plus quam ante agri possideam.» Hoc ita exornat: «non ut plures iuvenci *nitantur*, incumbant in terram proscindendam in arvo gravi et pingui, adeoque fertili.»

27. 28. *sidus fervidum*] ante Caniculae ortum. — *Lucana*] «ut numerosi mihi sint greges variisque in regionibus ampla pascua: ita ut, quemadmodum faciunt divites, aestate oves meae e Calabria in Lucaniam minus aestuosam agantur.» Varro R. R. 2, 2, 9: *mihi greges in Apulia hibernabant, qui in Reatinis montibus aestivabant*.

29. 30. *superni*] Vetus Tusculum in monte supremo conditum erat, hodiernum sive *Frascati* in clivo leniter assurgente. Tusculum autem *supernum* est pars superior clivi Tusculani propius oppidum. — *Circaea moenia*] Tusculum a Telegono Ulixis ex Circa filio conditum ferebant; Od. 3, 29, 8. Construe: *Non, ut villa candens tangat moenia Circaea Tusculi superni*, id est: «non opto, ut villa mihi obtingat marmorea et magnifice exstructa prope ipsum Tusculum.» Videlicet longe pretiosiores magisque appetitae erant villae amoenum illud oppidum proxime attingentes quam remotiores. Tres igitur res primarias inter locupletium possessiones enumerat, latifundia agri, pascua, villam amoeno situ magnifice exstructam.

31. 32. *Satis superque*] Od. 2,

**Ditavit: haud paravero**
**Quod aut avarus ut Chremes terra premam,**
**Discinctus aut perdam nepos.**

---

# CARMEN II.

## ALFIUS.

**Beatus ille, qui procul negotiis,**
**Ut prisca gens mortalium,**

v. 34. *ut nepos* volgo.

18, 12. — *Verba animi*, ut Iuvenalis ait, *profert* simplicissima et ad pedestrem orationem prope accedentia. Sic gratum animum verissime demonstrat nec tamen ad vilem adulationem descendit.

33, 34. *avarus ut Chremes*] Non cogitat Horatius de Menandri Thesauro, in quo senex quidem thesaurum in monumento occultarat, sed non avaritiae causa, verum ut filio prodigo patrimonii partem servaret. Contra in alia aliqua Menandri fabula *δανείστης Χρέμης*, *πρεσβύτης φιλοκερδής* (Alciphr. Epp. 3, 3.) avaritia impulsus thesaurum videtur defodisse. — *Discinctus*] «soluta, laxa veste indutus», ut solebant prodire homines molles ac luxu dissoluti. Sat. 1, 2, 25. — *perdam nepos*.] «*perdam*, *ἄσωτος ὤν*.» — *nepos*] *Mutterssohn*. Voss. «Nepotes luxuriosae vitae homines appellati sunt, quod non magis iis rei suae familiaris cura est quam iis, quibus pater avusque vivunt.» Festus. Adde, quod avi nimia indulgentia nepotes saepe corrumpunt.

II. Inducit Alfium, feneratorem ditissimum, (cuius mentionem facit etiam Columella 1, 7, 2: *Vel optima nomina non appellando fieri mala fenerator Alfius dixisse verissime fertur:*) optima fide praedicantem innumerabilia vitae rusticae gaudia ac delicias. Verum *εἰρωνεία* quattuor demum ultimis versiculis festive admodum et *παρὰ προσδοκίαν* prorumpit nosque docet in eo uno elaborasse Horatium, ut hominem ridiculum redderet. Etenim, cum iamiam in eo esset, ut tot tantasque voluptates facili opera sibi pararet, velut invitus, sed necessitudine quadam indolis suae coactus, illico ad pristinam lucri cupiditatem redit fenerator. «*Naturam expellas furca, tamen usque recurret.*» (a. u. c. 724?)

1 — 4. *prisca gens*] aurea illa aetas. — *Paterna*] « ac vel ideo

Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fenore,
Neque excitatur classico miles trucí,
Neque horret iratum mare,
Forumque vitat et superba civium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos,
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges;
Inutilesque falce ramos amputans
Feliciorés inserit;
Aut pressa puris mella condit amphoris;

Carm. II. vv. 10. seqq. sic ordinat G. Fabricius, Mitscherlich, Doering: vv. 10. 13. 14. 11. 12. 15.

modica, quia emptionibus aucta non sunt.» — *exercet*] «subigit, arat, propriis tamen bobus, non aliunde conductis.» Virg. Ge. 1, 99: *exercetque frequens tellurem atque imperat arvis.* — *Solutus*] «qui neque dat neque accipit fenori.»

5—8. *Neque*] «Neque militat nec mercaturam exercet nec tamquam petitor, reus, advocatus, accusator forensia habet negotia nec, cum nullius sit cliens, mane patronum superbum salutare necesse habet.» — *excitatur*] «e somno ad pugnam, tubae *terribili sonitu*.» (Ennius).

9. 10. *Ergo*] «Igitur, cum ab eiusmodi tricis liber sit, *maritat* arbores vitibus:» (proprium hoc rusticorum verbum.) — *propagine*] ramusculis vitis in terram curvatis ac defixis; unde cum radicibus actis convaluissent, tertio anno *adultis* arbores maritabantur. — *Altas*] iam Cato praeceptum dedit: *Quam altissimam vineam facito.*

11—14. *falx (Hippe)* frondatorum, putatorum, non minus quam messorum (*secula, Sichel.*) — *Feliciores*] Fronto ad Amic. 2, 6. p. 304. Rom.: *Leges pleraeque poena sanciunt, ne quis felicem arborem succidat. Quaenam est arboris felicitas? Rami fecundi et frugiferi, bacis et pomis onusti.*

15—20. *pressa*] mellatio; mel ex favis in saligneum qualum congestis expressum, eliquatum. Virg. Ge. 4, 140: *spumantia cogere pressis Mella favis.* — *infirmas*] «imbecillas multisque morbis obnoxias.» — *agris*] aptius hoc quam

Aut tondet infirmas oves;
Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus agris extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pyra,
Certantem et uvam purpurae,
Qua muneretur te, Priape, et te, pater
Silvane, tutor finium.
Libet iacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquae,
Queruntur in silvis aves,
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.

v. 18. *arvis* Codd. aliq. v. 25. *rivis* Fea e Codd. v. 27. *Frondesque* Markland.

aliorum *arvis*; cum *arvum* proprie sit, quod cuiusvis generis frumentum fert, *ager* contra locus in rure, qui qualicunque modo colitur, etiam arboribus et vitibus consitus, ut hic et Virg. Ge. 2, 5: *pater o Lenaee, - - tibi pampineo gravidus autumno Floret ager.* — *gaudet - - decerpens*] ut Graeci, ἥδεται δρέπων. — *insitiva*] «ab ipso inserta.» — *Certantem*] «quae colore aemulatur purpuram.»

21—24. *Priape*] Priap. 82, 4: *Assiduus custos ruris ut esse velis.* — *pater*] commune deorum ἐπίθετον. — *Silvane*] Virg. Aen. 8, 601: *Arvorum pecorisque deus*, h. l., ut alibi Terminus, *tutor finium.* — *tenaci*] «quod propter densitatem non statim cedens, sed sese aliquantum sustinens eo ipso molliorem cubanti veluti torum praebet.» Haud procul abest, quod Latini alibi *lentum*, nos *elastisch*, *soffice* vocamus.

25. 26. *interim*] «dum stratus est in herba.» — *altis - ripis*] *Altae*, excelsae, ripae propter flores et virgulta, quibus vestitae sunt, etiam propter rupes prominentes nescio quid habent grati ad sensum amoenitatis. — *Queruntur*] Sic μύρεσθαι, μινυρίζεσθαι de avibus: «ita canunt, ut queri videantur, in primis lusciniae.» Virg. Ecl. 1, 59: *Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.*

27. 28. *Fontes lymphis - - manantibus* (ablat. instrum.) *obstrepunt* iacenti. Ovid. ex Ponto 3, 1, 21: *Non avis obloquitur* (audituro.) — Hic igitur rivi *labuntur* celeri cursu, illic leniter scatu-

At cum tonantis annus hibernus Iovis
Imbres nivesque comparat,
Aut trudit acres hinc et hinc multa cane
Apros in obstantes plagas,
Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos,
Pavidumque leporem et advenam laqueo gruem
Iucunda captat praemia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Haec inter obliviscitur?
Quod si pudica mulier in partem iuvet
Domum atque dulces liberos,
Sabina qualis aut perusta solibus
Pernicis uxor Apuli,

riunt murmurantque fontes. — *quod*] «id quod», «qui gratus susurrus, quod murmur cet.» — *leves*] «securos ac suaves.» Totum locum sic imitatus est Seneca Hippol. 508: — *hic aves querulae fremunt, Ramique ventis lene percussi tremunt Veteresque fagi. Iuvit aut amnis vagi Pressisse ripas, cespite aut nudo leves Duxisse somnos, sive fons largus citas Defundit undas, sive per flores novos Fugiente dulcis murmurat rivo sonus.*

29—36. *annus*] «tempus anni hibernum ab Iove adductum.» Sic Virg. Aen. 6, 311: *frigidus annus.* — *trudit*] vehementius aliquanto v. quam: «agit.» — *multa cane*] In canibus venaticis poëtae amant genus femininum. Lucret. 1, 400: *canes ut montivagae.* Virg. Aen. 7, 131: *rabidae venantis Iuli - - canes.* — *in obstantes*] «ei loco, ubi transcursuri sunt apri, oppositas.» — *amite*] «furcula seu pertica aucupali.» Festus. (*Gaffel.*) — *levi*] «levigato.» Schol. — *rara*] propter maculas (*maglie, Maschen*) largiores quam sunt in retibus piscatoriis. — *dolos*] manifesto est appositio v. *retia*, nec significat *escas*. Turdi etiamnunc sine ulla esca ab Italis huius aucupii perquam studiosis capiuntur illicibus (*civette*), formidine (*logoro*), retibus, laqueis. *Edaces* autem vocantur, quia semina atque in primis iuniperi bacas continuo rostris appetunt. — *advenam*] «e genere adventicio.» Varro R. R. 3, 5, 7. Plin. 10, 23, 31: *grues hiemis, ciconias aestatis advenas.* — Anapaesti duo *pavidumq.* - *laqueo* et tribrachys *que lepo* ad celerem leporis cursum, volatum gruis imitandum consulto delecti videntur.

Sacrum vetustis exstruat lignis focum
Lassi sub adventum viri,
Claudensque textis cratibus laetum pecus
Distenta siccet ubera;
Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemptas apparet:
Non me Lucrina iuverint conchylia
Magisve rhombus aut scari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare;
Non Afra avis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Iucundior, quam lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum

37. 38. *Quis*] «Quis non *malarum*, molestarum curarum, quae amorem feminarum comitantur, obliviscitur»? Nulla prorsus inest difficultas nec in constructionis attractione (τίς οὐ κακίστων, ἅς ἔρως ἀνίας ἔχει, λανθάνεται;) neque in verbis ipsis. — *haec inter*] «inter haec venationis operisque rustici studia.»

39—42. *in partem*] «eam curarum domesticarum, quae ad strenuam mulierem proprie pertinet. *Sabina*] «quales esse solent Sabinae severae (Od. 3, 6, 38.) aut similes his Apulae ἡλιόκαυστοι.»

43. 44. Super foco Laribus *sacro* arida ligna large reponit et siccando sudori, quemadmodum aestate faciunt Itali, et balneo faciendo paullo ante viri adventum.

45—48. *cratibus*] σηκοῖς, e viminibus nexis; *cavlas* quoque et *saepta* vocabant. — *dolio*] vinum doliare nondum in cados diffusum.

49—52. *Lucrina*] optimi saporis ostrea e lacu Lucrino prope Baias Romam apportata. — *rhombus*] *turbot*, *Butte*. — *scarus sarget*, *Brasse*. — *intonata*] Sciebat post procellas plures capi solere scaros; iam hoc poëtice ita expressit: «si tempestas procellosa cum tonitru in mare Ionicum et Orientale (*Eois fluctibus*, Syriae praesertim:) immissa scaros ad hoc mare Tyrrhenum compellat.»

53—56. *Afra avis*] gallina Numidica, *Perlhuhn*. — *attagen*] *francolino*, *Birkhuhn* vel *Auerhahn* (Voss.) Martial. 13, 61: *Inter sapores fertur altum primus Ionicarum gustus attagenarum.*

Aut herba lapathi prata amantis et gravi
Malvae salubres corpori
Vel agna festis caesa Terminalibus
Vel haedus ereptus lupo.
Has inter epulas ut iuvat pastas oves
Videre properantes domum,
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido,
Positosque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares.
Haec ubi locutus fenerator Alfius,
Iam iam futurus rusticus,

57—63. *lapathi*] λάπαθον, *Sauerampfer*, *rumex* Latinis dicitur. — *gravi*] «aegro ex alvo adstricta.» — *salubres*] quia alvum molliunt. — *Terminalibus*] VII. Kal. Mart. (23. Febr.) Ovid. Fast. 2, 655: *Spargitur et caesa communis Terminus agna, Nec queritur lactens cum sibi porca datur.*

65. 66. *Positos*] «discumbentes ad coenam.» Plin. 33, 1, 6: *Apud antiquos singuli Marcipores Luciporesve dominorum gentiles omnem victum in promiscuo habebant.* — *ditis*] Tibull. 2, 1, 23: *Turbaque vernarum, saturi bene signa coloni.* — *examen*] Orator de Harusp. resp. 12: *servorum examina*, imagine ab apibus repetita. — *Circum* cet.] quia focus in medio situs erat, non ad parietem. — *renidentes*] «qui tersi sunt ac politi:» *reingebohnte* Voss.

67—70. *locutus*] «Haec ubi secum locutus erat Alfius, debitoribus appellatis, ad Idus solvendam sibi curat omnem pecuniam fenori datam, qua iamiam emat praedia, sed rursus stimulatus avaritia, quaerit Kalendis proximis eandem fenori dare; adeo inconstans, ut post paucos dies consilium agriculturae in posterum exercendae denuo abiiciat.» — *redegit*] *redigere pecuniam* est recipere ad se pecuniam qualicunque modo licito vel ex rebus venditis vel, ut hic, fenori datam. *Redegit* autem *Idibus* cum dicit, intelligamus necesse est prius appellatos esse debitores, ut eam ad diem solverent pecuniam mutuo sumptam. Ex compluribus autem locis merito colligimus, nisi forte in chirographo certa dies solvendae pecuniae constituta esset, in usu fuisse, ut pro feneratoris commoditate secundum debitorum appellationem pecuniae et Kalendis et Nonis et Idibus ab eo redigerentur. — *Quaerit*] «circumspicit,

Omnem redegit Idibus pecuniam,
Quaerit Kalendis ponere.

## CARMEN III.

### AD MAECENATEM.

Parentis olim si quis impia manu
Senile guttur fregerit,
Edit cicutis allium nocentius.
O dura messorum ilia!
Quid hoc veneni saevit in praecordiis?
Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit? an malas
Canidia tractavit dapes?
Ut Argonautas praeter omnes candidum
Medea mirata est ducem,

apud quem denuo possit collocare nummos.» — *Kalendis*] «sequentibus.» SCHOL. — *ponere*] Sic τιθέναι et καταβάλλειν τὸ κεφάλαιον, ut A. P. 421: *dives positis in fenore nummis.*

III. Iocosa exsecratio allii, quod ei ipscienti Maecenas in olere incoctum apposuerat. Miros enim tunc cibos ex talibus conficiebant. Cic. ad Fam. 7, 26: *fungos, heluellas, herbas omnes ita condiunt, ut nihil possit esse suavius.* (a. u. c. 721?)

1—4. *guttur*] Od. 2, 13, 6. usurpavit volgarius *frangere cervicem* pro *strangulare*. — «*Edit* potius dicendum quam *edat*. Antiqui enim dicebant *edim, edis, edit* cet.» ACRON. — *messorum ilia*] «quae ferre possint tam dirum venenum.» Cfr. Virgilii Moretum et Ecl. 2, 10: *Thestylis et rapido fessis messoribus aestu Allia serpyllumque herbas contundit olentes.*

6—8. *incoctus*] Sic Medea apud Ovid. Met. 8, 265: *Seminaque floresque et succos incoquit acres.* — *malas*] Virg. Ge. 2, 471: *coluber mala* (venenosa) *gramina pastus.* — *Canidia* saga, Horatii inimica. Cfr. Epod. 5. et 17.

9—12. *Ut*] «posteaquam Medea Iasonis ceteris omnibus Argo-

Ignota tauris illigaturum iuga
Perunxit hoc Iasonem;
Hoc delibutis ulta donis pellicem
Serpente fugit alite.
Nec tantus unquam siderum insedit vapor
Siticulosae Apuliae,
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarsit aestuosius.
At, si quid unquam tale concupiveris,
Iocose Maecenas, precor,
Manum puella savio opponat tuo,
Extrema et in sponda cubet.

Carm. III. v. 20. *Iocosa* Markland.

nautis pulchrioris amore capta est.» — *Ignota*] «iuga antea insueta tauris illis impositurum tali veneno perunxit, ne flammis, quas spirabant, laederetur.»

13. 14. *pellicem*] «Glaucen, (alii Creusam appellant:) Creontis, regis Corinthi, filiam, quam Iason in matrimonium ducturus erat, aeque acri veneno perdidit, atque est illud, quod in intestinis meis saevire sentio.» — *serpente*] «curru draconibus alatis iuncto, quem habuit ab avo Sole, per aërem avecta Athenas aufugit.»

15—18. *siderum*] «calor oppressit aridam Apuliam.» — *insedit*] incubuit,» ut Seneca Oedip. 47: *Sed gravis et ater incubat terris vapor.* — *munus*] vestis. Nessi Centauri cruore tincta, a Deïanira Herculi coniugi ioles amore capto funesto dono missa. Ovid. Met. 9, 130. — *humeris - Inarsit*] «humeris ardens inhaesit.» — *efficacis*] «difficillimis laboribus defuncti, θραστηρίου.»

19—22. *Iocose*] quatenus alio clam oblato amicum ludibundus deceperat. — *savio*] «amoris osculo.» Schol. — *sponda cubet*] De venere a puella negata accipio, ut est apud Tibull. 1, 9, 55. in simili imprecatione: *Tecum interposita languida veste cubet.* Alii: «sese quam longissime a te removeat in sponda lecti convivalis.»

# CARMEN IV.

## IN VEDIUM RUFUM.

Lupis et agnis quanta sortito obtigit,
Tecum mihi discordia est,
Hibericis peruste funibus latus
Et crura dura compede.
Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.
Videsne, Sacram metiente te viam

IV. Ex Codd. inscriptt. apparet mature sane interpretes cogitasse alios de *Sex. Mena*, Sex. Pompeii liberto, alios de *Vedio* quodam *Rufo*. Et hoc verum videtur, quo simul illa amovetur difficultas, quomodo *Menas*, dux classium Pompeianarum, v. 20. vocari potuerit *tribunus militum*. (a. u. c. 716.).

1—4. *sortito*] «sorte sive lege atque instinctu naturae.» — *Hibericis*] e sparto tortis, cuius magna est in Hispania copia. — *peruste*] de doloribus acribus flagellationis et compedum notisque lividis inde remanentibus. Epp. 1, 16, 47: *Loris non ureris, inquit*. Nos alia metaphora *gerben*, Graeci δέρειν.

5—8. *ambules*] de incessu superbo, ut Epod. 15, 18: *meo superbus incedis malo*. — *genus*] h. l. sordes serviles. — *Sacram-viam*] quae ad Capitolium ducit, otiosorum turba celeberrima. — *bis trium*] Cum inauditum sit et consuetudini Latinae contrarium *bis ter* pro *bis tres*, recepi post Bentleium et Meineckium Barthii coniecturam *bis trium*. Per notam certe scriptum est in Codd. meis B. et c. *bis t.* cum lineola. Designatur toga insolitae mensurae, quae propter longitudinem ad imos talos demissa *metiatur* viam, id est, eam semper tangat, radat. Tales homines in Catilinaria 2, 10. *velis amicti, non togis* vocantur.

9—12. *huc et huc*] «Oculos avertunt (detorquent) huc et illuc praetereuntes, ne te immerito superbientem videant. — *sectus flagellis*] caesus. Tibull. 1, 9, 22: *intorto verbere terga seca*. — *triumviralibus*] Triumviri capitales, (quorum praecipuum munus sic definit Cicero de Legg. 3, 3: *VINCLA SONTIVM SERVANTO:*

Cum bis trium ulnarum toga,
Ut ora vertat huc et huc euntium
Liberrima indignatio?
Sectus flagellis hic triumviralibus
Praeconis ad fastidium
Arat Falerni mille fundi iugera
Et Appiam mannis terit
Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contempto sedet!
Quid attinet tot ora navium gravi
Rostrata duci pondere

Carm. IV. v. 8. *bis trium*] Barthius. *bis ter* Libri.

*CAPITALIA VINDICANTO:*) de delictis meretricum, maleficiis servorum, aliorumque hominum humiliorum, in primis peregrinorum, cognoscebant, noxiosque aut capite plectebant aut flagellari iubebant ad columnam Maeniam. — *praeconis ad fastidium*] «usque ad satietatem praeconis, qui, dum a lictore flagellatur damnatus, altissima voce delictum eius rationemque poenae solebat proclamare.» Sic *Turinum, fumi venditorem* (hominem fallacem) Alexander Severus *fumo apposito, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri iusserat, necavit, praecone dicente: «Fumo punitur, qui vendidit fumum.»* Lamprid. Alex. Sev. 36.

13—16. *Arat*] possidet. «Haec referenda sunt ad Italiae situm, ubi ligatis ad arbores vitibus, omnes arantur vineae.» Schol. — *Falerni*] adeoque propter vina generosa optimi. — *Appiam*] «Crebro iter facit per viam Appiam ad inspectanda sua praedia.» De *mannis* vide Od. 3, 27, 7. — *terit*] Voss.: *zermalmt*. Est potius: «frequentat.» Virg. Ge. 1, 380: *Angustum formica terens iter*. — *Othone*] L. Roscius Otho trib. pl. a. u. c. 687. legem tulit, ne quis in quattuordecim gradibus orchestrae, in qua senatores, proximis sederet, nisi qui eques et equestri censu esset. Hoc ergo dicit: «Vedius adeo dives est, ut facile possit Othonem eiusque legem contemnere, id est, minime curare nec metuere, ne cognitione de suis fortunis instituta minus quam CCCC milia H. S. possidere reperiatur.» Contemnit sua cum lege Othonem, qui nihil contra illam admisit.

17—20. *ora* - - *Rostrata*] «rostra in navium proris.» — *gravi* - - *pondere*] propter ipsam navium

Contra latrones atque servilem manum,
Hoc, hoc tribuno militum?

# CARMEN V.

## IN CANIDIAM VENEFICAM.

At, o deorum quidquid in caelo regit
Terras et humanum genus,
Quid iste fert tumultus? aut quid omnium
Voltus in unum me truces?
Per liberos te, si vocata partubus
Lucina veris affuit,

magnitudinem. — *latrones*] «Quid prodest armari classem ab Octaviano contra fugitivos, quos armavit Sex. Pompeius, si Vedius olim servus ac latro, tribunus nunc factus est militum et classis praefectus?» Schol.

V. Scena haec est: immane scelus patraturae sagae puerum ingenuum, quem vel blanditiis a domo paterna seduxerant vel vi rapuerant, vivum in scrobe defodiunt, ut eius medulla et iecinore utantur ad philtra praeparanda. Ridiculum autem, quod senem tam perdite amat Canidia, ut horribile facinus ad eum sibi conciliandum facere non recuset. Singulari autem arte Horatius praestigias hasce magicas expressit et hic et Epod. 17. et Sat. 1, 8. Tametsi fuit re vera *Canidia* gens plebeia, Scholiastae tamen uno ore affirmant Canidiam hanc vero nomine fuisse Gratidiam Neapolitanam unguentariam (? cfr. vv. 59. 60.) et venefícam, a *canitie* sic ioci gratia appellatam. (a. u. c. 720?)

1. *At*] Hoc loco *at* abundare dicit Priscian. 17, 23., ad ornatum solum pertinere Servius ad Aen. 8, 363. Verum, ubi sic oritur orationem, exprimit animi commoti impetum ac trepidationem, cum qui loquitur se subito in alio quam antea statu collocatum videt, atque dolorem et iram significat. Cfr. Hand Turselt. I. p. 419 et 440. — *quidquid*] Liv. 23, 9: *iurantes per quidquid deorum est.* Est simpliciter: «o di caelestes, rectores terrarum cet.»

3. 4. *fert*] «novi affert; quorsum sic tumultuamini?» — *truces*] «quattuor sagarum voltus minitantur in me conversi.»

6 — 10. *Lucina*] Cfr. Carm. sec. 15. Egregie iocatur in re atrocissima verbis ambiguis usus, quae in anxii pueri ore innocen-

Per hoc inane purpurae decus precor,
Per improbaturum haec Iovem,
Quid ut noverca me intueris aut uti
Petita ferro belua? 10
Ut haec trementi questus ore constitit
Insignibus raptis puer,
Impube corpus, quale posset impia
Mollire Thracum pectora,
Canidia brevibus implicata viperis 15
Crines et incomptum caput,
Iubet sepulchris caprificos erutas,
Iubet cupressus funebres
Et uncta turpis ova ranae sanguine
Plumamque nocturnae strigis 20

tissima videntur: «si reapse Lucina tuos partus iuvit, ut procul dubio iuvit»; ex poëtae sensu mordacissima sunt: «si unquam vere peperisti;» quo ipso significat Canidiam falsos sibi supposuisse partus. (Cfr. Epod. 17, 50.) — *purpurae decus*] togam praetextam quae tueri atque inviolabilem reddere debebat puerum Romanum. *Inane* autem, «quatenus me non tutatur.» — *improbaturum*] Mollissimo verbo consulto utitur experturus, an sagae istae misericordia tangi queant, pro: «vindicaturum, puniturum.»

11 — 14. *Insignibus raptis*] praetexta et bulla, de qua Cic. Verr. Accus. 1, 58: *quod ornamentum pueritiae pater dederat, indicium atque insigne fortunae.* — *Impube corpus*] Est oppositio v. *puer*: «cum nudus destitueretur a sagis, eumque nondum ad pubertatem pervenisse appareret, (qui aspectus mollire posset immanes quoque barbaros,) Canidia cet.»

15—18. *brevibus*] Erichtho illa Lucani 6, 654: *Discolor et vario furialis cultus amictu Induitur voltusque aperitur crine remoto Et coma vipereis substringitur horrida sertis.* — *implicata*] instar Furiarum, ut has magas vocat Sat. 1, 8, 45. — *caprificos*] caprifici natae in sepulchrorum parietibus in primis efficaces sunt ad incantationes, quas praeparat saga. — *erutas*] «multo cum labore effossas ex lapidibus, quibus firmiter retinebantur earum radices.»

19. 20. *Et uncta*] Construe: *et ova nocturnae strigis uncta* (intincta, sparsa) *sanguine ranae, eiusdemque avis plumam.* — *tur-*

Herbasque, quas Iolcos atque Hiberis
Mittit venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta iejunae canis
Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana per totam domum
Spargens Avernales aquas
Horret capillis ut marinus asperis
Echinus aut currens aper.
Abacta nulla Veia conscientia,
Ligonibus duris humum
Exhauriebat ingemens laboribus,
Quo posset infossas puer
Longo die bis terque mutatae dapis
Inemori spectaculo,

*pis*] «foedae, omnibus exosae.» — *ranae*] De rubeta sive bufone loquitur. Strigem describit Ovid. Fast. 6, 139. Avis est nocturna mali ominis. Plin. 11, 39: *Esse in maledictis iam antiquis strigem convenit, sed quae sit avium, constare non arbitror.*

21 — 24. *Iolcos*] oppidum Thessaliae; mulieres autem Thessalae pro veneficis et magis habebantur. — *Hiberis*, regio Ponti inter Armeniam et Colchidem, venenatis herbis abundans. — *ossa*] excepta cani famelicae et propterea avidae atque iratae, eius sanie maculda. — *Colchicis*] «qualibus philtra et venena parabat Medea Colchis.»

25. 26. *expedita*] «succincta, ne deffluentes vestes impedimento essent.» Schol. — *Sagana*] Hanc veneficam, Canidiae sociam, memorat etiam Sat. 1, 8, 25. — *per totam domum*] ubi philtra coquebantur. — *Avernales*] «aquam lustralem ex malefico Averni lacu haustam.»

27 — 32. *currens*] Ovid. Halieut. 82: *Actus aper saetis iram denuntiat hirtis Et ruit oppositi nitens in volnera ferri Pressus.* — *Abacta*] «Nulla conscientia eius, quod ius fasque est, nulla cogitatio, quantum scelus esset commissura, tertiam istam sagam a proposito deterrere poterat.» — *humum*] «in domus impluvio scrobem faciebat, in quem puerum defoderet, anhelans propter laborem.»

33 — 36. *Longo*] Iunge *longo die*, «qui propter ipsa haec saeva tormenta longus puero videri debebat»; non, ut alii: *longo spectaculo.* — *bis terque*] «cibi novi

Cum promineret ore, quantum exstant aqua
Suspensa mente corpora,
Exsucta uti medulla et aridum iecur
Amoris esset poculum,
Interminato cum semel fixae cibo
Intabuissent pupulae.
Non defuisse masculae libidinis
Ariminensem Foliam
Et otiosa credidit Neapolis
Et omne vicinum oppidum,
Quae sidera excantata voce Thessala
Lunamque caelo deripit.
Hic irresectum saeva dente livido
Canidia rodens pollicem
Quid dixit aut quid tacuit? O rebus meis
Non infideles arbitrae,

Carm. V. v. 37. Alii *Exsucca*, *Exsecta*, *Exusta*. Bentl. *Exesa*, Meinecke *Exesta*.

saepius per diem appositi identidemque sublati, quo acueretur pueri fame enecti aviditas.» — *Inemori*] ἅπαξ λεγόμενον pro *immori*. — *Suspensa*] «quemadmodum nantes inde a mento exstant aquae superficie.»

37. 38. *Exsucta*] V. lectiones. «succo exhausta, exsiccata propter longa mortis tormenta.»

39 — 44. *Interminato*] a v. *minari*, «interdicto, vetito.» — «Statim cum oculi defixi in cibo, aviditate conlabefacti in morte defecissent.» Equidem iungo *cum semel intabuissent*, non *semel defixae*. — *masculae libidinis*] τριβάδα feminarum amore ardentem. — *Ariminum*, Umbriae oppidum. — *otiosa*] ut erant Graeculi, eoque cupidi talium sermonum, περιιόντες αὑτῶν πυνθάνεσθαι εἰωθότες «λέγεταί τι καινόν;» (Demosth. Philipp. 1, p. 43.) — *omne vicinum*] Neapoli, ut Puteoli, Capua, Cumae, Surrentum.

45 — 49. *excantata*] «cantu magico e sedibus suis mota.» — *irresectum*] »non resectum pollicis unguem rodit,» rabiei signum. — *Quid dixit*] Epp. 1, 7, 72: *dicenda tacenda locutus*. Sic h. l. «incredibilia dixit.»

Nox et Diana, quae silentium regis,
Arcana cum fiunt sacra,
Nunc nunc adeste, nunc in hostiles domos
Iram atque numen vertite.
Formidolosis dum latent silvis ferae
Dulci sopore languidae,
Senem, quod omnes rideant, adulterum
Latrent Suburanae canes
Nardo perunctum, quale non perfectius
Meae laborarint manus.
Quid acciderit? Cur dira barbarae minus
Venena Medeae valent?
Quibus superbam fugit ulta pellicem,
Magni Creontis filiam,
Cum palla, tabo munus imbutum, novam
Incendio nuptam abstulit.

v. 55. *Formidolosae* e Codd. Fea. v. 60. *laborarunt* Codd. aliq. Mein. v. 63. *superba* Codd. aliq. v. 65. *infectum* Cod. B. Bern.

50—54. *arbitrae*] «fidelissimae testes, consciae et praesentes.» Schol. — *silentium*] «quae silentio praes idque praestas magicis sacris.» — *hostiles*] «Mihi propitiae sitis, ira vestra in hostes meos ablegata.»

55. *Formidolosis*] «quae formidinem incutiunt horrore suo et tenebris.» Virg. Ge. 4, 468: *Et caligantem nigra formidine lucum.* — *Senem - - Latrent*] ut Epp. 1, 2, 66: *venaticus - - pellem latravit catulus.* — *Suburanae*] Subura, regio Romae, ubi habitabant prostibula.

59. 60. *laborarint*] «quo ne ego quidem, si maxime vellem, beneolentius praeparare possem.»

61 — 64. *Cur dira*] «Cur ipsa mea venena, non minus profecto potentia quam ea, quibus usa Medea Creusam s. Glaucen, et totam Creontis regiam incendio consumpsit, nihil nunc mihi prosunt neque ullam vim in Varum exercent?» — *superbam*] ut omnis aemula ei, cuius amores laedit, iniqua et arrogans videtur. — *fugit*] «Athenas, curru draconibus iuncto per aërem avecta.»

65 — 67. *palla*] Misit Glaucae λεπτόν τε πέπλον καὶ πλόκον. χρυσήλατον. Eurip. Med.

Atqui nec herba nec latens in asperis
Radix fefellit me locis.
Indormit unctis omnium cubilibus
Oblivione pellicum.
Ah ah! solutus ambulat veneficae
Scientioris carmine.
Non usitatis, Vare, potionibus,
O multa fleturum caput,
Ad me recurres nec vocata mens tua
Marsis redibit vocibus.
Maius parabo, maius infundam tibi
Fastidienti poculum,
Priusque caelum sidet inferius mari,

782. — *tabum*, pr. sanguis corruptus, h. l. pro veneno, lue. — *in asperis*] Sic aconita *nascuntur dura vivacia caute* Ovid. Met. 7, 418.

69—72. *Indormit*] Hoc quoque inter ritus magicos, quibus usa sit, memorat saga, inunxisse se Vari ipsius lectulum magico succo, cuius ea vis fuerit, ut ille oblivisceretur omnium aliarum amicarum praeter ipsam. Sed neque hoc aemularum *μισητρον*, ut contraria *φίλτροις* vocabant, tunc eam iuverat.

73—76. *potionibus*] V. *potio* frequens de philtris ac venenis, unde apud Suet. Calig. 20: *potionatus*, et Gallorum *poison*. — *fleturum*] «doliturum propter insaniam et furorem, quibus te afficiam.» — *vocata mens*] «nec mens tua meis venenis semel alienata mihique obnoxia facta, incantationibus Marsis revocata, unquam ad sanitatem libertatemque redibit.» Ovid. A. A. 2, 106: *Philtra nocent animis vimque furoris habent.* — *Marsis*] Gell. 16, 11: *Marsis hominibus vi quadam genitali datum est, ut serpentium virulentorum domitores sint et incantionibus herbarumque succis faciant medelarum miracula.*

77—82. *Fastidienti*] «me aspernanti», non: «qui propter nauseam priora philtra non potavit.» — *caelum sidet*] «priusque cuncta rerum natura invertetur, ita ut caelum mari subsidat terra mari superfecta.» — *atris*] bitumen ipsum *nigrum* (Virg. Ge. 3, 451.) ardens spissum fumum exhalat.

83—86. *Lenire*] «non iam lenire tentabat, quippe cui desperatio adderet dicendi libertatem.» — *Thye-*

Tellure porrecta super,
Quam non amore sic meo flagres uti
Bitumen atris ignibus.
Sub haec puer iam non ut ante mollibus
Lenire verbis impias,
Sed dubius unde rumperet silentium
Misit Thyesteas preces:
Venena magnum fas nefasque non valent
Convertere humanam vicem:
Diris agam vos; dira detestatio
Nulla expiatur victima.
Quin, ubi perire iussus exspiravero,
Nocturnus occurram furor

*steas preces* ] «prorupit in diras, quales Thyestae fuerant in exsecrando Atreo, qui fratri filios trucidatos in frusta dissectos et coctos apposuerat.»

87. 88. *Venena* ] Vera constructio haec est: *Magnum fas nefasque humanam vicem non valent convertere venena;* id est, «leges divinae, quibus distinguitur fas et nefas, more modoque hominum (humanis sensibus) non valent commovere ad humanitatem et clementiam vos, sagae immanes: ergo meris sensibus humanis relictis, quibus vos mollire iam despero, ad religiones recurram dirisque vos exagitabo.»

*Fas nefasque* ex consuetudine Latina in illis *sacra et profana, divina et humana, fanda nefanda, honesta inhonesta, dicenda tacenda* (ῥητὰ καὶ ἄῤῥητα), significat «omnino omnia, quae lex divina statuit aut licita esse aut nefaria.» *Magnum* autem *fas*, quia divinum atque aeternum est discrimen inter fas atque nefas. — *humanam vicem* ] «quomodo hominibus δυνατόν, concessum est;» *auf menschliche Weise:* nam «tuam vicem doleo, anxius sum, irascor», hoc significat: «eodem modo doleo, ac mihi certum est te dolere debere». — *venena* ] Adde: «et quae haec miscent, sagae conscleratae.»

89. *dira detestatio* ] «Vim religiosae imprecationis nemo effugere potest:» et hoc quidem ex communi veterum persuasione. Recordare modo Crassum diris devotum ab Ateio trib. pl., quem nulla caerimonia potuit ab exitio servare. Plin. H. N. 28, 21: *De-*

Petamque voltus umbra curvis unguibus,
Quae vis deorum est manium,
Et inquietis assidens praecordiis
Pavore somnos auferam.
Vos turba vicatim hinc et hinc saxis petens
Contundet obscoenas anus.
Post insepulta membra different lupi
Et Esquilinae alites;
Neque hoc parentes heu mihi superstites
Effugerit spectaculum.

*figi quidem diris deprecationibus nemo non metuit.*

92. 93. *Nocturnus - furor*] lemur, larva. (*Furor* pro *Furia*, sed *furorem* dixit, cum de puero agatur. Gloss.) Virg. Aen. 4, 386: *Omnibus umbra locis adero: dabis, improbe, poenas. — curvis unguibus*] Cogita Furias, quae praelongos habent ungues incurvos. (Böttiger, *Furienmaske* in fine.)

94 — 98. *manium*] «ut lege divina concessum est umbris ius in sicarios ac veneficos saeviendi eosque ulciscendi.» Val. Flacc. 3, 386. de necatis: *patet ollis ianua leti Atque iterum remeare licet; comes una sororum Additur et pariter terras atque aequora lustrant. Quisque suos sontes inimicaque pectora poenis Implicat et varia meritos formidine pulsant.— inquietis*] «terrore palpitantibus inhaerens eaque assidue vexans, *assidens*, ut Incubus.» — *vicatim*] «per omnes Urbis vicos insecuta lapidibus vos obruet.» — *obscoenas*] «abominandas propter illicitas artes magicas.» Obscoena dicuntur omnia, quae in auspiciis atque auguriis mali sunt ominis.

99 — 102. *different*] «dilacerabunt, discerpent ac dissipabunt.» — *Esquilinae*] In Fastis Verrii Flacci p. 21. scribitur *in Exquilias*. — *alites*] «accipitres, voltures, milui, qui ibi servorum et maleficorum supplicio affectorum cadavera semisepulta devorant.» Cfr. Sat. 1, 8. In nomine proprio minus licenter neglexit elisionem quam Od. 1, 28, 24. in vv. *capiti inhumato*. — *Effugerit spectaculum*] «hoc saltem solatio luctum suum lenient atque allevabunt.» Summa cum arte incertos primum nos dimittit poëta, utrum diffugerint sagae post pueri diras, an crudeliter necatus sit; verumtamen hoc ipsum satis clare significat.

# CARMEN VI.

## IN INIMICUM.

Quid immerentes hospites vexas canis
Ignavus adversum lupos?
Quin huc inanes, si potes, vertis minas,
Et me remorsurum petis.
Nam qualis aut Molossus aut fulvus Lacon,
Amica vis pastoribus,
Agam per altas aure sublata nives,
Quaecunque praecedet fera:
Tu, cum timenda voce complesti nemus,
Proiectum odoraris cibum.

VI. In quem invehatur, incertum est. Plerique cum Acrone, Comm. Cruq. et Codd. aliq. referunt ad Cassium Severum, oratorem sane maledicum, qui tamen cum a. u. c. 786. senex mortuus sit in exilio, circiter a. u. c. 720., quo hoc carmen compositum videtur, puer etiamtunc fuit vel adolescentulus summum XX. annorum. Alii cogitarunt de Maevio, malo poëta, in quem est Epod. 10.

1. 2. *hospites*] «peregrinos, qui etsi innoxii sunt neque ulla te iniuria lacessiverunt, te civem Romanum timentes non audent acriter resistere minis tuis.» — *canis*] «homo impudens, sed simul timidus, ubi in quempiam incurris, qui tibi viribus superior est, ut lupus cani ignavo.»

3. 4. *si potes*] «si audes.»

5. 6. *Molossos*, magnos canes Epiroticos, et *Laconicos* coniungit etiam Virg. Ge. 3, 405. — *amica vis*] Qui, quia praesidio et custodiae sunt gregibus, cari sunt pastoribus. Lucret. 6, 1220: *fida canum vis*. Virg. Aen. 4, 132: *odora canum vis*.

7. 8. *aure sublata*] «arrectis auribus alacer agitabo.» — *praecedet*] «a me e lustro excitata et in fugam coniecta.»

9. 10. *Tu*] «Tu contra, canis ignave, cum diu multumque inaniter latrasti formidabilem in modum, tamen cibo tibi obiecto statim nares admoves atque obmutescis;» dempta imagine: «lingua perquam promptus es ad alios contumeliis lacerandos, sed mu-

Cave, cave: namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua,
Qualis Lycambae spretus infido gener
Aut acer hostis Bupalo.
An, si quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

# CARMEN VII.

## AD ROMANOS.

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?

nere oblato, illico taces.» *Proiectum* hic prima significatione, «ita iactum, ut ante pedes tibi cadat.» Magis solitum esset *obiectum*, ut Virg. Aen. 6, 422: *offam Corripit obiectam.*

12. 13. *tollo cornua*] Alia imago tauri. — *gener*] «Qualis Archilochus, qui Lycamben socerum propterea, quod ille Neobulen filiam poëtae iam desponsam mutata voluntate se daturum negarat, tam maledicis versibus insectatus est, ut illum aegritudini animi remedium suspendio quaerere coëgerit atque ad idem mortis genus sponsam quoque suam adegerit.»

14—16. *Bupalo*] Plin. 36, 5: *Bupalus et Athenis clarissimi in sculpendi scientia fuere, Hipponactis poëtae aetate, quem certum est LX. Olympiade fuisse. Huic notabilis foeditas voltus erat, quamobrem imaginem eius lascivia iocorum ii proposuere ridentium circulis. Quod Hipponax indignatus amaritudinem carminum destrinxit in tantum, ut credatur aliquibus ad laqueum eos compulisse, quod falsum est.* Hipponax *ἐν τῷ κατὰ Βουπάλου πρώτῳ ἰάμβῳ* apud Schneidev. Eustath. p. 49: *Ἔβωσε Μάλας παῖδα, Κυλλήνης πάλμυν (βασιλέα·) Ἑρμῆ κυνάγχα, Μηονιστὶ Κανδαύλα, Φωρῶν ἑταῖρε, δηῦτε μοι σκαπαρδεῦσαι (λοιδορῆσαι.)* — *atro dente*] «contumeliis ac minis.» Martial. 5, 28, 7: *Rubiginosis cuncta dentibus rodit.* — *puer*] «Ego, non me ulciscens, flebo, ut puer?» (qui adversus adultum ac robustiorem defendere se nequit.)

VII. Referri videtur hoc carmen ad initium belli Perusini a. u. c. 713. Vide ad Epod. 16. Alii mi-

Parumne campis atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?
Non, ut superbae invidae Karthaginis
Romanus arces ureret,
Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via,
Sed ut secundum vota Parthorum sua
Urbs haec periret dextera.
Neque hic lupis mos nec fuit leonibus
Unquam nisi in dispar feris.
Furorne caecus, an rapit vis acrior?
An culpa? Responsum date.

Carm. VII. v. 12. *Nunquam* Bentl. Moin. ex Ed. Ven. 1490. v. 13. *caecos* Bentl. e Codd.

nus apte referunt ad initium secundi belli, quod Octavianus cum M. Antonio gessit a. u. c. 723. Graviter suos cives increpat propter arma civilia denuo sumpta.

1—3. *scelesti*] Od. 1, 2, 29. Od. 2, 35, 53. Od. 2. 1, 5. — *Aptantur*] «cur gladii denuo destringuntur?» — *condîti*] «vaginis inclusi.» Acron. (post proelium Philippense a. u. c. 712.) — *Neptuno*] frequenter a poëtis pro mari et pro quavis aqua ponitur.

5. 6. *Non*] «Et quidem non fusus est sanguis ille, ut cet.» — *invidae*] Sal. Cat. 10: *Karthago aemula imperii Romani.* — *arces ureret*] «ut factum est ante hos CV. annos.»

7. 8. *Intactus*] «armis Romanis, nondum perdomitus.» Od. 3, 24, 1. — *descenderet*] *Sacra via*, cuius incolae *Sacravienses*, dicebatur, quia ibi foedus ictum erat inter Romulum et Tatium.

9. 10. *secundum*] eodem usu, quo Cic. ad Att. 16, 16, 5: *quae consules decreverint secundum Caesaris decreta et responsa.* pr. *in Folge des Wunsches.* — *sua — dextera*] Differt aliquantum, quod solent afferre, Eped. 16, 2: *Suis et ipsa Roma viribus ruit*, quod significat «nimia imperii mole:» h. l. «armis intestinis.»

11. 12. *Unquam*] Construe: *Neque hic mos unquam fuit feris lupis nec leonibus nisi in dispar genus.* Bentleius sic construxit: *neque hic mos fuit lupis neque leonibus, nunquam feris nisi in dispar;* ubi sentis pro perfecto requiri praesens tempus.

13. *Furorne caecus*] dicitur ut Od. 1, 18, 14: *caecus amor sui.* Pro altera lectione a Codd.

Tacent et albus ora pallor inficit
Mentesque perculsae stupent.
Sic est: acerba fata Romanos agunt
Scelusque fraternae necis,
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

## CARMEN VIII.

### IN ANUM LIBIDINOSAM.

Rogare longo putidam te seculo,
Vires quid enervet meas?
Cum sit tibi dens ater et rugis vetus
Frontem senectus exaret,

minus munita *caecos* afferre possis Sat. 2, 3, 44: *quemcunque insciția veri Caecum agit.* — *vis acrior*] «fati ipsius, fatalis necessitas.»

15 — 20. *pallor albus*] «summus pallor; nobis *Todesblässe.* — *perculsae*] quia consciae sunt et culpae et tristis necessitatis. — *agunt*] «persequuntur, ut pernicie sua luant scelus» cet. — *Ut*] «ex quo», ut Od. 4, 4, 42. — *Sacer*] «ut piaculum luendus, quia a fratre profusus est, ἐναγής.» *ein Fluch den Enkeln.*

VIII. Archilochio modo invehitur in mulierem divitem ac nobilem, sed vetulam, libidinosam et, quod peius erat, philosopham. (a. u. c. 715?)

1 — 6. *Rogare*] infinitivus indignationis. Ter. Eun. 2, 13: *satine hoc mandatumst tibi?* P. *Ah rogitare!* — *seculo*] «effetam senio.» *Seculum* idem vocabulum atque ἡλικία, simili transpositione ac μορφή, *formă.* — *vetus — senectus*] Terent. Eun. 4, 4, 21: *Hic est vetus, vistus, veternosus senex.* Tibull. 1, 8, 50: *veteres senes*, flaccidos atque imbecillos. — *exaret*] «ita ut in fronte habeas veluti sulcos rugarum.» — *crudae*] «quae cibum non concoquit ideoque nec continet.»

7 — 10. *Sed incitat*] «Sed fortasse putabis incitari me ad amorem» cet. — *tumentibus*] aqua intercute propter exactam aetatem.

Hietque turpis inter aridas nates
Podex velut crudae bovis.
Sed incitat me pectus et mammae putres,
Equina quales ubera,
Venterque mollis et femur tumentibus
Exile suris additum!
Esto beata, funus atque imagines
Ducant triumphales tuum,
Nec sit marita, quae rotundioribus
Onusta bacis ambulet.
Quid, quod libelli Stoici inter sericos
Iacere pulvillos amant?
Illiterati num minus nervi rigent?
Minusve languet fascinum?
Quod ut superbo provoces ab inguine,
Ore allaborandum est tibi.

— *additum*] «quasi additamenti loco super impositum.»

11 — 14. *Esto beata*] Concessio: «Esto quamvis dives ac nobilis, atque funus tuum praecedant imagines maiorum tuarum, qui triumphos egerunt.» Imagines enim illae etiam in feminarum funeribus ducebantur. — *marita*] Hoc nomen vix alibi reperitur nisi in aliquot Inscripti. tertii vel quarti post Chr. seculi. — *bacis*] Rotunditas uniones commendat, ut et candor et magnitudo et levor, ut scribit Plin. 9, 35. «Bacae sunt uniones seu *peruli*.» (hinc *perle*, *Perlen*.) Schol. — *ambulet*] «superba incedat per plateas ac vicos.»

15—20. *libelli Stoici*] «Etiamsi, quemadmodum Caerellia illa, Ciceronis amica, philosophiae studium affectas atque severa Stoicorum scripta reponere soles in pulvillis tuis sericis, credisne propter hanc litterarum simulationem me tui amore exarsurum esse? De temet ipsa quaero, num putes propterea minus *rigere* (frigere, torpere) nervos meos, qui philosophiam, quam tu ostentas, nequaquam curant?» — *superbo*] «fastidiente, minus obsequioso.» Schol.

# CARMEN IX.

Quando repostum Caecubum ad festas dapes
Victore laetus Caesare
Tecum sub alta, sic Iovi gratum, domo,
Beate Maecenas, bibam,
Sonante mixtum tibiis carmen lyra, 5
Hac Dorium, illis barbarum?
Ut nuper, actus cum freto Neptunius

IX. Ultimum hoc Epodon carmen statim post acceptum primum victoriae Actiacae (IV. Non. Septembr. a. u. c. 723.) nuntium, domi suae potantem se componere fingens optat, ut mox sibi concedatur apud Maecenatem Caesaris reditum ac triumphum celebrare laeto convivio.

1—4. *repostum*] «vinum interioris notae reservatumque ad dies festos.» — *Caecubum*] in agro Latii iuxta Fundos. — *sub alta*] in turri, (*Thurmpalast* Voss.), quam dicebant, Maecenatiana, sita in hortis Esquilinis. — *sic Iovi gratum*] «Eidem Iovi, qui Caesari victoriam concessit, acceptum est, ut eam debito modo celebremus.» — *Beate*] «opulente, cuique omnia ex voto cedunt,»

5. 6. *Sonante*] Symphoniam dicit ex artis musicae praeceptis alternatim sese excipiente atque rite composita harmonia Phrygia (*tibiis*) et Dorica (*lyra*). *Τὴν Δωριστὶ ἁρμονίαν τοῖς πολεμικοῖς ἀνδράσιν ἁρμόζουσαν* vocat Plutarch. de Mus. p. 1136. c. — *barbarum*] *Φρυγιστί*, quae compotationi est accommodatissima. Od. 3, 19, 18.

7—10. *Ut nuper*] «Quemadmodum abhinc sexennio (a. u. c. 718.) fecimus, ut sollemne convivium ageremus propter Sex. Pompeium devictum ab Octaviano et Agrippa prope Messanam et *actum* (*διωχθέντα*, fugatum) ex freto Siculo (posteaque in Asia interfectum ab Antonianis.) — *Neptunius dux*] «Sex. Pompeius se filium dicebat esse Neptuni, ut ait Livius, elatus rerum mari gestarum felicitate, quare in habitu Neptuni, veste nimirum cyanea, contra hostes pugnabat.» Comm. Cruq. — *ustis navibus*] Dio 49, 10: *πάντα τὰ σκάφη (Σέξτου) τά τε ἐς τὸ τεναγῶδες ὀκέλλοντα ὁ Καῖσαρ κατεπίμπρη.* — *Servis*] Dio 48, 19: *τό τε Σέξτου ναυτικὸν*

Dux fugit ustis navibus,
Minatus Urbi vincla, quae detraxerat
Servis amicus perfidis.
Romanus, eheu, posteri negabilis,
Emancipatus feminae
Fert vallum et arma miles et spadonibus
Servire rugosis potest,
Interque signa turpe militaria
Sol adspicit conopium.
Adhuc frementes verterunt bis mille equos

Carm. IX. v. 17. Al. *Ad hunc*, *At huc*. Bentl.: *Ad hoc*; Fea; *At hoc*.

καὶ τὸ τῶν δούλων τῶν ἐκ τῆς Ἰταλίας ἀφικνουμένων προσλαβὼν κάμηλον ηὐξήθη. Τοσοῦτοι γὰρ δὴ ηὐτομόλουν, ὥστε καὶ τὰς ἀεικεῖς ἐσθῆτας καθ' ἱερῶν εὔξασθαι ἐπισχεθῆναι σφῶν τὰς αὐτομολίας.

11 — 14. *Romanus - - Emancipatus*] *Emancipare se alicui* est «se veluti in eius mancipium transferre, totum se alteri tradere.» Iam proprie quidem usus Antonius se emanciparat Cleopatrae; sed quatenus ipsius milites in eius verba iuraverant, hi quoque Cleopatrae mancipia recte appellari poterant; indignitasque totius rei in eo vel maxime cernebatur, quod, cum in ceteris Romanam disciplinam servarent, *vallum* etiam, palum muniendis castris destinatum, ferrent (Cic. Tusc. 2, 16.), tamen reginae eiusque eunuchis ignominiosam servitutem servirent. — *spadonibus*] Cleopatrae familiaribus ac necessariis. Od. 1, 37, 9. Plutarch. Ant. 60: Προσεῖπε Καῖσαρ, ὡς Ἀντώνιος μὲν ὑπὸ φαρμάκων οὐδ' ἑαυτοῦ κρατοίη, πολεμοῦσι δ' αὐτοῖς Μαρδίων ὁ εὐνοῦχος καὶ Πόθεινὸς καὶ Εἰρὰς ἡ Κλεοπάτρας κουρεύτρια καὶ Χάρμιον, ὑφ' ὧν τὰ μέγιστα διοικεῖται τῆς ἡγεμονίας.

15. 16. *turpe*] adiect. v. *conopium*, non magis est exclamatio, quam Od. 2, 7, 12. Est autem *conopium* velum lineum tenuissimis maculis distinctum, Latine *culicare* (Schol. Iuven. 6, 80.), ad culices, κώνωπας, arcendos, de quo molitiei instrumento indignatur etiam Propert. 3, 11, 45: *Foedaque Tarpeio conopea tendere saxo* Cleopatram minatam esse memorans.

17. 18. *Adhuc*] «eo ipso temporis puncto, quo conspexerunt ignominiosum illud conopium, quod tenderat Cleopatra, Galli eo indignati ad Caesarem transierunt; noch da das Mückennetz sich erhob,

Galli, canentes Caesarem,
Hostiliumque navium portu latent
Puppes sinistrorsum citae.
Io Triumphe, tu moraris aureos
Currus et intactas boves?
Io Triumphe, nec Iugurthino parem
Bello reportasti ducem,
Neque Africanum, cui super Karthaginem
Virtus sepulchrum condidit.
Terra marique victus hostis Punico
Lugubre mutavit sagum.

*wandten u. s. w.* In prosa or. «illico,» «tunc ipsum»,» simulatque pudor eos incessit, desciverunt ab Antonio.» — V. *frementes* Schol. Cruq. et Lamb. referunt ad *equos*, sed h. l. ἐπίδετον esset otiosum: rectiusque refertur ad summam Gallorum iram atque indignationem. — *verterunt*] pennult. brevi. — *Galli*] sunt Gallograeci s. Galatae Deiotari minoris. Plut. Ant. 63. ante pugnam: ἐγένοντο δὲ καὶ βασιλέων ἀποστάσεις Ἀμύντου καὶ Ἀδιοτάρου πρὸς Καίσαρα. «Gallos ideo commemorat, ut pudore pulset animos Romanorum, qui passi sunt servitute se subiici spadonibus, id quod Galli sunt dedignati.» Comm. Cauq. — *canentes*] «laeta eum acclamatione identidem Caesarem salutantes, *Salve Caesar!* clamantes, ut qui in eius verba iuraturi essent.

19. 20. *Hostiliumque*] Hoc dicit: «partem quoque sociorum Antonii navalium simili pudore vel etiam infelicis exitus metu perculsam ignave latuisse in portu aliquo ab Actio Orientem versus sito:» sive verus eius rei nuntius Romam pervenerat sive suo iure id finxit, ut equitatui Gallico in eo pudoris vel etiam timoris affectu classis quoque hostilis pars consociaretur. — *citae*] partic. «citatae, actae;» *puppes ciere*, in prosa or. (retro) inhibere remis, πρύμναν χρούεσθαι. *Sinistrorsum* autem ei, qui a Septentrione contuebatur Actium, sinistram versus omnes regiones orientales sitae erant, primum Peloponnesus, tum Asia minor, ipsa Aegyptus; haec saltem intra Orientem et Meridiem, *Süd-Ost*.

21. 22. *Io Triumphe - - boves?*] «Currus ipsi triumphales parati sunt: cur tu, Triumphe, eis in mora es?» Sine imagine: «Quando tandem Caesar triumphabit?» — *aureos*] «fulgentes ebore et lamnis aureis.» Flor. 1, 5: *Inde est, quod aurato curru quattuor equis triumphatur.* — *intactas*] «nondum sub iugum missas.» «A triumphanti-

Aut ille centum nobilem Cretam urbibus
Ventis iturus non suis,
Exercitatas aut petit Syrtes Noto,
Aut fertur incerto mari.
Capaciores adfer huc, puer, scyphos
Et Chia vina aut Lesbia,
Vel, quod fluentem nauseam coërceat,
Metire nobis Caecubum.
Curam metumque Caesaris rerum iuvat
Dulci Lyaeo solvere.

bus bos alba et indomita in Capitolio immolari solebat.» Comm. Cruq.

23 — 26. *Iugurthino*] «Non par fuit Caesari Marius nec Scipio Africanus minor.» — *super Karthaginem*] «super solum, ubi steterat illa.» — *Virtus*] «Virtus dea voluit, ut Karthaginis parietinae sempiternum essent Scipionis monumentum.»

27. 28. *Terra*] Copiae Antonii terrestres, cum per septem dies eum exspectassent, ὡς αὐτίκα ποδὲν ἐκφανησόμενον, -- τέλος δὲ τοῦ στρατηγοῦ Κανιδίου νύκτωρ ἀποδράντος, γενόμενοι πάντων ἔρημοι τῷ κρατοῦντι προσεχώρησαν. Plut. Ant. 68. — *Punico*] «purpureo s. coccineo paludamento imperatoris deposito gregale (pullum) sagum sumpsit, quod squaloris et luctus signum esset.» Florus 4, 11. de Antonio: *Aureum in manu baculum; ad latus acinaces; purpurea vestis ingentibus obstricta gemmis; diadema adĕrat.*

29 — 32. *non suis*] «non propitiis, adversis:» *mit nicht gewognem Wind.* Voss. — *Exercitatas*] «συρομένας, hinc illinc iactatas a Noto:» *aufgewühlt.* Voss.

33 — 38. *Capaciores*] «In laetitiam effusi largius iam potemus.» — *fluentem*] «potu nimio profluentem.» Schol. De vomitu loquitur, non de alvo per nauseam soluta. Imago nobis quidem minus grata, ac propterea ita mitigata a Vossio: *der schlaffen Ekel bändiget.* Rem in Romanorum conviviis admodum solitam neque apud illos pudendam quantum potest urbane significat. — *coërceat*] ideo quod Caecubum erat austerum atque εὐστόμαχον. — *Metire*] quia in miscendo certa quadam, etsi ad lubitum convivarum varia, cyathorum meri et aquae mensura utebantur.

# CARMEN X.

## IN MAEVIUM POETAM.

Mala soluta navis exit alite
Ferens olentem Maevium.
Ut horridis utrumque verberes latus,
Auster, memento fluctibus.
Niger rudentes Eurus inverso mari
Fractosque remos differat.
Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
Frangit trementes ilices.

Carm. X. v. 8. *Sternit* Bentl. susp. *Plangit* Wakefield.

X. Diris naufragium imprecatur Maevio. «Maevius poëta fuit inimicus Horatii, obtrectator omnium virorum doctorum, ipse sectator vocum antiquarum.» Schol. Triumphos Caesaris male descripsit.» Virg. Ecl. 3, 90: *Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi.*

1 — 6. *Mala - - alite*] Od. 1, 15, 5. — *Utrumque latus* ut *verberet* Auster, oportet navem a procella circumagi. — *Niger*] «nubes cogens.» Od. 1, 5, 6. Opponuntur *Notus albus* Od. 1, 7, 15. et *candidi Favonii* Od. 3, 7, 1. — *inverso*] «commoto ac perturbato.» — *differat*] «disiiciat.»

8 — 10. *Frangit trementes*] «commotas ab Aquilone et conquassatas.» Cum vi repetit v. *frangere*, quod longe significantius est improbabili illa coniectura *plangit*. — *Nec sidus - - amicum*] «salutare, ut Castor et Pollux, ex-ea caeli regione ei appareat, ubi occidit *tristis*, perniciem afferens, *nautis infestus Orion.*»

12 — 14. *iram ab Ilio*] Minerva prius Troianis irata propter Paridis iudicium, eadem ira persecuta est Graecos in patriam revertentes, propterea quod Aiax minor Cassandram deae supplicem in eius templo violarat. Odyss. δ, 502. Virg. Aen. 1, 39: *Pallasne exurere classem Argivum atque ipsos potuit submergere ponto Unius ob noxam et furias Aiacis Oilei?*

16 — 18. *luteus*] a v. *lutum*,

Nec sidus atra nocte amicum appareat,
Qua tristis Orion cadit:
Quietiore nec feratur aequore,
Quam Graia victorum manus,
Cum Pallas usto vertit iram ab Ilio
In impiam Aiacis ratem.
O quantus instat navitis sudor tuis
Tibique pallor luteus
Et illa non virilis eiulatio,
Preces et aversum ad Iovem,
Ionius udo cum remugiens sinus
Noto carinam ruperit!
Opima quodsi praeda curvo litore
Porrecta mergos iuveris,
Libidinosus immolabitur caper
Et agna Tempestatibus.

herba, cuius succo pannorum infectores utuntur. (*Wau, Gilbkraut.*) Est igitur color croceus, gilvus, qualis solet esse arquatorum. Tibull. 1, 8, 52: *nimius luto corpora tingit amor.* — *non virilis*] Cic. Tusc. 2, 33: *Eiulatus ne mulieribus quidem concessus est.* — *aversum*] «qui a precibus aures avertit.» Aliquanto lenius est quam *adversus.*

19—24. *udo*] «pluvias afferente.» — *remugiens*] de fluctuum rauco sono, ut Od. 3, 10, 5. — *Porrecta*] de cadavere extento, ut Catull. 67, 6: *Postquam est porrecto facta marita sene.* — *mergos*] ἀῖδνια, fulica mergus. Mergi quidem cadavera non attingunt, sed ponuntur h. l. pro aliis avibus marinis, ut haliaeetis. — *iuveris*] «paveris.» Schol. — *Tempestatibus*] L. Scipio cos. a. u. c. 494. Inscriptt. Lat. N. 522. DEDET (sic) TEMPESTATIBVS AIDE MERITO. Virg. Aen. 5, 172: *Tempestatibus agnam Caedere deinde iubet;* et quidem nigram. Virg. Aen. 3, 120: *Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus album.* «Iocose sane pro inimici interitu se rem divinam facturum dicit, quae alioqui fit pro salute navigantium.» Gloss.

# CARMEN XI.

## AD PETTIUM.

Petti, nihil me sicut antea iuvat
Scribere versiculos amore percussum gravi,
Amore, qui me praeter omnes expetit
Mollibus in pueris aut in puellis urere.
Hic tertius December, ex quo destiti
Inachia furere, silvis honorem decutit.
Heu me, per urbem, nam pudet tanti mali,

Carm. XI. v. 2. *perculsum* Fea e Codd.

XI. Lycisci, pueri amati, arrogantia ac superbia summopere commotus, dolenter Pettio, sodali suo, fatetur miseram suam sortem, quae ipsum discussis sanioribus consiliis atque obiurgationibus amicorum continuo amoris, et eius quidem parum prosperi, laqueis irretiat. (a. u. c. 717?)

1. 2. *Petti - - scribere versiculos*] Non sine taedio de priore suo studio loquitur. — *percussum*] πληγέντα, tamquam flagro vel stimulo. Virg. Ge. 2, 476: *ingenti percussus amore.* Aen. 9, 197: *magno laudum percussus amore.* Nimium foret *perculsum*, quod dicitur de vehementi ictu, velut est electricus, qui intimos vel corporis vel animi nervos penetrat tamque acriter commovet, ut prope attonitos nos reddat. Cfr. Epod. 7, 16.

3. 4. *praeter omnes*] «ultra alios omnes.» Schol. — *me expetit*] «me ante omnes petit, eligit, quem urat.» Ovid. Met. 7, 21: *Quid in hospite regia virgo Ureris?* sic h. l. *urere in pueris*; sicque *ardere* ac *suspirare in aliqua*, et Propert. 1, 13, 7: *Perditus in quadam tardis pallescere curis.* Cfr. Oudend. ad Suet. Oct. 69.

5 — 8. *tertius December*] mensis pro anno. — *Inachia*] pr. puella Argiva, ab Inacho Argorum rege. Eandem memorat Epod. seq. 15. — *honorem*] frondes. Virg. Ge. 2, 404: *Frigidus et silvis Aquilo decussit honorem*; sic *ruris honores* Od. 1, 17, 16. — *nam pudet*] «invitus nec sine indignatione dico me derisui hominibus fuisse; *nam pudet* tantae ignominiae.» — *Fabula* haud raro de sinistro rumore. Tib. 1, 4, 83: *Parce puer, quaeso, ne turpis fabula fiam.*

9 — 14. *Arguit*] «Est perfecti temporis.» Acr. — *spiritus*] «suspi-

Fabula quanta fui! Conviviorum et poenitet,
In quis amantem et languor et silentium
Arguit et latere petitus imo spiritus.
Contrane lucrum nil valere candidum
Pauperis ingenium? querebar applorans tibi;
Simul calentis inverecundus deus
Fervidiore mero arcana promorat loco.
Quodsi meis inaestuet praecordiis
Libera bilis, ut haec ingrata ventis dividat
Fomenta volnus nil malum levantia,
Desinet imparibus certare summotus pudor.
Ubi haec severus te palam laudaveram,
Iussus abire domum ferebar incerto pede

ria ex imo pectore petita.» Virg. Aen. 1, 371: *Suspirans imoque trahens a pectore vocem.* — *Contrane*] Triplex h. l. constructio contracta 1) ex interrogatione: *Contrane lucrum nil valet ingenium?* 2) exclamatione indignationis: *Contra lucrum nil valere ingenium!* 3) *Querebar nil valere ingenium.* — *applorans tibi*] «cum lacrimis meos amores tibi confessus.» Vix alibi reperitur v. quam hic et apud Senecam Quaestt. nat. 4, 2, 6. — *inverecundus*] «quo liberalius sumpto omnis verecundia elabitur.» — *loco*] «ex intimo animo, ubi mei amoris arcana condita erant.»

15 — 18. *inaestuet*] «incandescat, commota fuerit.» Schol. — *Libera bilis*] Epod. 4, 10: *liberrima indignatio.* — *ingrata*] «quorum, quia frustra admota sunt, me iam taedet pigetque.» Callim. Cer. 90: *τὰ δ' ἐς βυθὸν οἷα θαλάσσης Ἀλεμάτως ἀχάριστα κατέῤῥεεν.* — *dividat*] «in auras dispergat.» Schol. Nihil aliud significat *ventis dividere* quam «libere proferre querimonias de amica superba aliosque amatores praeferente;» in quo ipso inest *summotus pudor* (*δυσωπία*), qui antea poëtam impediverat, quo minus in Inachiam inveheretur. Od. 1, 26, 1: *tristitiam - Tradam - Portare ventis.* «Hoc semel cum fecero,» inquit, «desinam certare cum rivalibus, qui mihi ingenio certe (v. 12.) *impares*, inferiores quam ego sunt, iisque Inachiam me aspernatam ultro concedam.»

19 — 22. *severus*] «Ubi talia, quemadmodum mihi certe videbar, memet ipso contentus, satis constanti et praefracto animo iactaveram, a te admonitus, ut ex convivio recta domum meam redirem nec deflecterem ad amicae ianuam,

Ad non amicos heu mihi postes et heu
Limina dura, quibus lumbos et infregi latus.
Nunc gloriantis quamlibet mulierculam
Vincere mollitie amor Lycisci me tenet;
Unde expedire non amicorum queant
Libera consilia nec contumeliae graves,
Sed alius ardor aut puellae candidae
Aut teretis pueri longam renodantis comam.

---

# CARMEN XII.

## IN ANUM LIBIDINOSAM.

Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris?
Munera quid mihi quidve tabellas
Mittis nec firmo iuveni neque naris obesae?
Namque sagacius unus odoror,
Polypus an gravis hirsutis cubet hircus in alis,

rursus tamen vix mihi conscius ac prope invitus ad hanc trahebar.» — *incerto pede*] «primum resistente, deinde semper maiore cum vi clanculum ad Inachiam me perducente.» — *infregi latus*] «ibi porrectus latus defatigavi.»

23—28. *gloriantis*] «qui ea superbit, quod forma delicata omnem mulierculam antecedat.» — *contumeliae*] sodalium graves obiurgationes et amara irrisio. «*Nicht stronger Vorwurf oder Hahn.*» Voss. — *teretis*] Sic Itali *tornito garzone* (Gargallo.) *schlank gerundet.* — *renodantis*] «eleganter in nodum colligentis, religantis, puellae instar.»

1—6. *Quid tibi vis*] Pr. «quodnam tuum est consilium?» tum idem fere ac: «quid insanis? satin sana es? Nihil profecto proficies, fatua!» — *barris*] «Apud Indos elephantus a voce *barrus* vocatur; vox eius *barritus*.» Isid. Origg. 12, 2, 14. — *tabellas*] pugillaria, epistolas amatorias. — *neque naris obesae*] «naris, quae males odores facillime persentiscat atque horreat.» — *unus*] ante omnes. — *hircus*] molestus odor

Quam canis acer, ubi lateat sus.
Quis sudor vietis et quam malus undique membris
Crescit odor, cum pene soluto
Indomitam properat rabiem sedare, neque illi
Iam manet humida creta colorque
Stercore fucatus crocodili, iamque subando
Tenta cubilia tectaque rumpit;
Vel mea cum saevis agitat fastidia verbis:
Inachia langues minus ac me;
Inachiam ter nocte potes, mihi semper ad unum
Mollis opus. Pereat male, quae te
Lesbia quaerenti taurum monstravit inertem;
Cum mihi Cous adesset Amyntas,
Cuius in indomito constantior inguine nervus
Quam nova collibus arbor inhaeret.
Muricibus Tyriis iteratae vellera lanae
Cui properabantur? Tibi nempe,
Ne foret aequales inter conviva, magis quem

hircinus sub alis. — *cubet*] «velut ibi lateat.»

7—11. *vietis*] «senio iam flaccidis, marcidis.» H. l. bisyllabum. — *manet*] «omnes iam fuci, quibus utitur, propter sudorem diffluunt.» — *creta*] Creta ut cerussa pro fuco utebantur. — *crocodili*] Plin. 28, 8, 28: *Crocodili intestina diligenter exquiruntur iucundo nidore referta. Crocodilea illita ex oleo cyprino molestias in facie enascentes tollit* cet.

13—15. *Vel mea*] Nova sententia cum abruptius inferatur, indignationem poëtae egregie exprimit. «Rursus quam importuna et abominanda est, cum fastidium, quo eam repello, saevis opprobriis exagitat!» Ex vv. 7. seqq. *qui sudor* elice: «quam item foeda est, cum me obiurgat!» Ad usum vv. *vel cum* cfr. Virg. Aen. 11, 406. seqq. — *Inachia*] Epod. 11, 6.

17. 18. *Lesbia*] ancilla, vel potius lena. — *Cous*] Damoxenus apud Athen. 1, 26: *Νεανίας ἐτῶν ἴσως ἑπταχαίδεκα, Κῶος· θεοὺς γὰρ φαίνεθ' ἡ νῆσος φέρειν.*

21—24. *Muricibus*] «Vestis illa purpurea dibapha cui magno cum

Diligeret mulier sua quam te.
O ego non felix, quam tu fugis, ut pavet acres
Agna lupos capreaeque leones!

# CARMEN XIII.

## AD AMICOS.

Horrida tempestas caelum contraxit et imbres
Nivesque deducunt Iovem; nunc mare, nunc siluae
Threïcio Aquilone sonant. Rapiamus, amici,

Carm. XIII. v. 3. *amice* Bentl. coni.

studio parabatur mittebaturque dono nisi tibi, ingrate? Ne scilicet inter sodales tuos quisquam esset, qui pretiosius amoris pignus ab amica sua acceptum ostentare eoque se iactare posset.» — *mulier* pro amica, ut Catull. 70, 1: *Nulli se dicit mulier mea nubere malle Quam mihi.* — *quam te*] «quam tua te.»

XIII. Die hiberno et procelloso sodales exhortatur, ut genio indulgeant, et, ut saepe, laetiorem vitae usum propter mortem brevi tempore instantem iis commendat, exemplo desumpto a praeceptis, quae Chiron, sapientissimus Centaurus, olim alumno Achilli dederit. (a. u. c. 722?)

1. 2. *Horrida tempestas*] Anacreon Fr. 7. Bergk: *Μεὶς μὲν δὴ Ποσιδηιὼν Ἔστηκεν, νεφέλαι δ' ὕδατι Βαρύνονται ἰδ' ἄγριοι χειμῶνες παταγοῦσιν.* — *contraxit*] «spatium caeli, quale alias oculis videtur, coartavit nubibus obductis.» — *deducunt Iovem*] Ex antiquissima Latinorum sententia Iuppiter ipse in Terram per imbres descendit, id est, principium generans in illud, quod concipit. H. l. omissa fecundandi notione imaginem ita invertit, ut imbres Iovem in terram deducant.

3. 4. *Rapiamus*] «arripiamus occasionem nos exhilarandi eadem celeritate, qua dies hodiernus illam offert, crastino minime confisi, de quo quidem, ubi venerit, idem valebit.» — *amici*] Sic Od. 1, 27, 7. et Od. 37, 4. *sodales* alloquitur; v. autem 6., propter quem Bentleius coniecit *amice* (vocat., non adverb.), se convertit ad *συμποσίαρχον*, qui vinum praebebat. — *virent*] Solita apud Latinos imagine, ut Od. 1, 9, 17: *Genua* frequenter pro roboris propria sede. Plin. H. N. 11, 45: *inest genibus vitalitas.* Theognis

Occasionem de die, dumque virent genua
Et decet, obducta solvatur fronte senectus.
Tu vina Torquato move consule pressa meo.
Cetera mitte loqui: deus haec fortasse benigna
Reducet in sedem vice. Nunc et Achaemenio
Perfundi nardo iuvat et fide Cyllenea
Levare diris pectora sollicitudinibus;
Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:
Invicte, mortalis dea nate puer Thetide,
Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi

v. 10. *duris* B. e Codd. v. 13. *proni* Bentl. susp. *puri* Hofman Peerlkamp.

977! *Ταῦτ' ἐσορῶν κραδίην εὖ πείσομαι, ὄφρα τ' ἐλαφρὰ Γούνατα καὶ κεφαλὴν ἀτρεμέως προφέρω.*

5. 6. *obducta*] «curis et tristitia quasi nubila.» Sic *συννεφὴς* Creon apud Eur. Phoen. 1307. D. — *senectus*] «morositas, taedium,» quo significatu *senium* saepius usurpatur. — *Tu*] «convivator,» non «pincerna», ut volunt Schol. — *move*] «proferri iube ex apotheca.» — *Torquato*] L. Manlio Torquato consule a. u. c. 689. Horatii natali. Od. 3, 21, 1.

7. 8. *Cetera*] «quae sollicitos nos habent, omitte nunc.» — *in sedem*] «deus aliquis grata vicissitudine reddet statum certum ac firmum iis, quae nunc labant.» — *Achaemenio*] Cfr. Od. 2, 11, 16. 2, 12, 21. 3, 1, 44. Genus neutrum firmant etiam mei Codd., ut Epod. 5, 59.

9. 10. *fide Cyllenea*] «lyra inventa a Mercurio, nato in Cyllene, Arcadiae monte.» — *diris*] «crudeliter nos excruciantibus ac propterea detestabilibus.»

11. 12. *grandi*] ut erant heroum formae maiores volgo. Odyss. ω, 40: *Κεῖσο μέγας μεγαλωστί.* — *Centaurus*] Chiron, qui in Pelii montis antro Aesculapium, Iasonem, Achillem educavit. Iam Hesiodo tribuebantur *παραινέσεις ἐπὶ διδασκαλίᾳ τῇ Ἀχιλλέως* (Pausan. 9, 31, 5.) — *Invicte*] Construe v. *Invicte* per se posito, ut est Virg. Aen. 6, 365 et 8, 293. *Invicte, puer nate mortalis dea*, potius quam: *Invicte puer, nate mortalis dea;* «qui, quamvis filius deae marinae, morti obnoxius es.»

13. 14. *Te manet*] «Fatale tibi est ad Troiam proficisci.» Assaracus, Trois filius, Anchisae avus. Iliad. υ, 230. — *parvi*] Contra Iliad. υ, 73: *μέγας ποτα-*

Findunt Scamandri flumina, lubricus et Simoïs;
Unde tibi reditum certo subtemine Parcae
Rupere, nec mater domum caerula te revehet.
Illic omne malum vino cantuque levato,
Deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis.

# CARMEN XIV.

## AD MAECENATEM.

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Oblivionem sensibus,
Pocula Lethaeos ut si ducentia somnos

v. 15. *curto* Bentl. susp. v. 18. *aegrimoniae ac dulcibus* Bentl. susp.

μὸς βαθυδίνης, Ὃν Ξάνθον καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον. Verum progrediente tempore vel ex parte erat exsiccatus vel hominibus longe minor fama Homerica videbatur, unde Lucan. 9, 974. rhetorice: *Inscius in sicco serpentem pulvere rivum Transierat, qui Xanthus erat.* — *Findunt* ] «perfluunt.» — *lubricus* ] Accipe potius de celeri quam de tortuoso.

15. 16. *certo* ] «immutabili, inevitabili.» «Certo fato *abscindunt tibi reditum*, redire te vetant Parcae.» — *caerula* ] pr. «maris colorem habens, marina», ut Od. 1, 17, 20: Circen *vitream* dicit. «Nec ipsa tua mater, dea maris, veluti praesens comes iter tuum in patriam fortunabit.»

17. 18. *cantuque* ] Iliad. ι, 186: Τὸν δ' εὗρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ, -- ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν. — *Deformis* ] «quae deformes reddit, deturpat sollicitos.» Construe autem: *vino cantuque, dulcibus alloquiis*, id est, quae dulcia sunt παραμύθια, solatia *deformis aegritudinis*. Varro L. L. 6, §. 57. *Adlocutum mulieres ire aiunt, cum eunt ad aliquem locutum consolandi causa.* Catull. 38, 5: *quem - qua solatus es allocutione?*

XIV. Maecenati, qui instantius, quemadmodum videtur, Epodon συλλογὴν ut ederet ab eo petierat, se excusat, propterea quod Phrynes amore captus inertiae se dediderit; quam satis validam causam esse minime latere ne ipsum quidem amicum pariter amori obnoxium. (a. u. c. 721?).

1 — 4. *imis sensibus* ] ut alibi *imo corde, imo pectore*, sicque Virg. Ecl. 3, 54: *Sensibus haec imis (res est non parva) reponas.* — *oblivionem* ] carminis tibi pro-

Arente fauce traxerim,
Candide Maecenas, occidis saepe rogando:
Deus, deus nam me vetat
Inceptos, olim promissum carmen, iambos
Ad umbilicum adducere.
Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teium,
Qui persaepe cava testudine flevit amorem,
Non elaboratum ad pedem.
Ureris ipse miser: quodsi non pulchrior ignis
Accendit obsessam Ilion,
Gaude sorte tua; me libertina neque uno
Contenta Phryne macerat.

Carm. XIV. v. 13. Fort. *quando*. V. Ed. mai.

missi. — *ducentia*] sic *soporem ducere* pro *adducere* etiam Tib. 1, 2, 80. — *traxerim*] Cfr. 1, 17, 21. et 4, 12, 14. *ducere pocula.*

5—8. *occidis*] «toties me rogas, ut crucies me et eneces; nam quid aliud tandem respondere possum quam deum, id est, Amorem me impedire?» — *olim*] «iamdudum, ut scis, tibi promissum librum iambornm,» ut a maiore parte eum vocat. — *Ad umbilicum adducere*] id est, «absolvere.» «Extremitas chartae papyraceae vel membranae, ex quibus conficiebantur volumina; agglutinabatur baculo, cui circumvolvebatur totum volumen. Illius capita ex osse aut ligno facta *umbilici* vocabantur, quia in media parte libri erant. Fea.

9—12. *Bathyllo*] De eo est inter Pseudanacreontica Carm. 29.; in veris Reliquiis non memoratur. — *Non elaboratum*] Anacreontis ἀφέλειαν, naturale et simplex scribendi genus, longe diversum a poëtarum Alexandrinorum indole potius significat, quam ut negligentius, quod ad numeros attineat, eum versus composuisse reprehendat.

13—16. *Ureris*] «Quam vim exerceat amor, ipse probe nosti; etenim tu quoque amas feminam pulcherrimam.» De Terentia, Maecenatis uxore, explicant plerique praecuntibus tribus Scholiastis, eo quod mox libertinae opponatur ingenuae. — *quodsi*] «Certe ipsa illa Helena, quae Paridem amore incendit, quaeque Trojae excidii causa exstitit, non fuit tua puella formosior: tuo igitur te bono oblecta ac fruere.» — *macerat*] Cfr. ad Od. 1, 13, 8.

# CARMEN XV.

## AD NEAERAM.

Nox erat et caelo fulgebat Luna sereno
Inter minora sidera,
Cum tu magnorum numen laesura deorum
In verba iurabas mea,
Artius atque hedera procera adstringitur ilex,
Lentis adhaerens brachiis:
Dum pecori lupus et nautis infestus Orion
Turbaret hibernum mare,

Carm. XV. vv. 8. 9. *Turbarit - - agitarit* Bentl. et Meinecke e Codd.

XV. Neaerae, quae amatorem divitem Horatio praeferebat, perfidiam graviter incusat, iniectaque iuris iurandi, quo suam quondam amoris fidem sanctissime alligarit, religione ac neglecti eius divina vindicta minatusque se discidium, ubi semel perdoluerit, bene ac fortiter laturum, ad saniora eam consilia revocare annititur. Tum ad rivalem suum conversus, suo ipsum exemplo edocet monetque, quam fallax aura ista sit, quam iam experiatur tam secundam. Mitsch. Eodem Neaerae nomine usus est cum Horatius Od. 3, 14, 21., tum Pseudotibullus (Lib. III.) (A. u. c. 721?)

4. *In verba*] Formulam, qua milites duci se dicto audientes fore iurabant, hic ad amores transfert, ut ad philosophiam Epp. 1, 1, 14: *Nullius addictus iurare in verba magistri.*

5 — 7. *hedera*] Od. 1, 36, 18. «Adhaerens lentis tuis brachiis artius quam procera (*hochragend*) ilex circumplicatur ab hedera.» — *Lentis*] «flexibilibus ac tenacibus, (*mit zähen Armen angeschmiegt.* Voss et Garve.) — *pecori lupus*] «infestus foret.» — *Turbaret* et *agitaret* requiritur a vv. *Nox erat* et *iurabas*, atque cogitatio utrobique vertitur in tempore imperfecto. — *Orion*] Od. 1, 28, 21. 3, 27, 18. Epod. 10, 8.

11 — 14. *O dolitura*] «Ubi vi-

Intonsosque agitaret Apollinis aura capillos,
Fore hunc amorem mutuum.
O dolitura mea multum virtute Neaera:
Nam si quid in Flacco viri est,
Non feret assiduas potiori te dare noctes,
Et quaerat iratus parem:
Nec semel offensae cedet constantia formae,
Si certus intrarit dolor.
Et tu, quicunque es felicior atque meo nunc
Superbus incedis malo,
Sis pecore et multa dives tellure licebit
Tibique Pactolus fluat,
Nec te Pythagorae fallant arcana renati
Formaque vincas Nirea,

v. 18. *At tu* Meln. e Codd.

debis me prorsus renuntiasse tuo amori.» — *mea virtute*] est simpliciter, «quantum in me est.» Sic Plaut. Mil. Glor. 3, 1, 142: *tua te ex virtute et mea Meae domi accipiam.* «Omnes, inquit, vires meas in id intendam, ut perfidiae tuae te vehementer poeniteat.» — *Nam si*] «Nam si re vera in me aliquid virtutis et constantiae est, non feram te semper gratificari rivali meo, qui apud te potior est (Od. 3, 9, 2.), sed quaeram aliam puellam mihi *parem*, fidam meliusque amori meo responsuram.»

15. 16. *Nec*] «Nec si aliquando certo ac vero dolore affectus ero, constantia mea, id est, firmum meum propositum te relinquendi, cedet tuae pulchritudini semel offensae, quae semel mihi invisa facta erit.» — *offensae*] «in qua propter perfidiam tuam semel (*ein für allemal*) offenderim.» — *intrarit*] «si indignatio certa me penetrarit penitusque in omni sensu implicata insederit; nam nunc quidem res in eo est, ut rursus ignoscere tibi meque tecum reconciliare possim.»

17—22. *Et tu*] «Tu quoque, rivalis.» Sic Codd. Epod. 17, 45. — *licebit*] Sic Sat. 2, 2, 60: *licebit ille repotia - - celebret.* Prosae orat. scriptores praesentis forma utuntur, *licet*. — *Pactolus*] Lydiae fluvius aurifer, ut Tagus, Hebrus, Padus, Ganges. Plin. 38, 4. «Sis licet alter Croesus.» — *arcana*]

Eheu translatos alio maerebis amores:
Ast ego vicissim risero.

# CARMEN XVI.

## AD POPULUM ROMANUM.

Altera iam teritur bellis civilibus aetas,
Suis et ipsa Roma viribus ruit:
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etrusca Porsenae manus,
Aemula nec virtus Capuae nec Spartacus acer 5

«fidis ac probatis tantum discipulis, τοῖς ἔσω, tradita.» — *renati*] Significat μετεμψύχωσιν. Od. 1, 28, 10. — *Nirea*] Iliad. β, 673. Od. 3, 20, 15.

XVI. Videtur hoc carmen compositum sub initium belli Perusini a. u. c. 713., cum bello civili inter L. Antonium cos. et Caesarem Octavianum paucis mensibus post funestam illam aciem Philippensem sub ipsis urbis moenibus erumpente, rerum Romanarum condicio cum in Urbe tum in tota fere Italia deploranda ac desperatissima esset. Quod autem in hoc carmine civibus libertatis amantibus consilium impertit, eius exemplar fortasse habuit Sertorii propositum. Plutarch. Sert. 9: ὁ Σερτώριος ἔρωτα θαυμαστὸν ἔσχεν οἰκῆσαι τὰς Μακάρων νήσους καὶ ζῆν ἐν ἡσυχίᾳ τυραννίδος ἀπαλλαγεὶς καὶ πολέμων ἁπάντων.

1. 2. *Altera*] «Altera iam aetas inde a Sulla (a. u. c. 666.) agitur inter bella domestica.» Augustinus de C. D. 18, 45: *Roma late orbi terrarum imperans tamquam se ipsam ferre non valens, sua se quodammodo magnitudine fregerat.*

3 — 6. *Marsi*] Bellum dicit Marsicum s. sociale a. u. c. 663 — 666. — *Porsenae*] regis Clusini, qui a. u. c. 246. Romam obsidione pressit, ad deditionem adegit atque agrorum parte tertia adempta infirmam neque tamen regibus subiectam civitatem reliquit. — *Capua*, altera illa Roma (Cic. Phil. 12, 3.), cum post stragem Cannensem (a. u. c. 538.) imperium totius Italiae affectasset (Liv. 23, 6.), ad praefecturae Romanae formam redacta est a. u. c. 543. — *Spartacus*] gladiator Thrax, fugitivorum dux, acerrimum cum Romanis bellum gessit a. u. c. 681 — 683. — Quae de *Allobrogibus*, Galliae populo Rhodani a lacu Lemano ad Isaram usque accola, dicit, referri debent ad coniurationem Catilinariam a. u. c. 691., in qua tentati a

Novisque rebus infidelis Allobrox,
Nec fera caerulea domuit Germania pube
Parentibusque abominatus Hannibal,
Impia perdemus devoti sanguinis aetas,
Ferisque rursus occupabitur solum.
Barbarus heu cineres insistet victor et Urbem
Eques sonante verberabit ungula,
Quaeque carent ventis et solibus ossa Quirini,
Nefas videre, dissipabit insolens.
Forte quid expediat communiter aut melior pars

Carm. XVI. v. 15. *Forte (quod expediat!) communiter* Rutgers. prob. Bentl. *Forte quid expediat? Communiter - - laboribus?* Fea.

P. Lentulo Sura eorum legati *dis in incerto habuere, quidnam consilii caperent*, antequam totam rem Q. Fabio Sangae aperirent. (Sal. Catil. 41.) Deinde *C. Pomptinius ortum repente bellum Allobrogum atque hac scelerata coniuratione* (Catilinaria) *excitatum proeliis fregit eosque domuit, qui lacessierunt.* Cic. de prov. cons. 13.

7 — 10. *Germania*] Cimbros et Teutonos dicit devictos tandem a C. Mario et Q. Catulo a. u. c. 653. Cfr. Tacit. Germ. 4: *Habitus corporum - idem omnibus; truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora.* — *Parentibus*] «maioribus nostris per Urbis seculum sextum.» — *abominatus*] h. l. passive, ut Od. 1, 1, 24. — *devoti sanguinis*] «ea fatali conditione nati, ut et ipsi devoti simus exitio et destinati ad patriam perdendam.» — *rursus*] ut ante Romulum.

11 — 14. *cineres insistet*] Eadem constr. Ter. Eun. 2, 3, 3: *quam insistam viam? — Urbem*] «solum quo Urbs steterat.» — *Eques*] «equitatus hostilis ferociter urbem pervagabitur.» — *Quaeque carent*] «Quae nunc in sacro sepulchro alte defossa subducta ac defensa sunt a sole ventisque, qui ea dissipare possent cet.» — *ossa Quirini*] «Sic dicit, quasi Romulus sepultus sit, non ad caelum raptus aut discerptus a senatoribus; nam Varro post Rostra («pro Rostris:» Comm. Cruq.) fuisse sepulchrum Romuli dicit.» Porphyr. Cum autem Quirinus species sit atque exemplar *(der ideale Repräsentant)* populi Romani, non tam de ipso tantum Quirino cogitandum videtur quam de omnibus illis ossibus, quae in Urbis excidio atque eversione ventis ac solis radiis expositum iri praevidet. — *Nefas videre*] Pseudophocyl. 94: *Μὴ τύμβον ὀρθωθέντα ἀνορύξῃς, μήτ' ἄθαπτα λείξῃς ἠελίῳ καὶ δυσμενίων χόλον ὄρσῃς.*

15. 16. *Forte*] «Si forte

Malis carere quaeritis laboribus:
Nulla sit hac potior sententia, Phocaeorum
Velut profugit exsecrata civitas
Agros atque Lares patrios habitandaque fana
Apris reliquit et rapacibus lupis,
Ire pedes quocunque ferent, quocunque per undas
Notus vocabit aut protervus Africus.
Sic placet? an melius quis habet suadere? secunda
Ratem occupare quid moramur alite?
Sed iuremus in haec: Simul imis saxa renarint
Vadis levata, ne redire sit nefas;
Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina laverit cacumina,
In mare seu celsus procurrerit Apenninus,
Novaque monstra iunxerit libidine

v. 29. *proruperit* Fea ex Codd.

vos universi vel saltem melior (honestior ac dignitatis amantior) vestrum pars cupitis liberare vos a funestis illis malis, quibus nunc laborat res publica, et quaeritis, quodnam consilium quodque inceptum eo ducat, hoc potissimum propositum tenetote.» *Quid expediat carere* est, «quid conferat s. adiumento sit ad carendum laboribus, ad mala nostra amovenda.»

17. 18. *Phocaeorum*] Cum a. ante Chr. 534. ab Harpago, Cyri duce, gravissima obsidione premerentur, concesso unius diei ad deliberandum de rebus suis spatio, commune mutandi soli patrii consilium cepisse, ante autem quam patria cederent, publicis exsecrationibus iuramentoque, ne quis remaneret neu quis prius reverteretur, quam massa ferri, quam mari immersissent, in eius superficie apparuisset, sanxisse seque obstrinxisse Herodotus 1, 165. tradit. — *exsecrata*] signif. form. mediae, «cum se diris devovisset.»

23. *Sic placet?*] Ex formula sollemni; cum enim consulebant, sic loquebantur: «Placetne?» «Quid fieri placet?» et in decernendo placere senatui vel non placere. BENTL.

28. *Matinus*, mons Calabriae.

29 — 34. *In mare*] «Si Apenninus mons mediam Italiam divi-

Mirus amor, iuvet ut tigres subsidere cervis,
Adulteretur et columba miluo,
Credula nec ravos timeant armenta leones,
Ametque salsa levis hircus aequora.
Haec, et quae poterunt reditus abscindere dulces,
Eamus omnis exsecrata civitas,
Aut pars indocili melior grege; mollis et exspes
Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
Etrusca praeter et volate litora.
Nos manet Oceanus circumvagus: arva, beata
Petamus arva, divites et insulas,
Reddit ubi cererem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret usque vinea;
Germinat et nunquam fallentis termes olivae,

v. 33. Al. *flavos*.

dens subito maris promontorium factus erit.» *Proruperit* rectius dixeris de flumine, *procurrerit* de monte. — *subsidere*] «iniri se cupiant a cervis.» — *Credula*] «summa iam fiducia praedita propter leonum mansuetudinem.» — *ravos*] «oculis ravis, fulgentibus.» Videtur expressisse Homericum (Od. λ, 610.) χαροπούς τε λέοντας. — *levis*] «levis (λεῖος) factus instar piscis, cum natura villosus sit.»

36 — 39. *exsecrata*] Consulto repetitum est ex v. 18. — *indocili*] «volgo imperito, cui persuaderi nequit melius esse relinquere patriam quam servitutem servire; hic grex (contemptim) effeminatus et propter animum abiectum omni spe meliore destitutus desidem atque infaustam vitam agat.» — *tollite*] ut Epp. 1, 12, 3. *Tolle querelas:* «pellite.» Archiloch. Fr. 48. Lieb.: ἀλλὰ τάχιστα Τλῆτε γυναικεῖον πένθος ἀπωσάμενοι.

41 — 42. «*Nos manet Oceanus circumvagus*] ἀψόῤῥοος, πάντα κυκλῶν, qui ex prisca hominum opinione totum terrarum orbem circumfluit; illa, quae nostis, *beata arva*, τὰς μακάρων νήσους, *petamus.*» alii: *circumvagus arva: beata Petamus arva.* — *divites et insulas*] additur per ἐπεξήγησιν.

43 — 48. *Reddit*] «ubi sine agricultura terra ex se quotannis effert fruges.» *Reddit* tamen ita

Suamque pulla ficus ornat arborem;
Mella cava manant ex ilice, montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.
Illic intussae veniunt ad mulctra capellae,
Refertque tenta grex amicus ubera; 50
Nec vespertinus circumgemit ursus ovile,
Neque intumescit alta viperis humus.
Pluraque felices mirabimur: ut neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbribus,

v. 51. *ovili* Fea cum Codd. aliq.

quoque suam significationem retinet: «profert frumentum quasi debitum humano generi.» — *imputata*] «nunquam vinitoris falce tacta floret uvasque fert.» — *termes*] «ramus oleae cum bacis dominum nunquam fallit frigore vel siccitate ustus.» — *Suam - - arborem*] *den Mutterstamm.* Voss. — *Levis*] «maxima cum celeritate defluit de montibus.» «Eleganter ipso versu susurrum aquae desilientis imitatus est.» Comm. Cruq.

50. 51. *tenta*] «lacte turgida,» — *grex amicus*] «libenter hominum commodis inserviens.» — *vespertinus*] adiectivum temporis pro adverbio. Cic. pro Mil. 13: *nocturni canes.* — *circumgemit*] «raucum suum sonum edit circumvagans ovilia.» — *ovile*] Verba cum praep. *circum* composita regunt accusativum.

52. *alta*] Cum *alta* (profunda) sit humus, absunt etiam viperae, quae amant loca saxosa, arida, cavernosa. *Alta* simul significat solum esse fertilissimum. *Intumescit* nolim explicare «non alit viperas veneno tumidas;» sed refero ad serpentium reptationem, qua alternatim sese attollunt atque incurvant raptimque extendunt, adeo ut praesertim ex longinquo spectanti, ubi est horum reptilium celeriter se moventium multitudo, solum ipsum se in altum levare atque intumescere videatur.

53 — 56. *mirabimur, ut*] Cfr. Od. 3, 4, 13—16. — *Aquosus*] Eurus etiam magis quam Auster imbres affert. — *arva radat*] «diluat atque provolvat in torrentes ac flumina.» Lucret. 5, 257: *ripas radentia flumina rodunt.* — *Pinguia*] «fecundo succo turgida.» — *temperante*] «benigne ita moderante, ut nec nimii ac noxii cadant imbres neque solis aestus segetes torreat.» Fundus *φαντασίας* est Odyss. δ, 567. in Elysio: *Οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἄρ χειμὼν πολὺς, οὔτε ποτ' ὄμβρος, Ἀλλ' αἰεὶ ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας Ὠ-*

Pinguia nec siccis urantur semina glebis,
Utrumque rege temperante caelitum.
Non huc Argoo contendit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem;
Non huc Sidonii torserunt cornua nautae,
Laboriosa nec cohors Ulixei.
Nulla nocent pecori contagia, nullius astri
Gregem aestuosa torret impotentia.
Iuppiter illa piae secrevit litora genti,

v. 56. Fea sic collocat: vv. 56. 61. 62. 57 — 60. 63. v. 63. *sacravit* Codd. aliq.

χεανὸς ἀνίησιν ἀναψύχειν ἀνθρώπους.

57 — 60. *Non huc*] «Interim adhuc sunt insulae illae beatae a nauticarum omnis generis commercio adeoque innocentiae plenae; itaque nos quoque ibi duti eximus a vitiis, quae illi secum afferre solent, ubi ponunt vestigia.» Cuius quidem rei exempla poëtica affert, navem Argo, in qua vecta est Medea, abiecto pudore externum virum secuta, mercatores Phoenicios, Ulixem. — *cornua*] «Non cornua antennarum (*die Rahen*) illis insulis obverterunt, non ibi appulerunt litori.»

61. 62. *nullius astri*] Pestilentiae nubilcit eius causam, *impotentiam*, nimium, Sirii aestum, quo grex torretur.

63 — 66. *Iuppiter*] «Itaque»; inquit, «cum nulla ibi sint scelera, nullae pestes, piis ea tamquam separatam a sceleratis sedem destinavit Iuppiter, ex quo auream aetatem in aeneam, mox hanc in ferream, in deterius semper mutavit.» — Tres aetates hic memorat, argentea praetermissa, duas tantum Virg. Ge. 1, 125. Cfr. Hesiod. O. et D. 167. de heroibus: *Τοῖς δὲ δίχ' ἀνθρώπων βίοτον καὶ ἤθε' ὀπάσσας Ζεὺς Κρονίδης κατένασσε πατὴρ ἐς πείρατα γαίης. Καὶ τοὶ μὲν ναίουσιν ἀκήδεα θυμὸν ἔχοντες Ἐν μακάρων νήσοισι παρ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην, Ὄλβιοι ἥρωες, τοῖσιν μελιηδέα καρπὸν Τρὶς ἔτεος θάλλοντα φέρει ζείδωρος ἄρουρα.* — *inquinavit*] «in deterius metallum mutavit.» — *Aere, dehinc*] In hac repetitione ut in illa v. 41., inest color Lucretianus, quem poëtam singulariter adamarat Horatius. Cfr. Lib. 3, 12: *Omnia nos itidem depascimur aurea dicta, Aurea, perpetua semper dignissima vita.* 5, 948: *proluvie larga lavere humida saxa, Humida saxa super viridi stillantia musco.* *Dehinc* bisyllabum, ut A. P. 144. Virg. Ge. 3, 167. et alibi. Haec autem lectio refert animum commo-

Ut inquinavit aere tempus aureum;
Aere, dehinc ferro duravit secula: quorum
Pils secunda vate me datur fuga.

# CARMEN XVII.

## AD CANIDIAM.

Iam iam efficaci do manus scientiae,
Supplex et oro regna per Proserpinae,
Per et Dianae non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium

v. 65. *Aerea dehinc* Codd. aliq. Meinecke.

tum, quo poëta intueatur generis humani depravationem, et est veluti tristis querimonia per ἀσύνδετον interiecta. Altera *aerea dehinc* (monosyll.), ad quam repetunt ex praecedd. *ut*, meram exhibet narrationem, eamque admodum frigidam. — *ferro duravit*] «ferro procudit, ferrea reddidit.» — *quorum*] «Cuius ferreae aetatis fuga, modus, quo longe ab his sordibus remoti vitam innoxiam ac vere beatam adipiscantur, qui in tanta morum corruptione pii manserunt, iis offertur me auctore et suasore, tamquam vate divino (*μάντει*, non: «poëta»:) per hoc carmen ipsum.»

XVII. Rursus salsissime irridet Canidiam sagam atque semet ipsum artibus eius magicis petitum et saevis cruciatibus ab ea affectum fingens, ut sibi nunc satis perdomito tandem parcat, supplex inimicam orat et obsecrat. (a. u. c. 722?)

1—5. *do manus*] Dant manus proprie, qui manus suas victori praebent vinciendas: hinc est cedere et fateri se inferiorem esse, etiam in pedestri oratione. Cic. ad Att. 2, 22: *aiebant illum primo sane diu multa contra, ad extremum autem manus dedisse.* — Proserpina et Diana (Hecate) praeerant sacris magicis. A. P. 454. — *non movenda*] «non laedenda neque irritanda». — *Refixa*] Sunt quasi fixae in caelo stellae: devocando igitur *refiguntur;* efficiunt sagae, ut decidant de caelo. Deteriorem lectionem *defixa* interpretantur vel «affixa caelo,» vel «*δεδεμένα*, incantamentis ligata.»

6. 7. *sacris*] «carminibus magicis.» — *Citumque retro solve*] «Scilicet ut citissime agitatus rhombus per licia attracta et advoluta

Refixa caelo devocare sidera,
Canidia, parce vocibus tandem sacris
Citumque retro solve solve turbinem.
Movit nepotem Telephus Nereïum,
In quem superbus ordinarat agmina
Mysorum et in quem tela acuta torserat.
Unxere matres Iliae addictum feris
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem,
Postquam relictis moenibus rex procidit
Heu pervicacis ad pedes Achillei.
Setosa duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Ulixei

Carm. XVII. v. 5. *Defixa* Codd. aliq. v. 11. *Luxere* Codd. aliq. Bentl.

incantatos vi magica ligabat et vinciebat, ita idem retro actus per licia remissa et revoluta eos vi magica solvebat.» Doering. — *turbinem*] rhombum magicum. Theocrit. 2, 30: *Χὡς δινεῦ' ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος ἐξ Ἀφροδίτας, Ὡς τῆνος δινοῖτο ποθ' ἁμετέρῃσι θύρῃσιν.*

8—10. *Telephus*] Mysorum rex ab Achille, quem armis et manu facta prohibere conatus erat, ne ad Troiam oppugnandam veniret, volneratus cum consulto oraculo responsum tulisset, volnus ab Achille illatum allo medicamento sanari non posse quam ferrugine cuspidis hastae Peliacae (responderat enim Apollo: *ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται·*) illum oravit, ut eius rei sibi copia fieret, et impetravit. — *nepotem Nereïum*] natum ex Thetide, Nerei filia.

11—18. *Unxere*] Magis poëtam decebat unam luctus partem (Il. *σ*, 350. Patroclum mortuum: *καὶ τότε δὴ λουσάν τε καὶ ἤλειψαν λίπ' ἐλαίῳ·* Ennius: *Tarquini corpus bona femina lavit et unxit:*) commemorare quam generali verbo *luxere* uti. Ad *lugendum* non opus erat precibus. Idem valet de Ed. Leid. *planxere*. — *addictum*] «destinatum ab Achille Priami precibus tandem exorato.» Illud minatur Il. *ψ*, 183: *Ἕκτορα δ' οὔτι λώσω Πριαμίδην πυρὶ δαπτέμεν,' ἀλλὰ κύνεσσιν.* — *homicidam*] Il. *α*, 242: *εὖτ' ἂν πολλοὶ ὑφ' Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο θνήσκοντες πίπτωσι.* — *procidit*] Il. *ω*, 510: *Κλαῖ' ἀδινὰ προπάροιθε ποδῶν Ἀχιλῆος ἑλυσθείς.* — *Heu*] «ad animum respicientis procidentis Priami ad pedes Achillis ob indignitatem facti hoc dicit.» Schol. — *Laboriosi*] Cfr. Epod. 16, 62. Odyss. *κ*, 388. — *sonus*] «vox

Volente Circa membra; tunc mens et sonus
Relapsus atque notus in voltus honor.
Dedi satis superque poenarum tibi,
Amata nautis multum, et institoribus.
Fugit iuventas, et verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta lurida;
Tuis capillus albus est odoribus,
Nullum ab labore me reclinat otium;
Urget diem nox et dies noctem, neque est
Levare tenta spiritu praecordia.
Ergo negatum vincor ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina
Caputque Marsa dissilire nenia.

v. 18, *Relatus* Codd. aliq. v. 22. *ora* Bentl. coni.

humana.» — *Relapsus*] «paullatim iis ultro rediit.» *Relatus* esset «externa vi reductus.» — *notus, honor.*] «pristina formae humanae pulchritudo et dignitas.»

20—26. *institoribus*] Od. 3, 6, 30. — *verecundus*] «rubicundus, qualis inest in adolescentibus, color discessit a me, ita ut nihil mihi remaneat praeter ossa, amicta cute pallida.» Moschus δ, 2: τὸ πρὶν δέ τοι οὐκ ἔτ' ἐρεύθος Σωίζει· ἐπὶ ῥεθέεσσι. — *lurida*] «*fahlgelb.*» Voss. Nimis ad vivum rem resecuit Bentleius, contendens dici non posse: *rubicundus color reliquit ossa*, quippe quae rubra non sint. *Odores* vocat sacra magica, quod in eis multa aromata urerentur, ac suffimenta fierent. — *reclinat*] «velut in toro iacentem relaxat, recreat.» — *neque est*] οὐδ' ἔστι, οὐδ' ἔξεστι. «Distenta mihi sunt anhelitu praecordia neque ea respirando levare possum.»

28. 29. *Sabella*] Sat. 1, 9, 29. Sabellae anus pro sagis habebantur. — *nenia*] carmen maleficum; Marsi autem harioli et incantatores maxime serpentium. — *dissilire*] «veluti dirumpi; acerrimis doloribus vexari atque amentia affici.»

30. — 33. *O mare*] Terent. Adelph. 5, 3, 4: *O caelum, o terra, o maria, Neptuni!* Est quotidiani sermonis exclamatio in re horrenda. — *Virens*] Interpretor de flammae sulphureae, qualem exhalat Aetna, colore inter gilvum, viridem et caeruleum medio. Ceterum construe: *Sicana flamma*

Quid amplius vis? O mare, o terra, ardeo,
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec Sicana fervida
Virens in Aetna flamma; tu, donec cinis
Iniuriosis aridus ventis ferar,
Cales venenis officina Colchicis.
Quae finis aut quod me manet stipendium?
Effare: iussas cum fide poenas luam,
Paratus expiare, seu poposceris
Centum iuvencos, sive mendaci lyra
Voles sonari, tu pudica, tu proba
Perambulabis astra sidus aureum.
Infamis Helenae Castor offensus vicem,

v. 33. *Furens* Codd. aliq. Bentl. v. 39. *iuvencis* Bentl. e Codd. v. 42. *vice* Codd. plerique. Mein.

*virens ardet in Aetna fervida*, etsi Schol. iungunt: *in Sicana Aetna*.

33 — 36. *tu; donec*] «Continuo exercens artes tuas magicas, tamquam si ipsa esses officina venenorum semper calens igni, quo ea praeparentur, me conficere non desines, donec cinis meus in ventos dispergatur.» — *Colchicis*] «Medeae venenorum simillimis.» Od. 2, 13, 8. — *stipendium*] vocabulum est medium, ut *praemium*, *merces*; h. l. igitur «multa, poena», non: «opus poenae loco iniunctum.»

38 — 40. *expiare*] «poena a te constituta patienter subeunda luere peccata mea, sive poposceris, ut ἑκατόμβην pro piaculo offeram est.» — *mendaci lyra*] ambigue significat et quae ante (Epod. 5.) mentita erat in infamanda Canidia et quae mentietur eam laudando. — *tu pudica*] «hasce laudes tibi tribuam atque ad caelum te efferam.»

42 — 45. *Infamis*] Quam ut minus castam infamarat Stesichorus (a. Chr. 630 — 555.) Ἰλίου πέρσει, carmine lyricoepico. Postea, ut narrant ob id delictum occaecatus ἐγκώμιον Helenae composuit pluribus hymnis constans, in quo παλινῳδίαν cecinit his inter alios versiculis: Οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος οὗτος. Οὐ γὰρ ἔβας νηυσὶν ἐν εὐσέλμοις, Οὐδ' ἵκεο Πέργαμα Τροίας. Ex Horatii loco liquet poëtam apostrophe ad Dioscuros facta precatum esse, ut sibi ignoscerent, quae in eorum sororem commisisset. Ad clementiam flexi cum essent, visum ille recuperavit. —

Fraterque magni Castoris, victi prece
Adempta vati reddidere lumina.
Et tu, potes nam, solve me dementia,
O nec paternis obsoleta sordibus,
Neque in sepulchris pauperum prudens anus
Novendiales dissipare pulveres.
Tibi hospitale pectus et purae manus,
Tuusque venter Pactumeius, et tuo
Cruore rubros obstetrix pannos lavit,
Utcunque fortis exsilis puerpera.

Quid obseratis auribus fundis preces?

v. 50. *partumeius* e Codd. Fea.

*vicem*] Sic Bentleium secutus scripsi cum Cod. Mechliniensi apud Torrentium et uno Feae. Cfr. Zumpt Gramm. Lat. §. 453. Est: «sororis nomine, pro sorore sua.» Plerique ex usu posterioris Latinitatis (Minuc. Fel. 40: *omnium nostrum vice gaudeo:*) ablativum accusativo substituerunt.

46. *O nec*] Canidiae sordidos parentes obiicit. — *obsoleta*] «inquinata, deformata», ut sunt res vetustate absumptae.

47, 48. *sepulchris pauperum*] «Nam divitum sepulchra suis erant custodibus curae.» Schol. — *Novendiales dissipare*] «eruere e sepulchris ad usum sacrorum tuorum cineres recens conditos ac tantum non tepidos, quippe qui ad praestigias magicas efficaciores sint quam diu repositi.» Ovid. Her. 6, 90: *Certaque de tepidis colligit ossa rogis.* Cum autem usui illi nefando vivos incantandi adhiberentur, necessario *dissipabantur*, in pulverem comminuebantur. «Apud antiquos moris fuit, ut triduo corpus defuncti iaceret domi, et post triduum rogo imponeretur; item post triduum cinis in urnam condebatur et tumulo mandabatur; ideo dixit novendiales pulveres, id est, cineres recentes.» Comm. Cruq.

49 — 52. *purae manus*] a sanguine. — *tuus venter*] «tuus partus et filius.» Nam hoc nomen Pactumeius est nomen supposititii, quem sibi filium esse dicebat; supra enim (Epod. 5, 5.) supposititii partus ipsam ream fecit. *Venter* autem hic pro partu ponitur. Comm. Cruq. Atque *Pactumeius* re vera nomen est Romanum. Fasti Cons. Bait. a. 832. Grut. 816, 8. Cogitandum autem de homine ridiculo vel sordido. Nimis contra insulsa, certe apud Horatium, altera est lectio *partumeius*, «ute-

Non saxa nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus salo.
Inultus ut tu riseris Cotyttia
Volgata, sacrum liberi Cupidinis,
Et Esquilini pontifex venefici
Impune ut Urbem nomine impleris meo?
Quid proderat ditasse Pelignas anus,
Velocius ve miscuisse toxicum?
Sed tardiora fata te votis manent:
Ingrata misero vita ducenda est in hoc,
Novis ut usque suppetas laboribus.

v. 62. *Si - - manent*, - e Codd. Fea.

rus, qui partum quasi meiit, id est, facillime parit.» — *puerpera*] «Quotiescunque e lecto surgis robusta scilicet puerpera, reapse peperisti nec obstetrix iuvit te ad decipiendos homines lavans pannos alio quam tuo cruore infectos.»

55 — 57. *Neptunus*] «Mare procellosum verberat fluctibus cautes.» — *Cotyttia*] Virg. Catal. 5, 19: *Non me vocabis pulchra per Cotyttia Ad feriatos fascinos.* Strabo 10. p. 721. B. Iuven. 2, 91. «Impune tu ut evolgaris atque irriseris orgia illa, quae celebrantur a feminis solis, uno tantum praesente sacerdote, in honorem deae, quam Thraciae gentes Cotyn vel Cotytto appellant?» — *liberi*] «omni pudicitiae lege soluti.»

58. 59. *pontifex*] Uti pontifices praesides atque arbitri omnium erant religionum, ita invidiose Canidia inimicum, qui arbiter fuerat veneficii ab ea in Esquiliis perpetrati (Cfr. Epod. 5. Sat. 1, 8.), eiusdem quasi *pontificem* appellat, ut Cic. pro Sestio 17. P. Clodium *stuprorum sacerdotem* ob Bonae Deae sacra polluta vocat. In Esquiliis autem antea sepeliebantur pauperes ac servi. — *nomine impleris meo*] «carminibus tuis famosis.»

60 — 64. *Quid*] «Si te ulcisci non possum, quid prodest mihi larga mercede obtinuisse a sagis Pelignis, ut reconditas suas artes me docerent; quid iuvat me peritam esse venena miscendi efficacissima et praesentia, quae statim vel dementiam vel mortem afferant?» Peligni Marsis vicini ideoque venefici et ipsi habiti. — *Sed*] «Verumtamen diutius vives quam tute nunc optas; atque vita tibi misera producenda est ad hunc finem, ut semper sis expositus novis cruciatibus iisque perpetiendis sufficias.»

Optat quietem Pelopis infidi pater,
Egens benignae Tantalus semper dapis,
Optat Prometheus obligatus aliti,
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum; sed vetant leges Iovis.
Voles modo altis desilire turribus,
Modo ense pectus Norico recludere,
Frustraque vincla gutturi nectes tuo
Fastidiosa tristis aegrimonia.
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques,
Meaeque terra cedet insolentiae.
An quae movere cereas imagines,
Ut ipse nosti curiosus, et pelo

v. 65. *infidus* e Codd. Fea. v. 72. *innectes* C2dd. Bern. antiquiss. Torrentius.

65 — 67. *infidi*] Catull. 64, 346. *periuri Pelopis*, quia in mare praecipitavit Myrtilum aurigam, cuius ope aemulos vicerat et Hippodamiam, Oenomai filiam, in matrimonium acceperat. Alteram lect. *infidus* explicant, «qui deorum arcana consilia evolgavit.» — *benignae - dapis*] «copiosae, affluentis, quae eum semper circumdat, sed frustra.» — *obligatus aliti*] «obnoxius aquilae ultrici, cuius morsus a se arcere non potest.»

71 — 75. *ense Norico*] Od. 1, 16, 9. — *recludere*] aperire, ut Virg. Aen. 10, 601: *Tum latebras animae pectus mucrone recludit.* — *Vectabor*] «Insidebo humeris tuis, tibi insultans.» Sic translate καθιππάζεσθαι τινός. — *terra*] «mihi tamquam deae; repellam humum.» Dis vestigium facientibus terra cedit, impar divinitatis ponderi. Sine imagine: «teque sic, (quod nemo profecto exspectarat:) perdomito, omnia, quae in orbe terrarum sunt, flectent se invictae meae potentiae eamque cum stupore ultro agnoscent, cum, quasi triumphans, tibi inequitans incessero.»

76 — 80. *cereas imagines*] ut in Pharmaceutriis Theocriti 2, 28. et Virgilii 2, 80. pupae istae magicae adolescentes vel infideles vel nimis duros referunt, quos se defixuras et puellis cupidis conciliaturas simulabant sagae. Ovid. Her. 6, 91: *Devovet absentes simulacraque cerea figit Et miserum tenues in*

Deripere Lunam vocibus possim meis,
Possim crematos excitare mortuos
Desiderique temperare pocula,
Plorem artis in te nil agentis exitus?

v. 80. *poculum* Codd. aliq. 81. Al. *habentis*, Muretus *valentis*. Ibid. *exitum* e Codd. Bentl.

*tecur urget acus. — excitare*] ab Inferis. Tibull. 1, 2, 45: *Haec cantu finditque solum Manesque sepulchris Elicit et tepido devocat ossa rogo. — Desiderique -- pocula* ] «miscere pocula amatoria, φίλτρα.»

81. «*Plorem* (vanos, semper frustratos) *exitus artis* meae magicae, quae *in te* (accusat. «adversus te») nihil *agit*, nullam vim habet?» Inanem s. nullum fuisse *exitum* inest in ipso v. *plorem*.

# Q. HORATIUS FLACCUS.

---

VOLUMEN SECUNDUM.

TYPIS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM.

# Q. HORATIUS FLACCUS.

RECENSUIT

## IO. CASP. ORELLIUS.

ADDITA EST

## FAMILIARIS INTERPRETATIO.

**EDITIO MINOR.**

---

VOLUMEN SECUNDUM.

---

TURICI

SUMPTIBUS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM.

LONDINI,

APUD BLACK ET ARMSTRONG.

M. DCCC. XXXIX.

# Q. HORATII FLACCI

# SATIRARUM

## LIBER PRIMUS.

---

## SATIRA I.

**Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem**
**Seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa**
**Contentus vivat, laudet diversa sequentes?**

I. Festive reprehendit poëta ridiculam illam *μεμψιμοιρίαν*, qua plerique aequalium suorum laborabant, coniunctam semper cum acri in eos invidia, quibus ex illorum opinione melior sors obtigerat. Huius autem morbi, sane vel maximi vitae beatae impedimenti, praecipuam causam hanc esse dicit, quod insigni quadam stultitia abrepti permulti totam per vitam nihil aliud agant, quam ut quocunque modo pecuniam corradant, conquisitis tamen nunquam fruantur, illud nimirum causati, se placidae senectutis quieti nunc, cum tempus sit, prospicere. Primus autem annus, quo haec satira componi potuit, fuit u. c. 716. Kirchnerus refert ad a. u. c. 719.

1—3. Similes sunt exordio loci Maximi Tyrii Diss. 21. et Himerii Ecl. 20. p. 272. W. nec tamen credibile est, ab his Sophistis unquam lectas esse Horatii satiras, sed vel casu in eundem locum inciderunt vel antiquius aliquod exemplar Graecum ante oculos habuerunt. — *sortem*] «vitae genus, quod certum consilium constanter secuti inde ab aetate adulta delegimus.» — *fors*] «*In hoc vocabulo*, ut ait Cicero de Legg. 2, 11, 28., *incerti casus significantur magis.* — *illa*] «eadem illa, qua semel utitur.» *Ulla* nimis infinitum est nec satis congruit cum v. *quam.* — *laudet*] *μαχαρίζει.* Ceterum per zeugma unum subiectum *nemo* refertur etiam ad v. *laudet*, quasi huic adderetur *idem homo* vel *quisque.* — *diversa*] «prorsus opposita et contraria suis studiis.»

**O fortunati mercatores! gravis annis**
**Miles ait multo iam fractus membra labore.**
**Contra mercator, navem iactantibus Austris:**
**Militia est potior. Quid enim? concurritur: horae**
**Momento cita mors venit aut victoria laeta.**
**Agricolam laudat iuris legumque peritus,**
**Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.**
**Ille datis vadibus qui rure extractus in urbem est,**
**Solos felices viventes clamat in urbe.**

v. 4. *armis* Bouhierius prob. Wolfio. v. 8. *Momento aut cita* Lamb. Bentl.

4. 5. *gravis annis*] Theocr. 24, 100: *βαρὺς ἐνιαυτοῖς*. Virg. Aen. 9, 246: *Hic gravis annis atque animi maturus Aletes.* Intellige militem, cui vel ratio vel fors hoc vitae genus obtulerit. Is stipendiorum initio ex praeda vel ex agris assignandis divitias se paraturum aliquando sperarat; at post complura stipendia, cum iam aetate provectior nec dum dives factus est, propter id ipsum, quod pristinae eius vires continuis illis laboribus, quibus vacare debebant milites Romani, exhaustae sunt, omni maioris quaestus spei renuntiandum esse videt, ideoque invidet mercatori, qui eodem vel minore etiam tempore locuples factus est. Recte Iahnius: «Significat poëta non *annos vitae*, sed *annos militiae.*»

6—8. *mercator*] *ἔμπορος*, qui ipse merces emit in Asia puta et Aegypto Romamque apportat, diversus et a *negotiatore* et a *propola.* — *Quid enim?*] quasi sequeretur «contra dices, obiicies?» Est ex sermone quotidiano, ut *τί γάρ; πῶς γὰρ οὔ;* — *horae momento*] «brevi horae tempore, puncto temporis.» Schol. Epp. 2, 2, 17: *puncto mobilis horae.* Liv. 5, 7: *horae momento simul aggerem ac vineas incendium hausit.* — *Momento cita*] «Nequaquam leg. *Momento aut cita;* animus enim nautae abiectus in his est considerandus, cui iam paene desperata salute ista tranquillitas ambigendi non convenit.» Reisig. Cfr. Hand Tursell. I. p. 236, qui *aut* semel positum vertit *oder auch;* sicque est infra v. 72. et v. 101. Liv. 21, 43: *hic vincendum aut moriendum, milites, est, ubi primum hosti occurristis.* Demosth. Lept. 68: *ὑπὲρ ὧν Χαβρίας ᾤετο δεῖν ἀποδυήσκειν ἢ νικᾶν.*

9—12. *iuris legumque peritus*] Non *legibus* dumtaxat *ius* continetur, sed etiam senatus consultis, edictis magistratuum, responsis prudentum. — *consultor*] qui litem habens iureconsultum, virum aliquem primarium civitatis in

Cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem
Delassare valent Fabium. Ne te morer, audi,
Quo rem deducam. Si quis deus, En ego, dicat,
Iam faciam quod voltis: eris tu, qui modo miles,
Mercator; tu, consultus modo, rusticus: hinc vos,
Vos hinc mutatis discedite partibus. Eia!
Quid statis? Nolint. Atqui licet esse beatis.
Quid causae est, merito quin illis Iuppiter ambas
Iratus buccas inflet neque se fore posthac

v. 19. Al. *nolent, nolunt.*

atrio domus suae in solio sedentem, primo mane adit, ut sibi de iure respondeat actionumque formulas praescribat. In gallicinii tempore ridicula hyperbole inest, ut in illis Cic. pro Muren. 9: *Vigilas tu* (Sulpici) *de nocte, ut tuis consultoribus respondeas; ille* (L. Lucullus), *ut eo, quo intendit, mature cum exercitu perveniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus excuscitat.* — *vadibus*] *Vas* in re iudiciali est is, *qui pro altero vadimonium promittit* (Varro L. L. 6, 74.) id est, qui apud praetorem spondet, reum in iudicium sisti; quod ni fiat, fore ut ipse litis aestimationem sufferat, (ut ait Gaius 4, 75 et 89.) Rusticanus Romanus igitur, invitus quidem, sed ne vadimonio deserto litem amittat, in Urbem se conferre coactus, eius incolas alta, ut solent rustici, voce vel ideo felices praedicat, quod praeter multa alia vitae gaudia longe commodius negotiis forensibus operam navare possint, ipse cum propterea tantum temporis perdat.

13—19. *Cetera de genere hoc*] Transitus est Lucretianus 4, 594. 5, 38. — *Fabium*] «Fuit Fabius (Maximus Porph.), eques Romanus Narbonensis, qui aliquot libros pertinentes ad Stoicam philosophiam conscripsit. Hic autem Fabius Pompeianas partes secutus est et cum Horatio de disciplinis saepe contendit.» Acr. — *Quo rem deducam*] *(wo ich hinaus will:)* «qui sit disputationis meae finis, scilicet omnes hos querulos stultitia laborare.» — *En ego*] Noli haec iungere cum v. *faciam*, sed est, ut Varro R. R. 1, 56: *en quin adsum.* Salust. Orat. Cottae 4: *Adsum en C. Cotta consul.* — *Iam faciam quod voltis*] «*Was ihr begehret, ich thu's;*» non vero: «*iam faciam* ex vobis id, *quod* esse *voltis.*» — *Eia*] h. l. est impatienter increpantis. Cessare videt, quos statim discessuros existimaverat, ideoque evocat moratos additque *quid statis?* Hand Turs. II. p. 364. — *nolint*] Cfr. locum simillimum Sat. 2, 7, 24.

20—24. *Quid causae est*] «Quid-

Tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem?
Praeterea, ne sic, ut qui iocularia, ridens
Percurram: (quamquam ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima;)
Sed tamen amoto quaeramus seria ludo.
Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles nautaeque, per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,

ni propter hanc stoliditatem cum inconstantia coniunctam merito iratus Iuppiter illis buccas inflet? Alibi τὰς γνάθους φυσᾷν fastus, h. l. iracundiae signum, ut Plautus Bacch. v. 21. *sufflatum* vocat irae plenum militem, et iungendum artissime esse *illis inflet* monstrat Id. Casin. 3, 3, 19: *hic Nescio quid se sufflavit uxori suae*, item iratus. — *Praeterea*] est item modus Lucretianus continuandae orationi inserviens. «Sed, etsi pergere in eodem argumento iuvat, iam serio loquar, ne cetera quoque ridens percurram, (iocabundus leviter pertractem), *ut qui iocularia* percurrit, id est, ut solent aretalogi coram volgi circulis in plateis nugas suas proferre.»

25—27. *olim dant*] «solent dare», frequenti usu v. *olim* in exemplis et similitudinibus. — *Doctores*] «γραμματισταὶ, qui prima litterarum elementa (στοιχεῖα καὶ γράμματα) pueros docent, crustula, (dulciola, bellaria, *Süszbrod* Wolf.) interdum iis dant, ut libenter discant.» — *Sed*] «Quodsi ridiculae dumtaxat sunt vanae illae querimoniae militum, nautarum cet., qui tamen condicionem suam, de qua tantopere lamentantur, cum alia permutare nunquam animum inducunt, longe gravius malum hoc est, quod omnes istos βαναύσους, dum sibi ceterisque persuadere conantur, nihil aliud sibi propositum esse, nisi ut senes facti honesto otio perfrui possint, reapse tamen insatiabilis lucri cupiditas transversos agit atque usque ad ipsam mortem exruciat.»

28—30. *vertit*] *Er, dess Pflug mühsam umkehrt schwerscholliges Erdreich:* Wolf. Novam personam inducit, dedita opera h. l. omittens iureconsultum, ut qui disciplinam suam non quaestus, sed honoris atque civium utilitatis causa exerceat; supra autem ille propter hoc tantum notabatur, quod ipse quoque non minus atque hominum volgus interdum de vitae suae molesta con-

**Aiunt, cum sibi sint congesta cibaria: sicut**
**Parvula, nam exemplo est, magni formica laboris**
**Ore trahit quodcunque potest atque addit acervo;**
**Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri.** 35
**Quae, simul inversum contristat Aquarius annum,**
**Non usquam prorepit et illis utitur ante**
**Quaesitis sapiens, cum te neque fervidus aestus**
**Demoveat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum,**
**Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.** 40

v. 38. *patiens* Codd. multi.

dicione parum sapienter lamentetur; neque vero hinc recedit iureconsultus solum, sed etiam litigator rusticanus, et quidem propter similem rationem. — *nautae*] rursus ἔμποροι, *Frachtschiffer* (v. 6.), non navicularii.

32. 33. *cibaria*] *Zehrung*, res quam maxime ad victum necessariae, quo ipso vocabulo extenuare solent id quod re vera quaerunt, id est, divitias. — *nam exemplo est*] «perquam libenter enim hoc sapientis bestiolae exemplo utuntur.» Proverb. 6, 6: *Vade ad formicam, o piger, et considera vias eius et disce sapientiam, quae, cum non habeat ducem nec praeceptorem nec principem, parat in aestate cibum sibi et congregat in messe, quod comedat.* — *magni formica laboris*] in prosa or. «formica, animal magni laboris.»

36—40. *Quae*] id est, «at ea.» — *inversum - - annum*] *des Jahres Umschwung*. Cfr. Theocriti 13, 26: τετραμμένου εἴαρος ἤδη et Homeri περιπλομένων, περιτελλομένων ἐνιαυτῶν. De bruma loquitur, ex qua velut novus circulus sive cursus anni semper vertentis (Macrob. Sat. 1, 14.) exordium capit. Pro hiemis autem signo Aquarium ponit, quamquam proprie, ut ait Porphyrio, «maxime sole in Aquario constituto tempestates horrendae et frigora ingentia solent esse. Sol autem transit in Aquarium XVII. Kal. Februarias (15 die Ianuar.), in eo est diebus XXX. usque ad XVII. Kal. Mart.» — *contristat*] ut Virg. Ge. 3, 279: *unde nigerrimus Auster Nascitur et pluvio contristat frigore caelum.* — *sapiens*] «ideo, quod nec prodigit quaesita neque necessario victu se defraudat.» Ἴδρις est formica Hesiodo O. et D. 778: ὅτε τ' ἴδρις σωρὸν ἀμᾶται. — *ignis, mare, ferrum*] Est tamquam proverbium, ut Sat. 1, 4, 29. Eurip. Phoen. 521: Πρὸς ταῦτ' ἴτω μὲν πῦρ, ἴτω δὲ φάσγανα. — *alter*] ut Graeci ὁ πλησίον, «quicunque tibi proximus est et quocum te comparas.»

**Quid iuvat immensum te argenti pondus et auri**
**Furtim defossa timidum deponere terra?**
**Quod si comminuas, vilem redigatur ad assem.**
**At, ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?**
**Milia frumenti tua triverit area centum,**
**Non tuus hoc capiet venter plus ac meus: ut si**
**Reticulum panis venales inter onusto**
**Forte vehas humero, nihilo plus accipias quam**
**Qui nil portarit. Vel dic, quid referat intra**
**Naturae fines viventi, iugera centum an**
**Mille aret? At suave est ex magno tollere acervo.**
**Dum ex parvo nobis tantumdem haurire relinquas,**
**Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?**

v. 55. *malim* Bentl. Mein.

42. *Furtim defossa*] «in altitudinem clam effossa, excavata.» Virg. Ge. 3, 376: *Ipsi in defossis specubus secura sub alta Otia agunt terra.*

43—48. *Quod si*] «At si id auri pondus, inquit avarus, expendendo minuam, paullatim usque ad assem consumetur adeoque egenus atque inops fiam.» Respondet poëta: «Verum nisi in necessarios usus quod opus est erogas, quid cet.» — *Milia - - centum*] modiûm. — *triverit*] Virg. Ge. 1, 298: *Et medio tostas aestu terit area fruges.* Proprie fruges teruntur in area bobus vel equis ad tribulam trahamve iunctis. — *hoc*] «propter hoc, ideo,» ut Sat. 1, 2, 81. — *ac meus*] *quam* aliorum Codd. volgaris est modus. Etiam Sat. 2, 3, 270: *plus ac.* Agmen *venalium* (servorum) tibi finge herum rus euntem sequens; inter hos alii variis utensilibus onusti sunt, unus etiam in reticulo, quibus Itali pro saccis etiamnunc utuntur, panem portat, ne male coctus vel arenosus alicubi emendus sit, cum interim symphoniaci, anagnostae, scribae, dispensatores, pincernae nihil humeris gestant, eadem tamen sub edendi tempora accipiunt diaria ac miser ille baiulus.

49—53. *referat - - viventi*] Cum triplex sit solita huius verbi constructio, *refert* absolute, *refert meâ, tuâ, aliqua res refert (meâ)*, singulari exemplo Salustius Iug. 111: *faciendum aliquid, quod illorum magis quam sua rettulisse videretur*, singulari item Plautus Truc. 2, 4, 43: *quoi rei id te assimulare rettulit?* cum dativo rei, singulari item Horatius h. l. cum

Ut tibi si sit opus liquidi non amplius urna
Vel cyatho et dicas: Magno de flumine mallem
Quam ex hoc fonticulo tantumdem sumere. Eo fit,
Plenior ut si quos delectet copia iusto,
Cum ripa simul avolsos ferat Aufidus acer.
At qui tantuli eget, quanto est opus, is neque limo
Turbatam haurit aquam neque vitam amittit in undis.
At bona pars hominum decepta cupidine falso,
Nil satis est, inquit; quia tanti, quantum habeas; sis.
Quid facias illi? iubeas miserum esse, libenter
Quatenus id facit; ut quidam memoratur Athenis
Sordidus ac dives, populi contemnere voces
Sic solitus: Populus me sibilat; at mihi plaudo

v. 63. *miseram* B. coni.

dativo personae. — *cumeris*] «*Cumeram* dicimus vas ingens vimineum in quo fromenta conduntur.» Acron. Hodie Siculi, qui talibus etiamnunc utuntur, eas vocant *cannicci*, quia conficiuntur ex harundinibus sectis et undique viminibus cinguntur.

54—58. *liquidi*] pro aqua, ut Ovid. Met. 5, 454: *loquentem Cum liquido mixta perfundit diva polenta.* — *urna* dimidia pars amphorae, XL. pondo; *cyathus* duodecima pars sextarii. — *mallem*] Hand ad Wopkens p. 269: «non falsum est quod damnat Heindorfius *mallem*. Nam *dicas* et *mallem* non cohaerent constructione, et *mallem* significat: «Si fieri potest seu posset» (quo certe non affirmatur, id fieri non posse:) optarem potius cet.» — Aufidum *violentem* (Od. 3, 30, 10.), patrium flumen, ubique libenter commemorat.

61—64. *bona pars*] «satis magna,» ut Lucret. 5, 1024. Cic. de Or. 2, 3, 14. — *falso*] V. *cupido* apud Horatium semper masc. Od. 2, 16, 15. cet. — *quantum habeas*] Ex antiqua illa γνώμῃ apud Plut. περὶ φιλοπλουτίας p. 526. C.: *Κέφδαινε καὶ φείδου καὶ τοσούτου νόμιζε σεαυτὸν ἄξιον, ὅσον ἂν ἔχῃς.* Seneca Ep. 116. ex Tragico Graeco: *Ubique tanti quisque, quantum habuit, fuit.* — *illi*] non *bonae parti*, sed «homini eiusmodi, qui loquens inducitur.» *Τί χρήσει τούτῳ;* Cic. pro Caec. 11: *Quid huic tu homini facias?* Contra pro Sestio 13: *Quid hoc homine facias?* — *miserum*] Ἀκολουθως fuisset: *miseram;* sed poëta vertit filum orationis, ut si *hominem* dixisset, non *partem hominum.*

Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.
Tantalus a labris sitiens fugientia captat
Flumina.... Quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur: congestis undique saccis
Indormis inhians et tamquam parcere sacris
Cogeris aut pictis tamquam gaudere tabellis.
Nescis quo valeat nummus? quem praebeat usum?
Panis ematur, olus, vini sextarius, adde,
Quis humana sibi doleat natura negatis.
An vigilare metu exanimem, noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes, hoc iuvat? Horum

v. 77. *malos, fures* Fea.

MARCIL. De usu v. *quatenus* cfr. Od. 3, 24, 30. — *facit*] «misera est.»

68—71. *Tantalus*] Versus heroicus, fortasse ex poëta aliquo desumptus vel leviter immutatus, et, ut ait Acron, *καθηγτικῶς* pronuntiandus. Hinc *ridet* avarus quasi dicens: «Ah, probe novi, quo rem deducturus sis, ut fabula illa a sapientiae magistris iam sexcenties decantata me reprehendas; verum *occidit miseros crambe recocta* auditores.» Cui poëta: «Re vera illud volui, quoniam aptior imago tuae perversitatis reperiri vix poterat; verum missis fabulis iamdudum tritis ac prope anilibus, Latine tecum loquar.» — *mutato nomine*] «alia est persona, res eadem.» — *Indormis*] «incubas noctu, quo fures arceas.» *(darauf liegen, um zu schlafen.)* Virg. Ge. 2, 507: *defossoque incubat auro.* — *inhians*] «tamquam ore aperto captans, cupide appetens.» — *sacris*] «quae ne contingere quidem nedum in usum quotidianum quidquam inde demere licet.» Sat. 2, 3, 110:

73—79. *quo valeat*] «ad quid tibi parandum.» — *sextarius*] quantum viro temperanti in diem sufficit. — *Quis humana*] «vestes, balneum, usus mulieris.» SCHOL. — *malos fures*] Wolfius comparavit *κακούργους κλῶπας* Herod. 1, 41. Sic Sat. 1, 6, 68: *mala lustra.* 2, 1, 56: *mala cicuta.* 2, 5, 135: *malae Furiae.* Est igitur «molestos ac detestabiles.» — *compilent*] *Compilare aliquem* etiam in prosa or. Cic. de Or. 2, 66: *malui compilari quam venire.* — *pauper - - bonorum*] ut Sat. 2, 3, 142: *pauper argenti.* «Harum sollicitudinum ac molestiarum ex

Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
At si condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius casus lecto te adfixit, habes qui
Adsideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suscitet ac natis reddat carisque propinquis?
Non uxor salvum te volt, non filius; omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellae.
Miraris, cum tu argento post omnia ponas,
Si nemo praestet quem non merearis amorem?
An, si cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis servareque amicos,
Infelix operam perdas? ut si quis asellum

v. 88. Al. *At si*, *An sic*, *Ac si*, *Aut si*, *Ut si*.

illis, quae vos bona vocatis, semper orientium.»

80—83. *At si*] Haec per εἰρωνείαν dicuntur, cui serio respondetur v. 84. — *condoluit*] «tactum est dolore», a v. *condolescere*, non *condolere*, ut est apud Forcell. — *tentatum frigore*] febri correptum, ut saepe v. *tentare* de morborum accessionibus. — *affixit*] «fecit, ut diutius tibi cubandum esset.» Seneca Ep. 67: *Ago gratias senectuti, quod me lectulo affixit.* — *Suscitet*] «bonam valetudinem tibi restituat.»

84—91. *Non uxor*] «Immo nemo tui curam gerit.» — *pueri atque puellae*] fere ut nos *Jung und Alt*, velut ex proverbii formula, sicque rursus Sat. 2, 3, 130. — *post omnia ponas*] Similiter dividitur *anteponere* a Cic. Off. 3, 17: *Malitia mala bonis ponit ante.* — *An si*] κατ' εἰρωνείαν. «*An operam perdas* (frustra labores), *si cognatos, quos nullo* (uno) *labore natura tibi dat* (ultro offert atque praebet), *amicos* (bene de iis merendo) *retinere servareque velis? ut* (prorsus operam perdit) *si quis* cet. Minime vero: nam caritate, indulgentia liberalitate facillime efficies, ut te ament cognati.» — *Infelix*] Ut μέλεος est interdum, «qui aliquid facit infeliciter» (Eur. Ion. 914.) sic h. l. non *malus* ac prope *sceleratus*, nec est vocativus, sed: «adeo ut ipse dolenter sentias, quam adversa fortuna utaris omnique careas successu in rationibus, quae tibi cum propinquis tuis intercedunt.» — *asellum*] «quasi esset equus generosus.» «Est autem proverbiale schema: *docere asinum currere.*» Comm. Cruq. — *In Campo*] Martio, ut Od. 1, 8, 4. 2. 9, 18. cet.

**In Campo doceat parentem currere frenis.**
**Denique sit finis quaerendi, cumque habeas plus,**
**Pauperiem metuas minus et finire laborem**
**Incipias, parto quod avebas, ne facias quod**
**Ummidius quidam; non longa est fabula: dives,** 95
**Ut metiretur nummos; ita sordidus, ut se**
**Non unquam servo melius vestiret; ad usque**
**Supremum tempus, ne se penuria victus**
**Opprimeret, metuebat. At hunc liberta securi**

v. 92. *quoque* Muretus. Heindorf.

92 — 94. *Denique*] Cave confundas cum part. *tandem* intelligasque de tempore. Est: «atque haec adeo summa est praeceptorum meorum;» *die Folge von allem dem mit einem Wort.* — *cumque habeas plus*] «plus quam necessitas postulat; plus quam habet reliquorum hominum magna pars.» — *ne facias*] «ne inter perpetuum metum et cruciatum vivas, ut Ummidius ille, quem tamen vel maximae sollicitudines tutum non praestiterunt a miserrimo exitio.»

95 — 100. *Ummidius*] Homo huius nominis, hospes L. Marcii Philippi, memoratur a Varrone R. R. 3, 3. et alii Ummidii reperiuntur in Inscriptt. — *quidam*] In hoc quoque sine causa haeserunt: «Quomodo, quaesumus, *quidam*, si tam dives?» Sed hoc Latini usurpant de hominibus rebus gestis et honoribus minus insignibus. Sic Cic. Tusc. 1, 48: *Alcidamas quidam, rhetor antiquus in primis nobilis.* — *non longa est fabula*] His vv. occupat ac retinet avarum, ne forte propter longae narrationis taedium aufugiat. — *dives*] «Is igitur, cum tam dives esset, ut metiretur nummos, ita tamen sordidus» cet. — *servo*] «quam servum vestire solent;» tunica igitur pulla contentus erat; eadem constr. atque Epp. 2, 1, 197: *ludis attentius ipsis*, id est, «quam ludos:» non, ut alii interpretati sunt: «quam servus se vestit.» — *liberta*] vel propter foedas patroni sordes in eum exasperata, vel ut tandem partem hereditatis sibi promissam acciperet, si alii tributum esset homicidium, ei *mediam ferro gemina inter tempora frontem Dividit* (Virg. Aen. 9, 750.) — *Tyndaridarum*] mascul.; fem. esset *Tyndaridum* a *Tyndaris*. Dictum est autem ut *Phaselus ille - - navium celerrimus*. Menander Fr. inc. 6. p. 193. Mein.: *νόσων χαλεπώτατος Φθόνος*. Est igitur iocose dictum: «fortissima feminarum illarum omnium, quae, ut

Divisit medium, fortissima Tyndaridarum.
Quid mi igitur suades? ut vivam Maenius? aut sic
Ut Nomentanus? Pergis pugnantia secum
Frontibus adversis componere: non ego, avarum
Cum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem.
Est inter Tanaïn quiddam socerumque Viselli.
Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
Illuc, unde abii, redeo, nemo ut avarus

v. 108. *redeo. Nemon ut avarus* Plerique. *redeo, qui nemo ut a.* Cruq.

Clytaemnestra Agamemnonem, viros unquam tracidaverunt.»

101 — 104. *vivam Maenius*] Sic Epod. 1, 34: *Discinctus aut perdam* (ut) *nepos*. Hic post patrimonium abrosum Kalendis Ianuariis in Capitolio clara voce optavit, ut quadringenta nummorum aeris alieni haberet. Quaerente quodam, quid sibi vellet, quod tam sollemni die aes alienum optaret habere, Noli mirari, inquit, octingenta debeo. Hic fertur domo sua, quam ad forum spectantem habuerat, divendita, unam columnam sibi ibi excepisse, unde gladiatores spectaret, quae ex eo columna Maenia nominabatur.» PORPHYR. — *Nomentanus*] «Cassius Nomentanus adeo sine respectu bonorum suorum prodigus, ut sestertium septuagies gulae ac libidini impenderit.» ACR. — *Frontibus adversis*] iunge cum v. *componere*, non cum vv. *pugnantia secum*. «Non desinis contraria ita componere, ut e regione sibi opposita sint?» ut Graeci, ἐκ διαμέτρου ἡμῖν οἱ βίοι (ἀντίθετοι.) Lucian. Catapl. 14. — *componere*] velut gladiatorum par. Sat. 1, 7, 20. «*Schlemmer und Wüstling.*»

105. *Tanain*] «Tanais spado fuit, ut quidam aiunt Maecenatis libertus, ut nonnulli, L. Munatii Planci, Viselli autem socer herniosus.» PORPH.

108. 109. *Illuc*] Imitatur morem philosophorum, qui in ἐπιδείξεων moralium epilogis post degressiones variaque exempla earum caput repetere solebant. — *nemo ut avarus*] «Iam redeo ad sententiam initio propositam, a qua degressus sum, ut cum avaro sererem colloquium, ex quo ipso satis, ut opinor, elucet avarum neminem se probare, id est, recte se vivere iudicare adeoque condicione sua contentum esse.» *Ut - se probet* pro accus. cum infinit., ut Sat. 1, 2, 115: *Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet* cet. Cic. de Finn. 5, 26: *si Stoicis concedis, ut virtus - efficiat*. Hia-

Se probet ac potius laudet diversa sequentes,
Quodque aliena capella gerat distentius uber,
Tabescat, neque se maiori pauperiorum
Turbae comparet, hunc atque hunc superare laboret.
Sic festinanti semper locupletior obstat,
Ut, cum carceribus missos rapit ungula currus,
Instat equis auriga suos vincentibus, illum
Praeteritum temnens extremos inter euntem.
Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
Dicat et exacto contentus tempore vita
Cedat uti conviva satur, reperire queamus.
Iam satis est. Ne me Crispini scrinia lippi
Compilasse putes, verbum non amplius addam.

v. 120. *lippum* Bentl.

tum autem, praesertim in huius generis quasi primo specimine post Sat. 7. utique tolerabilem iudico.

110—116. *capella*] «Proverbium, quo et Ovidius usus est (A. A. 1, 349.), cum ait: *Fertilior seges est alienis semper in agris, Vicinumque pecus grandius uber habet.*» Porph. — *Sic*] est part. similitudinis respondens sequenti *ut*. — *missos*] Ennius Ann. 1, 101: *veluti consul, cum mittere signum Volt, omnes avidi spectant ad carceris oras, Quam mox emittat pictis ex faucibus currus.* — *illum Praeteritum*] «equum», non «aurigam», ut Voss. — *temnens*] Haud raro hoc simplici v. utuntur poëtae. Virg. Aen. 6, 620: *Discite iustitiam moniti et non temnere divos.*

117—120. *conviva satur*] Aristoteles apud Maxim. et Anton. p. 878: Ἐκ τοῦ βίου κράτιστόν ἐστιν ἐξελθεῖν ὡς ἐκ συμποσίου, μήτε διψῶντα, μήτε μεθύοντα. Lucret. 3, 951: *Cur non, ut plenus vitae conviva recedis, Aequo animoque capis securam, stulte, quietem? — Crispini*] «Philosophi cuiusdam loquacissimi nomen, qui ἀρετάλογος dictus est; scripsit etiam versus de secta Stoica.» Schol. *Ineptum* vocat Sat. 1, 3, 139. — *lippi*] Horatius ridet Crispini hominis insulsi faciem in modum misere ridiculum assiduo illo malo deturpatam, «oculis humidis, rubidis, fortasse ex sua sede propulsis, continuato fletu, carbunculis et ulceribus aut supercrescentibus aut cavis aut sordidis» (quomodo varia lippitudinis genera describit Celsus 6, 6. etiam hoc docens; *fit ea in aliis brevis, in aliis longa et quae vix unquam finiatur.*) — *scrinia*] Lepide significat Crispinum tota scrinia librorum a se conscriptorum plena domi habuisse.

# SATIRA II.

Ambubaiarum collegia, pharmacopolae,
Mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne
Maestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli:
Quippe benignus erat. Contra hic, ne prodigus esse
Dicatur metuens, inopi dare nolit amico,
Frigus quo duramque famem propellere possit.
Hunc si perconteris, avi cur atque parentis
Praeclaram ingrata stringat malus ingluvie rem,

v. 6. *depellere* e gloss. Codd. aliq. B.

1—3. *Ambubaiarum*] «Ambubaiae dicuntur mulieres tibicines lingua Syrorum a v. *abub*, *ambub*, tibia.» SCHOL. — *collegia*] iocose, quasi harum mulierculorum greges, quibus praeerant lenones, essent ex iis collegiis s. sodaliciis *QVIBVS*, ut est in Inscript., *EX S. C. COIRE LICEBAT.* — *pharmacopolae*] circulatorum genus, de quo Cato apud Gell. 1, 15: *M. Caelium auditis, non auscultatis, tamquam pharmacopolam; nam eius verba audiuntur, verum ei se nemo committit, si aeger est.* — *Mendici*] Videntur harioli, Isiaci, Galli, (Cybeles sacerdotes, μητραγύρται), fortasse etiam Iudaei. — *mimas*] «mulierculae gesticulariae in mimis et saltatriculae,» ut ait Gell. 1, 5. — *balatrones*] «Balatrones et blateas bullas luti ex itineribus aut quod de calceamentorum soleis eraditur, appellabant.» FESTUS. Ut lutum calceis, sic hi scurrae divitibus vel invitis adhaerent. — *Tigelli*] «M. Tigellius musicus peritissimus et vocis eximiae C. Caesari dictatori et post Cleopatrae acceptissimus, Octaviano quoque Caesari amicissimus, eo quod dulce caneret et urbane iocaretur, adeo ut inter familiares et domesticos haberetur.» COMM. CRUQ. De hoc Tigellio Cic. ad Fam. 7, 24: *Cognosti meam causam et istius salaconis iniquitatem. Sardos habes venales, alium alio nequiorem* cet. Diversum hunc maiorem Tigellium esse ab Tigellio Hermogene demonstravit Kirchnerus in Quaestt. Horat. p. 42. seqq.

8—12. *ingrata*] non «tetra, foeda», sed quae nunquam satiatur, nunquam acceptis contenta est.» — *stringat*] «avide devoret adeoque consumat.» «Sumpta metaphora a ramis, quos stringimus.

Omnia conductis coëmens obsonia nummis:
Sordidus atque animi quod parvi nolit haberi,
Respondet: laudatur ab his, culpatur ab illis.
Fufidius vappae famam timet ac nebulonis.
Dives agris, dives positis in fenore nummis,
Quinas hic capiti mercedes exsecat atque,
Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget;
Nomina sectatur modo sumpta veste virili
Sub patribus duris tironum. Maxime, quis non,
Iuppiter! exclamat, simul atque audivit? At in se
Pro quaestu sumptum facit hic. Vix credere possis
Quam sibi non sit amicus, ita ut pater ille, Terenti
Fabula quem miserum gnato vixisse fugato
Inducit, non se peius cruciaverit atque hic.

quando illos nudamus foliis.» COMM. CRUQ. — *ingluvie*] pr. προγγορεών (*Kropf*) avium. — *conductis*] Proprie de operibus publicis et privatis dicitur, raro de pecunia fenori sumpta, ut hic et Iuven. 11, 46. — *Fufidius*] fenerator ignotus.

14—20. *Quinas*] usuram solitam, id est, singulis mensibus centesimam (12 *Procent*) quintuplicatam (60 *Procent.*) — *capiti*] sorti, summae in fenore positae. — *exsecat*] est, «extorquere, extundere, exprimere;» nos simili metaphora: *Zinsen aus dem Capital herausschlagen, ziehn.* — *urget*] «Tanto gravioribus usuris onerat unum quemque, quanto intellexerit eum negligentius res suas agere et luxuriosius vivere. SCHOL.; ut, si aliquando sors tota aut ex parte perdenda sit, magnas saltem centesimas per tempus ad omne damnum resarciendum sufficiens inde percipiat.» — *nomina*] *Schuldverschreibungen.* — *Pro quaestu*] «ratione quaestus habita,» *dem Erwerbe gemäss.* — *non sit amicus*] «ut qui perpetuo genium suum defraudet.» — *Terenti*] In Ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ pater Menedemus, cuius ob severitatem Clinia filius in Asiam militatum profectus erat.

25. 26. *Maltinus*] apparet hominem fuisse aliquem mollem atque effeminatum; aliunde notus non est. Nam quod Scholiastae afferunt: «sub Maltini nomine quidam Maecenatem suspicantur significari,» cui opinioni favent etiam Interpretes nonnulli recentiores, egregie refutavit Madvig Opuscc. p. 64. seqq.: «Sane securilis et ab Horatii Maecenatisque

Si quis nunc quaerat: Quo res haec pertinet? Illuc:
Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
Maltinus tunicis demissis ambulat; est qui
Inguen ad obscoenum subductis usque facetus:
Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum.
Nil medium est. Sunt qui nolint tetigisse nisi illas,
Quarum subsuta talos tegat instita veste:
Contra alius nullam nisi olenti in fornice stantem.
Quidam notus homo cum exiret fornice, Macte
Virtute esto, inquit sententia dia Catonis:
Nam simul ac venas inflavit tetra libido,
Huc iuvenes aequum est descendere, non alienas
Permolere uxores. Nolim laudarier, inquit,

v. 25. Alii *Malthinus*, *Malchinus*. v. 27. Al. *Gorgonius*.

coniunctione alienissima esset talis sub ficto nomine Maecenatis irrisio. Praeterea in satira Luciliana et Horatiana nihil fictis agitur nominibus, sed veris notisque personis.» — *tunicis demissis*] «*Demissitiae tunicae* (Plaut. Poen. 5, 5, 24.) sunt, «quibus homines molles ad crura a frigore defendenda utebantur contra veterem Romanorum morem.» MADVIG. Hinc in luxuriae signis haec coniungit Seneca Controv. 2, 14: *quod unguento coma madet, tuum est*; *quod laxior usque in pedes tunica demittitur, tuum est.* — *ambulat*] superbo incessu, ut Epod. 4, 5. — *subductis*] Quintil. 11, 3, 138: *Cui lati clavi ius non erit, ita cingatur, ut tunicae prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant. Nam infra mulierum est, supra centurionum.* — *facetus*] quatenus hoc indecoro habitu aliis risum movet.

27—36. *Pastillos*] *Morsellen.* Martial. 1, 88: *Ne gravis hesterno fragres, Fescennia, vino, Pastillos Cosmi luxuriosa voras.* Rufillus et Gargonius homines fuerunt non infimae plebis, quoniam poëta propter istam eorum irrisionem in aliorum reprehensionem atque invidiam incurrit. (Sat. 1, 2, 91.) *Gargonius* cum Codd. edidi, ut in Cic. Bruto 48. Ed. min. Eundem putant, cuius cacozelian et stulte dicta irridet Seneca rhetor Suas. 7. — *hircum*] foedum alarum odorem. — *subsuta*] Non videtur hypallage, sed proprie locutus est; nam extremus stolae margo subsuitur institae. — *instita*] fasciola fimbriata in ima stola matronarum, cum libertinae *tunica* uterentur. — *sententia*] formula Luciliana: *Valeri sententia*

Sic me, mirator cunni Cupiennius albi.
Audire est operae pretium, procedere recte
Qui moechos non voltis, ut omni parte laborent;
Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque haec rara, cadat dura inter saepe pericla.
Hic se praecipitem tecto dedit; ille flagellis
Ad mortem caesus; fugiens hic decidit acrem
Praedonum in turbam; dedit hic pro corpore nummos:
Hunc perminxerunt calones; quin etiam illud
Accidit, ut quidam testes caudamque salacem
Demeteret ferro. Iure omnes: Galba negabat.
Tutior at quanto merx est in classe secunda,
Libertinarum dico, Salustius in quas
Non minus insanit, quam qui moechatur: at hic si,
Qua res, qua ratio suaderet quaque modeste

v. 38. Al. *moechis*.

*dia*. — *descendere*] fornices isti erant cellae cameratae, in terram depressae. etiam Sat. 2, 8, 67. Epp. 2, 1, 94. 2, 148. — *albi*] «Respexit ad stolam candidam, qua vestiebantur matronae; nam meretrices habebant nigram (vel potius pullam) vestem.» COMM. CRUQ. «C. Cupiennius Libo Cumanus Augusti familiaritate clarus, corporis sui diligentissimus, sectator matronarum.» PORPH.

37—46. *Audire*] «Urbane abutitur Ennianis versibus: *Audire est operae pretium, procedere recte Qui rem Romanam Latiumque augescere voltis*.» SCHOL. — *flagellis*] «Hoc de C. Crispo Salustio dicitur, qui deprehensus ab Annio Milone in adulterio cum uxore Fausta Sullae filia flagellis caesus esse dicitur, ut refert Asconius in eius (Salustii) vita.» ACR. — *Praedonum*] «nocturnorum per Urbem grassatorum.» *Calones* h. l., qui Epp. 1, 14, 14: *mediastini*, servi viliores. — *iure*] Est formula iudicialis: *iure caesum videri*. Ser. Galbam iurisperitum vocat COMM. CRUQ. Alii pro eo habent, cuius est epistola apud Cic. ad Fam. 10, 30. Probabilius Weichert Lectt. Ven. 2. p. 12. pro A. Galba, Octaviani scurra. (Quint. 6, 3. Iuven. 5, 5. Martial. 1, 42. 10, 101.)

47—54. *in classe secunda*] Festive institutum illud Ser. Tullii, ex quo populus Romanus in V. classes descriptus erat, ad libertinas transfert. — *Salustius*] nepos

Munifico esse licet, vellet bonus atque benignus
Esse, daret quantum satis esset nec sibi damno
Dedecorique foret. Verum hoc se amplectitur uno,
Hoc amat et laudat: Matronam nullam ego tango.
Ut quondam Marsaeus, amator Originis ille,
Qui patrium mimae donat fundumque laremque,
Nil fuerit mi, inquit, cum uxoribus unquam alienis.
Verum est cum mimis, est cum meretricibus, unde
Fama malum gravius quam res trahit. An tibi abunde
Personam satis est, non illud, quidquid ubique
Officit, evitare? Bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum est ubicunque. Quid inter
Est in matrona, ancilla peccesne togata?
Villius in Fausta Sullae gener, hoc miser uno
Nomine deceptus, poenas dedit usque superque

v. 54. *hoc laudat* Codd. aliq.

sororis Salustii historici ab hoc adoptatus, ad quem circiter XV. annis post scripsit Od. 2, 2. De eo consule Tacit. Ann. 1, 6. 3, 30. Fuit post Maecenatis mortem particeps secretorum Augusti. Is h. l. adolescens, ut erant plerique quos per priores satiras vellicat, insanisse in libertinas, magnam pecuniam in eas insumpsisse dicitur. — *hoc se amplectitur*] «hoc solo sibi blanditur.» Acr. — *Hoc amat*] Est potius ablativus «propter hoc se amat, φίλαυτος ἐστιν, propter hoc se laudat:» quam nominativus.

55—63. *quondam*] «abhinc aliquot annos.» — *Marsaeus*] homo ignotus. — *Originis*] «Romae fuerunt eodem tempore (circiter a. u. c. 710.) tres meretrices nobilissimae, Origo, Lycoris, et Arbuscula.» Comm. Cruq. — *donat*] H. l. in propositione relativa praesens pro perfecto, ut alibi in narrationibus directis. — *Nil fuerit mi*] Manifesto Marsaei sunt verba, non Salustii, qui sic idem bis diceret. — *Personam*] «condicionem ac statum alicuius,» h. l. matronae. — *oblimare*] Ut illuvies pingue pratum *limo* obducit atque sterile reddit, sic patrimonium a prodigo consumitur. — *ancilla togata*] Sic contemptim vocat libertinas, quae tunica et toga pro matronarum stola et palla vestiebantur.

64—75. *Villius*] fortasse Sex. Villius (Annalis), Milonis familia-

Quam satis est pugnis caesus ferroque petitus,
Exclusus fore, cum Longarenus foret intus.
Huic si mutonis verbis mala tanta videntis
Diceret haec animus: Quid vis tibi? numquid ego a te
Magno prognatum deposco consule cunnum
Velatumque stola, mea cum conferbuit ira?
Quid responderet? Magno patre nata puella est.
At quanto meliora monet pugnantiaque istis
Dives opis natura suae, tu si modo recte
Dispensare velis ac non fugienda petendis
Immiscere. Tuo vitio rerumne labores,
Nil referre putas? Quare, ne poeniteat te,
Desine matronas sectarier, unde laboris
Plus haurire mali est quam ex re decerpere fructus.
Nec magis huic inter niveos viridesque lapillos
(Sit licet hoc, Cerinthe, tuum) tenerum est femur aut crus

v. 81. *Sit licet, o Cerinthe, tuo* Bentl. Al. *Sit licet hoc, Cerinthe, tuum - Sit licet, o Cerinthe, tuum*

ris. (Cic. ad Fam. 2, 6.) Hic, ut ait Acron, Faustam, Sullae filiam, Milonis coniugem stupravit ita frequenter, ut per iocum Sullae gener appellari posset. — *fore*] ἀποκεκλεισμένος τῆς θύρας. Aristoph. Lys. 423. Num. singul. etiam Ter. Adelph. 2, 3, 11. cet. — *Longarenus*] alius moechus Faustae cum Fulvio, fullonis filio, et Pompeio Macula cet. Macr. Sat. 2, 2. — *mutonis*] «Sapientior est pars libidinosa domino suo.» Gesn. *opis*] non «auxilii,» sed antique pro *opum*. Plaut. Capt. Prol. 15: *Vos qui potestis ope vestra censerier.* — *Dispensare*] quemadmodum in divite domo omnes res recte atque ordine a dispensatore administrantur.

81. *Licet hoc* (ipsum femur nobilis matronae), *Cerinthe*, (elegantium formarum spectator fortunateque matronarum amator,) *sit tuum*, id est, a te omnibus aliis praelatum ac tibi obnoxium, non tamen magis lenerum est quam femur togatae.» (*Mag auch dein sein diese Hüfte, Cerinthus.*) *Tuum* autem, ut Catull. 70, 1. *mulier mea*, «femina mihi morigera;» Sic etiam in appellando Cerintho inest, quam satira requirit, εἰρωνεία. — Incertum est, an Cerinthus hic idem sit atque ille, cuius amores celebravit Tibullus Lib.

Rectius; atque etiam melius persaepe togatae est.
Adde huc, quod mercem sine fucis gestat; aperte
Quod venale habet ostendit; nec, si quid honesti est,
Iactat habetque palam, quaerit quo turpia celet.
Regibus hic mos est, ubi equos mercantur: opertos
Inspiciunt, ne, si facies, ut saepe, decora
Molli fulta pede est, emptorem inducat hiantem,
Quod pulchrae clunes, breve quod caput, ardua cervix.
Hoc illi recte: ne corporis optima Lyncei
Contemplere oculis, Hypsaea caecior illa
Quae mala sunt spectes. O crus! o brachia! verum
Depugis, nasuta, brevi latere ac pede longo est.
Matronae praeter faciem nil cernere possis,
Cetera, ni Catia est, demissa veste tegentis.
Si interdicta petes, vallo circumdata, nam te
Hoc facit insanum, multae tibi tum efficient res,
Custodes, lectica, cinifiones, parasitae,

2, 2. et Lib. 4, 2. seqq. necne, et utrum verum nomen an fictum, quo iuvenem Romanum formosum designarit utrique poëta, cum tamen non eundem intelligerent, lectores vero qui, apud Horatium certe, significaretur probe scirent. Ex volgari quidem opinione tempora minus congruunt, nam Horatianum floruisse circiter a. u. c. 715. necesse est, Tibulli, ut dicunt, Cerinthum a. u. c. 730., quibus XV. annis flos aetatis utique transierat.

86 — 95. *Regibus*] pro «divitibus.» — *molli*] crura imbecilla et vitiosas ungulas intellige. — *inducat*] «deceptum moveat ad emendum.» — *hiantem*] «cupidum.» Gloss. — *ardua*] «*hochtragend.*» Virg. Ge. 3, 81. de equo: *illi ardua cervix Argumentique caput, brevis alvus obesaque terga, Luxuriatque toris animosum pectus.* — *Lyncei*] ut *Achillei*, *Ollei*. Pind. Nem. 10, 62: *κείνου γὰρ ἐκγόνοιν πάντων γένετ' ὀξύτατον Ὄμμα.* — *Hypsaea*] Plautia Hypsaea, femina nobilis, caeca. — *nasuta*] (ut *auritus*,) grandi naso. — *Catia*] «Haec adeo impudica fuit, ut in aede Veneris Tcatinae ad theatrum Pompeianum, quod in Campo fuit, adulterium cum Valerio Siculo colono, tribuno plebis, velo obducto commiserit.» Comm. Cruq.

98. *parasitae*] clientae aliae-

Ad talos stola demissa et circumdata palla,
Plurima, quae invideant pure apparere tibi rem.
Altera, nil obstat; Cois tibi paene videre est
Ut nudam, ne crure malo, ne sit pede turpi;
Metiri possis oculo latus. An tibi mavis
Insidias fieri pretiumque avellier ante
Quam mercem ostendi? „Leporem venator ut alta
In nive sectetur, positum sic tangere nolit:"
Cantat et apponit, „Meus est amor huic similis; nam
Transvolat in medio posita et fugientia captat." —
Hiscine versiculis speras tibi posse dolores
Atque aestus curasque graves e pectore pelli?
Nonne cupidinibus statuat natura modum quem,
Quid latura sibi quid sit dolitura negatum,
Quaerere plus prodest et inane abscindere soldo?
Num, tibi cum fauces urit sitis, aurea quaeris
Pocula? num esuriens fastidis omnia praeter

v. 110. *tolli* e Codd. Beutl.

que feminae tenuiore loco ortae, quae cum matrona nobili versari solent et ab ea crebro invitantur.

101—110. *Altera*] «per vestem Coam (sericam) pellucidam, qua induta est, paene ut nuda conspicitur, unde videre tibi licet, an forsitan varum valgumve habeat crus cet.» — *Leporem*] Expressit epigramma Callimachi 33., quod tum, ut videtur, pro scolio cantari solebat: *Ὠγρευτής, Ἐπίκυδες, ἐν οὔρεσι πάντα λαγωὸν Διφᾷ καὶ πάσης ἴχνια δορκαλίδος. Στίβῃ καὶ νιφετῷ κεχρημένος· ἦν δέ τις εἴπῃ, Τῇ, τόδε βέβληται θηρίον· οὐκ ἔλαβεν. Χόὐμὸς ἔρως τοιόσδε· τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν Οἶδε, τὰ δ' ἐν μέσσῳ Κείμενα παρπέταται.* — *positum sic*] «cum sagitta fixus, humi stratus iacet,» *(ist er so hingestreckt,)* «ipse eum non tangit, sed a servo aliquo tolli iubet.»

111—119. *modum quem*] «Nonne satius est quaerere, quem cupiditatibus modum natura statuerit, quid tolerare possit, si denegetur, quid denegatum sustinere non possit, quam nimiis et inutilibus cupiditatibus sollicitari?» Comm. Cruq. — *inane*] «inutilia ac vana ab utilibus et necessariis

Pavonem rhombumque? tument tibi cum inguina, num, si
Ancilla aut verna est praesto puer, impetus in quem
Continuo fiat, malis tentigine rumpi?
Non ego: namque parabilem amo venerem facilemque.
Illam, «Post paullo": «Sed pluris": „Si exierit vir":
Gallis, hanc Philodemus ait sibi, quae neque magno
Stet pretio neque cunctetur, cum est iussa venire:
Candida rectaque sit; munda hactenus, ut neque longa
Nec magis alba velit, quam dat natura, videri.
Haec ubi supposuit dextro corpus mihi laevum,
Ilia et Egeria est: do nomen quodlibet illi,
Nec vereor, ne, dum futuo, vir rure recurrat,
Ianua frangatur, latret canis, undique magno
Pulsa domus strepitu resonet, vepallida lecto
Desiliat mulier, miseram se conscia clamet,
Cruribus haec metuat, doti deprensa, egomet mi.
Discincta tunica fugiendum est ac pede nudo,

v. 129. *ne pallida* a C2dd. Bentl.

praecidere et separare.» Id. — *soldo*] ut Sat. 2, 5, 65. *caldus* pro *calidus*.

120—122. *Post paullo*] «illam, quae dicere solet, paullo post faciam tibi mei copiam, semperque hoc deludit amatorem.» — «*Sed pluris*] me vendere soleo; sed plus mihi numerari volo.» — *Gallis*] «Illam eviratis Cybelae sacerdotibus relinquendam esse censet; sibi contra facilem optat in aliquo epigrammate Philodemus Gadarenus, Epicureus,» cuius exstant epigrammata et liber de musica Herculani repertus. De quo Cicero, eius aequalis, in Pison. 29. dixit: *eum poëma facere ita festivum, ita concinnum, ita elegans, nihil ut fieri possit argutius.* — *Stet*] «constet.» Liv. 34, 56: *centum talentis eam rem Achaeis stetisse.*

123—129. *recta*] *geraden Wuchses.* Sic Catull. 10, 20: *homines-rectos*, proceros. — *Ilia et Egeria*] «nobilissimis quibusque feminis a me aequiparatur.» — *vepallida*] valde, misere pallida, *todtblass*, ἅπαξ λεγόμενον.

130—134. *conscia*] «ancilla conciliatrix adulterii et conscia suae dominae.» Comm. Cruq. — *Cruribus*] Crudeli hac poena interdum afficiebantur servi infideles.

Ne nummi pereant aut puga aut denique fama.
Deprendi miserum est: Fabio vel iudice vincam.

# SATIRA III.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati,
Iniussi nunquam desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Caesar, qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris atque suam, non
Quidquam proficeret; si collibuisset, ab ovo
Usque ad mala citaret, Io Bacche! modo summa

v. 7. *iteraret* Bentl. coni.

Suet. Aug. 67: *Thallo a manu - - crura ei fregit. — doti* metuat *deprensa* mulier, i. e. «ne propter adulterium manifestum parte dotis multetur. — *Fabio vel iudice*] «Si vel ex Fabio ridiculo illo Stoico (Sat. 1, 1, 14.) quaeram, approbabit is sententiam meam, utpote qui ipse aliquando in adulterio deprensus eiusmodi poenas luerit.»

III. Praecipuus huius satirae finis est, ut communis illa hominum perversitas exagitetur, qua nostra mala aut plane ignoramus aut summa indulgentia fovemus, in aliorum contra, et persaepe amicorum in primis, vitia sedulo inquirimus eaque acerbissima severitate reprehendimus. Cuius pravitatis cum excusatio saltem aliqua depromi possit ex Stoicorum sententia, «omnia peccata aequalia esse,» (v. 76.) hanc impugnat, contraria Epicureorum doctrina opposita. (vv. 98—112.) Ab illo παραδόξῳ ad aliud eiusdem disciplinae de perfecto sapiente deridendum transit, ita ut alacri et festiva clausula sermo finiatur. (a. u. c. 716—718?)

1—8. Festive miris Tigellii moribus atque inconstantia illa, qua semper in diversa aberrare solebat, ita descriptis, tamquam si de hoc uno vitio disserere vellet, παρὰ προσδοκίαν alium inducit v. 19. interrogantem: *Quid tu? Nullane habes vitia?* De Tigellio v. Sat. praeced. init. — *Sardus*] Inest εἰρωνεία quaedam in hac patriae eius mentione. Proverbium erat: *Sardi venales; alter altero nequior*, et Porphyrion servavit Licinii Calvi in hunc modulatorem scazonta: *Sardi Tigelli putidum caput venit*; quod ipsum *Hipponacteum praeconium* vocat Cic. ad Fam. 7, 24. — — *Si peteret - - proficeret*] «Si quando iNo nolente petebat, nihil unquam proficiebat.» Coniunctivis

*V*oce, modo hac, resonat quae chordis quattuor ima.
Nil aequale homini fuit illi; saepe velut qui
Currebat fugiens hostem, persaepe velut qui
Iunonis sacra ferret; habebat saepe ducentos,
Saepe decem servos; modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens; modo: Sit mihi mensa tripes et
Concha salis puri et toga, quae defendere frigus
Quamvis crassa queat. Decies centena dedisses
Huic parco paucis contento, quinque diebus
Nil erat in loculis. Noctes vigilabat ad ipsum
Mane, diem totum stertebat; nil fuit unquam
Sic impar sibi. Nunc aliquis dicat mihi: Quid tu?

v. 11. *alebat* Bentl. coni.

tempora locaque infinita, quibus illud fiebat, significantur. — *ab ovo*] «Ovum initium coenae erat, quippe quod in gustatione statim a balneis offerebatur; poma vero cum bellariis in secundis mensis erant.» Schol. — *citaret*] «clara voce cantaret,» ut Cic. de Orat. 1, 59. *paeanem citare;* pr. «sonos ciere, movere.» — *Io Bacche*] initium fortasse cantici, quod ille frequenter cantabat, nisi pro quavis cantilena convivali positum est. — *modo summa*] «Tigellius modo utebatur ea voce, quae summâ chordâ tetrachordi» (quo sonos modulabantur, ut fit in nostro *violino*:) «τῇ ὑπάτῃ resonat, id est, gravissima, τῇ βαρυτάτῃ; modo ea, quae imâ chordâ, τῇ νήτῃ, eademque acutissima, τῇ ὀξυτάτῃ, resonat. Gesner.

9—16. *Nil*] «Nihil erat aequabile in illo homine; in nulla re sibi constabat.» — *velut qui*] βραχυλογία pro: «Saepe currebat, velut qui fugiens hostem curreret, saepe lente incedebat, velut qui Iunonis sacra ferret.» — *Iunonis sacra*] Loquitur de καναηφόροις, «quae manibus sublatis sacra reposita in capitibus ferebant.» — *tetrarchas*] nomen principum praecipue Gallograeciae et Iudaeae. — *loquens*] «in ore habens ac dicens se eorum familiaritate uti, sibi epistolas et dona ab iis missa esse.» — *mensa tripes*] «delphica simplex, qualis decet hominem paucis contentum et plerumque solum sine convivis coenantem.» — *Concha salis puri*] Opponitur salinum argenteum. «Pauperiores in marina concha salem tritum habere solent, quo cum pane vescantur.» Porph. — *crassa*] *pinguem* togam similiter dixerunt Suet. Oct. 82. Martial. 14, 143. plebeiam ac vilem. — *Decies centena*] milia H. S. Flor. Rhen. 95496. Franc. Helv. 138904. Est

Nullane habes vitia? Immo alia et fortasse minora.
Maenius absentem Novium cum carperet: Heus tu,
Quidam ait, ignoras te? an ut ignotum dare nobis
Verba putas? Egomet mi ignosco, Maenius inquit.
Stultus et improbus hic amor est dignusque notari.
Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius? At tibi contra
Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi.
Iracundior est paullo, minus aptus acutis
Naribus horum hominum; rideri possit, eo quod
Rusticius tonso toga defluit et male laxus

v. 20. *haud fortasse* Cruq. Meinecke. v. 25. *praevideas oculis male* e Codd. Bentl.

quasi proverbium, ut nobis *eine Million.* — *quinque diebus*] paucis; ut nos dicimus, octo.

20 — 24. *et fortasse minora*] «Primus, opinor, Aldus Manutius sincerum vas incrustare voluit et reposuit *haud minora;* quem deinceps plerique omnes nimium patienter secuti sunt. Quid enim? an credibile est hoc fassum esse Horatium? sua vitia non minora esse illis, quae in Tigellio tam acerbe notaverat? — Immo vero sibi mediocria tantum vitia esse alibi gloriatur, non Tigellianis similia Sat. 1, 4, 130. 6, 65. -- Summa urbanitas est in v. *fortasse;* quasi non pugnaturus foret, si quis vel aequalia esse diceret.» Bentl. «*Und doch hoffentlich wohl kleinere.*» — *Maenius*] Sat. 1, 1, 101. *Novius*, homo ignotus. Sententiae sic cohaerent cum praecedd. «Atque hoc pro certo affirmare possum me tam stultum et improbum non esse, quam fuit Maenius ille, ut carpam absentes amicos, mihi ignoscam cet.» — *dare verba*] pro rebus, id est, «decipere, circumvenire.» — *improbus*] «nimius, modum longe excedens, ideoque perversus.»

25 — 27. *prevideas*] *Pervidere* sane significat, ut ait Bentleius, «acute et perspicue et penitus rem videre»; sed quomodo ille, quocum loquitur poëta, sua vitia *pervidet?* Nimirum lippus et propterea oculis collyrio inunctis; id quod huc redit: «parum pervidet.» — *Epidaurius*] Pausan. 2, 28: *Δράκοντες -- καὶ ἕτερον γένος ἐς το ξανθότερον ῥέποντες χρόας ἱεροὶ μὲν τοῦ Ἀσκληπιοῦ νομίζονται καὶ εἰσὶν ἀνθρώποις ἥμεροι, τρέφει δὲ μόνη σφᾶς ἡ τῶν Ἐπιδαυρίων γῆ.*

In pede calceus haeret: at est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam, at tibi amicus, at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore. Denique te ipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura aut etiam consuetudo mala; namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.
Illuc praevertamur, amatorem quod amicae
Turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec
Delectant, veluti Balbinum polypus Hagnae.
Vellem in amicitia sic erraremus et isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.
At pater ut gnati, sic nos debemus amici,
Si quod sit vitium, non fastidire: strabonem

29. 30. *acutis Naribus horum hominum*] nunc viventium, qui levissima quaeque vitia in aliis facillime odorantur, derident, vituperant; talibus igitur homo simplex ac negligentior parum convenit, persaepe reprehensionis ansam praebet.

31—37. *Rusticius*] iunge cum v. *tonso* dumtaxat. — *defluit*] «parum apte composita est.» — *male laxus*] «non satis aptus ad pedem.» Theophr. Char. 4: ἄγροικος τοιοῦτός τις, οἷος - - μείζω τοῦ ποδὸς τὰ ὑποδήματα φορεῖν. — *ibi*] «quocum nunc ipsum colloquor.» — *Inculto*] de amictu neglecto. (v. 31.) — *Concute*] imagine desumpta ab eo, qui furem concutit; *rütteln*. In prosa or. frequentius «excutere» pro diligenter explorare. — *urenda*] «quae aliter quam igne exstirpari nequit.»

38—42. *Illuc praevertamur*] «Si volumus ex aequo bonoque de amicis iudicare, ante omnia ad illud exemplum nos convertamus, quo modo de amicarum naevis amatores, de liberum vitiis parentes iudicare solent. — *decipiunt*] «fallunt, latent eum.» — *Hagnae*] «Hanc libertinam amaverat L. Caelius Balbinus, qui hoc tempore proscriptus erat (Appian. 4, 50.), sed postea rediit et a. u. c. 724. mense Novembri consul suffectus est.» Spohn. — *virtus*] «sensus eius, quod aequum bonumque est.»

44—53. *fastidire: strabonem*] e brevi, ut Sat. 1, 2, 30. «*Strabo* dicitur, qui est detortis oculis; *paetus* autem, qui est oculis leniter declinatis cuique huc atque illuc tremuli celeriter volvuntur.» Comm.

Appellat paetum pater, et pullum, male parvus
Si cui filius est, ut abortivus fuit olim
Sisyphus; hunc varum distortis cruribus; illum
Balbutit scaurum, pravis fultum male talis.
Parcius hic vivit: frugi dicatur. Ineptus
Et iactantior hic paullo est: concinnus amicis
Postulat ut videatur. At est truculentior atque
Plus aequo liber: simplex fortisque habeatur.
Caldior est: acres inter numeretur. Opinor,
Haec res et iungit, iunctos et servat amicos.
At nos virtutes ipsas invertimus atque
Sincerum cupimus vas incrustare. Probus quis
Nobiscum vivit: multum demissus homo; illi

v. 57. *multum demissus homo ille:* e Cld. Bland. Bentl.

Cruq. — *pullum*] «Antiqui puerum, quem quis amabat, *pullum* eius dicebant.» Festus. *L. Iunius Pullus* Cos. fuit a. u. 504. — *abortivus*] quasi propter abortum a matre factum nanus evasisset. — *Sisyphus*] «M. Antonio triumviro pumilio fuisse dicitur intra bipedalem staturam, quem ipse Sisyphum appellabat ob ingenii calliditatem.» Comm. Cruq. — *varum*] introrsum retortis pedibus. — *Balbutit*] cuiusmodi pronuntiatio teneri aliquid habet in talibus ὑποκορίσμασιν. — *scaurum*] «*Scauri* dicuntur, qui talos habent exstantes. Schol. Praecipua huius loci urbanitas in eo inest, quod patres isti indulgentissimi simul cognominibus gentium Romanarum ortis utique ex huiusmodi vitiis utuntur. — *frugi*] Novius Bothii p. 50: *Spero rem faciet: frugi est homo.* — *Ineptus*] «negotiosus ardelio, qui nobis operam suam iactat.» Cic. de Or. 2, 4: *qui aut tempus quod postulet non videt, aut plura loquitur aut se ostentat - - aut denique in aliquo genere aut inconcinnus aut multus est, is ineptus dicitur.* — *concinnus*] «qui officiosa sedulitate et lepore sese amicis commendare studet.» — *simplex*] «apertus et ab omni mendacio alienus.» — *Caldior*] *hitzig, acer, feurig.*

56—58. *Sincerum*] «Adeo perversi sumus, ut et purum vas corrupto aliquo liquore eiusque faecibus obducere cupiamus.» — *Probus*] «Si quis probus (modestus, *anspruchlos*) nobiscum vivit, statim non sine contemptu, «*multum demissus*, abiectus, pusilli animi homo est,» dicimus; similiter si quis paullo tardior (*phlegma-*

Tardo cognomen pingui damus. Hic fugit omnes
Insidias nullique malo latus obdit apertum,
Cum genus hoc inter vitae versetur, ubi acris
Invidia atque vigent ubi crimina: pro bene sano
Ac non incauto fictum astutumque vocamus.
Simplicior quis et est, qualem me saepe libenter
Obtulerim tibi, Maecenas, ut forte legentem
Aut tacitum impellat quovis sermone molestus:
Communi sensu plane caret, inquimus. Eheu,
Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!
Nam vitiis nemo sine nascitur; optimus ille est,
Qui minimis urgetur. Amicus dulcis, ut aequum est,

v. 58. *Tardo ac cognomen* B. coni. *illi Tardo cognomen et pingui damus* Heindorf. coni. v. 60. *versemur* e Cid. Bland Bentl. v. 65. *impediat* Bentl. coni. Ibid *quovis sermone*. «*Molestus!*» Kirchner.

*tisch)* est, qui non acutissime moveatur) illico ei pingue ingenium tribuimus.» — *Tardo*] In v. *pinguis* maiorem reprehensionem inesse quam in v. *tardus* elucet vel e proverbio illo *pingui* et *crassa Minerva*, nunquam *tarda*.

59—66. *malo*] «nulli maligno insidiatori velut in batuendo praebet latus nudum, ubi feriatur.» («nulli dat sese irridendum, idque agit, ne lingua malevola laceretur.» Comm. Cruq.) propterea quod optime novit se vivere inter homines maxime invidos et semper prompios ad alios criminandos.» — *fictum*] falsum. (Sal. Cat. 10.) — *Simplicior*] «Si simplicior quis est et talis, qualem cet.» — *libenter*] «ut haudquaquam poenitet me tibi fortasse saepe obtulisse: nam eo ipso, etiamsi fieri potest, ut tibi molestus fuerim, pervidere poteras simplicem atque ingenuum meum animum.» — *impellat*] Cic. pro Planc. 9: *si quando, ut fit, iactor in turba, non illum accuso, qui est in summa Sacra via, cum ego ad Fabium fornicem impellor, sed eum, qui in me ipsum incurrit atque incidit.* Est igitur: «necopinato velut incurrere et incidere in aliquem atque ita deflectere a lectione aut a tacita meditatione, cui vacat alter.» Frequentius dicitur «interpellare.» — *quovis sermone*] «primo quoque sermone, qui importuno in buccam venit.» V. *molestus* iunge cum praecedd.: «adeoque molestus fiat.» — *Communi sensu*] h. l. «eius quod decet; qualis quidem sensus omnium hominum esse debet.»

Cum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce,
Si modo plura mihi bona sunt, inclinet, amari
Si volet: hac lege in trutina ponetur eadem.
Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscet verrucis illius: aequum est,
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.
Denique, quatenus excidi penitus vitium irae,
Cetera item nequeunt stultis haerentia, cur non
Ponderibus modulisque suis ratio utitur ac res
Ut quaeque est, ita suppliciis delicta coërcet?
Si quis eum servum, patinam qui tollere iussus
Semesos pisces tepidumque ligurierit ius,
In cruce suffigat, Labeone insanior inter

v. 81. *trepidumque* Fea. Meinecke.

70. *Cum mea*] Construe «*Cum vitiis* (meis) *mea bona compenset.*» *Cum* igitur est praepos., non coniunctio. — *pluribus hisce*] non ablat. absol., ut visum est Acroni.

76—83. *quatenus*] Cfr. Sat. 1, 1, 64. «Quoniam quidem nos omnes, quos Stoici praeter illum suum sapientem perfectum, stultos (ἄφρονας, ἠλιθίους, φαύλους Stob. E. Ph. 2, 7. passim.) vocare solent, a vitiis prorsus liberare nos non possumus, quidni veram rationem et aequitatem in diiudicandis ac puniendis aliorum erroribus delictisque sequimur?» — *tepidumque*] «atque ob id neque ab hero nec a convivis iam gustandum, sed servis relinquendum.» — *Labeone*] Cum Scholiastis hunc pro M. Antistio Labeone, celebratissimo postea ICto, *incorrupta libertate* insigni Tac. Ann. 3, 75., habemus. Sane statuendum est hunc Labeonem etiamtunc iuvenem necdum doctrina ceterisque meritis clarum aliquando propter levius delictum servum adeo severe punisse, ut prope pro mente capto haberetur. — *inter sanos*] «apud sanos, a sanis.»

83—89. *Quanto*] «Quodsi insane tractare possumus vel servos, in quos, cum nostri sint, quidlibet prope licet, quanto maior est insania, si propter res nullius momenti capitali odio persequimur amicos!» — *hoc*] «quod statim dicam.» Est nominat., non ablativ. Seqq. sic ordinanda, ut vv. *paullum deliquit amicus* pro protasi

Sanos dicatur. Quanto hoc furiosius atque
Maius peccatum est! Paullum deliquit amicus:
Quod nisi concedas, habeare insuavis; acerbus
Odisti et fugis, ut Rusonem debitor aeris?
Qui nisi, cum tristes misero venere Kalendae,
Mercedem aut nummos unde unde extricat, amaras
Porrecto iugulo historias captivus ut audit.
Comminxit lectum potus mensave catillum
Euandri manibus tritum deiecit; ob hanc rem,
Aut positum ante mea quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens, minus hoc iucundus amicus
Sit mihi? Quid faciam, si furtum fecerit, aut si
Prodiderit commissa fide sponsumve negarit?

v. 91. Al. *tortum*, al. *sculptum* e falso gloss.

habeantur: «ubi p. d. a.», vv. *quod* - - *insuavis* (quod nisi condones et ignoscas, merito te omnes nominabunt intractabilem et morosum:) pro parenthesi, *acerbus* cet. pro apodosi. — *Rusonem*] «Octavius Ruso acerbus fenerator esse traditur; idem scriptor historiarum. Porphyr. — (Cognomen Ruso fuit Octaviorum, Calvisiorum, Occiorum.) Is igitur invitabat debitores, ad audiendas suas historias; qui cum solvendo non essent, quasi coacti erant tristi recitationi adesse, ne illum offenderent. — *Kalendae*] Cfr. Epod. 2. in fine. — *Mercedem*] «usuras aut sortem.» — *undeunde*] pro «undecunque.» — *Porrecto iugulo*] quasi captivi, quibus caput truncaturus est victor. — *historias*] Hoc significat, Rusonem pessimum scriptorem historicum suae aetatis fuisse. — *audit*] Recitandi morem induxerat Asinius Pollio.

91—95. *Euandri*] «quo cum quotidie usus sit iam priscus ille rex Euander, stupendae antiquitatis et propterea maximi pretii tibi videtur.» Ipsâ tam festivâ hyperbolâ ridet absurdum antiquitatis studium prorsus ut Sat. 2, 3, 20: *olim nam quaerere amabam, Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus aere*: et Martialis 8, 6: *Hoc cratere ferox commisit proelia Rhoecus Cum Lapithis: pugnae debile cernis opus; Hi duo longaevo censentur Nestore fundi: Pollice de Pylio trita columba nitet.* — *mea in parte*] «ad me conversa, ex qua me altile illud tollere par erat.» — *fide* antiquior forma pro *fidei*.

Quis paria esse fere placuit peccata, laborant,
Cum ventum ad verum est: sensus moresque repugnant
Atque ipsa utilitas, iusti prope mater et aequi.
Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus;
Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
Nominaque invenere; dehinc absistere bello,
Oppida coeperunt munire et ponere leges,
Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.
Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Causa, sed ignotis perierunt mortibus illi,
Quos venerem incertam rapientes more ferarum

96 — 98. *Quis paria*] Stoicos irridet ideo, quia haec eorum doctrina omnia peccata esse paria eorum sectatores in diiudicandis aliorum delictis severiores reddere solebat. Stoica igitur doctrina quantopere naturae humanae repugnet, Epicureorum sententiam opponendo demonstrat. — *fere*] nos: *im Ganzen genommen.* — *laborant*] «ipsi non sine quadam molestia sentiunt quam contraria sit vero.» — *verum*] *τὴν οὐσίαν τῶν πραγμάτων. die Wirklichkeit.* — *sensus*] «communis hominum.» Aliis videtur plur. — *iusti*] «quae quasi mater, id est, fons atque origo iusti recte dici potest.»

99 — 104. *Cum prorepserunt*] Loci similes de primo hominum statu sunt Critiae Bach. p. 56., Moschionis apud Stob. E. Ph. I. p. 240. H. Lucret. 5, 788. Vitruv. 2, 1. — *primis - terris*] «*nova tellure*» Lucret. l. l. — *animalia*] de hominibus in primis loquitur. — *Mutum*] «sine lingua articulatim distincta et ad res notandas apta.» Sic *mutae bestiae* Cic. de Finn. 1, 21. — *pecus*] «brutorum instar ratione carentes.» — *glandem*] Virg. Ge. 1, 8: (Liberi et Cereris) *munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista.* Vitruv. l. l.: *Homines veteri more ut ferae in silvis et speluncis et nemoribus nascebantur ciboque agresti vescendo vitam exigebant.* — *usus*] «indigentia.» Schol. — *verba - - nominaque*] Inverso ordine Graeci *ὀνόματα καὶ ῥήματα*, omnes orationis partes his complexi. — *voces*] «certum sensum singulis vocibus ac verbis attribuerunt.»

107 — 110. *cunnus*] plebeium

**Viribus editior caedebat, ut in grege taurus.**
**Iura inventa metu iniusti fateare necesse est,**
**Tempora si fastosque velis evolvere mundi.**
**Nec natura potest iusto secernere iniquum,**
**Dividit ut bona diversis, fugienda petendis;**
**Nec vincet ratio hoc, tantumdem ut peccet idemque**
**Qui teneros caules alieni fregerit horti,**
**Et qui nocturnus sacra divum legerit. Adsit**
**Regula, peccatis quae poenas irroget aequas;**
**Ne scutica dignum horribili sectere flagello.**
**Nam, ut ferula caedas meritum maiora subire**
**Verbera, non vereor, cum dicas esse pares res**
**Furta latrociniis et magnis parva minaeris**
**Falce recisurum simili te, si tibi regnum**

et mimicum vocabulum pro «muliere.» «Raptus mulieris fuit belli causa foedissima atque indigna vel ante tempora Troiana.» — *incertam*] «venere sine connubio stabili cupide utentes.» — *editior*] «eminentior.» Videtur dictum sine exemplo pro «superiore.»

111—119. *Iura inventa metu*] Contra Stoici: τὸ δίκαιόν φασι φύσει εἶναι καὶ μὴ θέσει. Stob. E. Ph. 2, 7, p. 184. H. Ex doctrina vero Sophistarum Epicurique nihil iustum aut iniustum est natura, sed legibus ac moribus; contra naturale est discrimen inter bona et mala, et suopte instinctu homo ducitur ad illa appetenda, haec fugienda. — *Nec vincet ratio*] οὐδὲ αἱρήσει ὁ λόγος. «Nunquam Stoicorum ratio evincet, firmiter nobis persuadebit verum esse istud praeceptum.» — *caules*] brassicam. «*Frangere flores* non memini legisse.» BENTL. Recte tamen dicitur de *caulibus*, ut de calamis et cannis. — *sacra legerit*] dictum ut *sacrilegus*. Lucilius apud Non. 4, 271: *omnia viscatis manibus leget*. — *scutica* a σκῦτος, corium, et *ferula*, quibus puniebantur pueri, a Martiale 10, 62, 10. dicuntur *sceptra paedagogorum*: *scutica*, *habena*, *loris* etiam servi propter leviora delicta, ob graviora *flagello* cum aculeis ferreis caedebantur. — *sectere*] *sectari* h. l. insequi, urgere, διώκειν.

120—123. *Nam ut cadas — non vereor*] Σολοικοφανὲς hoc manifesto significat: «Certus sum, te pro tua severitate nequaquam caesurum ferula dumtaxat eum, qui graviore poena dignus sit; immo eum hac ipsa semper afficies, flagello strenue usurus,» —

**Permittant homines. Si dives, qui sapiens est,**
**Et sutor bonus et solus formosus et est rex;**
**Cur optas quod habes? Non nosti, quid pater, inquit,**
**Chrysippus dicat: Sapiens crepidas sibi nunquam**
**Nec soleas fecit, sutor tamen est sapiens. Qui?**
**Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque**
**Optimus est modulator; ut Alfenus vafer, omni**
**Abiecto instrumento artis clausaque taberna,**
**Sutor erat, sapiens operis sic optimus omnis**
**Est opifex solus, sic rex. Vellunt tibi barbam**
**Lascivi pueri; quos tu nisi fuste coërces,**
**Urgeris turba circum te stante miserque**

v. 132. *Tonsor erat* e C1d. Bland. a pr. m. Bentl.

*magnis*] iunge cum v. *simili:* «et parva mineris simili te falce recisurum (exterminaturum) atque magna.» — *regnum*] Arripit hoc voc., ut derideat Stoicos, quemadmodum fecit Epp. 1, 1, 106. Cic. Acad. 2, 44: «Quid opus est illa condicione, *si tibi regnum* cet., cum ex ista tua doctrina *μόνον εἶναι τὸν σοφὸν βασιλέα καὶ βασιλικὸν, τῶν δὲ φαύλων μηδένα* (Stob. E. Ph. 2, 7. p. 222.) hoc ipsum regnum iamiam habeas?» Lucilius apud Porphyr.: *In mundo sapiens haec omnia habebit: Formosus, dives, liber, rex solu' vocetur.*

126—129. *pater*] Etsi Stoa proprie a Zenone condita erat, tamen dicebant: *εἰ μὴ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν Στοά.* Diog. Laërt. 7, 183. — *crepidas*] Graecorum. Persius 1, 127. — *Hermogenes*] Tigellius Hermogenes tunc vivens, diversus utique a Tigellio Sardo.

130. 131. *Alfenus*] «Urbane satis Alfenum Varum Cremonensem deridet, qui abiecta sutrina, quam in municipio suo exercuerat, Romam venit magistroque usus Ser. Sulpicio Rufo iurisconsulto ad tantam pervenit scientiam, ut consulatum gereret et publico funere efferretur.» Acron. Vera scriptura videtur *Alfenius*, ita tamen, ut, quasi esset *Alfenjus*, h. l. trisyllabum maneat. Certe *P. ALFENIVS* cons. suff. a. u. c. 755. est in Inscript. — *vafer*] aptum ICti *ἐπίθετον* ut Sat. 2, 2, 131. *vafri iuris.* — *ante*] non de mortuo, sed antequam iureconsultus factus esset. — *instrumenta*] scalpra et formas. Sat. 2, 3, 106.

134—142. *Lascivi pueri*] «quorum petulantiam provocat ridicula tua declamatio et gesticulatio.» — *barbam*] cum abolla insigne hu-

**Rumperis et latras, magnorum maxime regum.**
**Ne longum faciam: dum tu quadrante lavatum**
**Rex ibis neque te quisquam stipator ineptum**
**Praeter Crispinum sectabitur, et mihi dulces**
**Ignoscent, si quid peccaro stultus, amici;**
**Inque vicem illorum patiar delicta libenter,**
**Privatusque magis vivam te rege beatus.**

---

# SATIRA IV.

**Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poëtae**
**Atque alii quorum comoedia prisca virorum est,**

iusmodi Stoicorum semicynicorum. — *rumperis*] clamitans. Cic. ad Fam. 7, 1: *Dirupi paene me in iudicio Galli.* — *Quadrantem* in balneis publicis homines tenuiores pendebant balneatori. — *stipator*] «velut satelles et assecla.» Vv. *neque te* cet. iunge cum protasi *dum;* in apodosi autem sibi respondent *et - que - que.* «Dum tu, Stoice, propter ipsam morositatem in iudicando ab omnibus derelictus manes, ego naturae humanae morem gerens fruor sorte longe feliciore; etenim amicos habeo in me aeque indulgentes et comes atque ego in illos sum.»

IV. Octoginta circiter ante Horatium annis Lucilius, veteri illi Ennii satirae formam prorsus novam dederat, cum suae aetatis vitam moresque salse describeret. Post Lucilium nemo in hoc genere cum laude elaboravit, frustra id experto P. Terentio Varrone Atacino (Sat. 1, 10, 46.), donec Horatius exsisteret novus satiricae poësis auctor, sed tempore a Luciliana aetate multum diverso. Non igitur mirum nobis videri potest ab aliis ea aetate nativam Horatianae satirae simplicitatem et gratam sermonis negligentiam prae illa magis artificiosa carminum pangendorum ratione fastiditam esse, ab aliis poëtam ut acerbum, lividum, malitiosum esse vituperatum. Iam contra hos sinistros rumores et prava iudicia ut se defenderet, hanc satiram conscripsit. Heindorf et Zell. (Scripta videtur Kirchnero a. u. c. 722.)

1 — 5. *Eupolis*] Quintil. 10, 1, 65: *Antiqua comoedia - - facundissimae libertatis est et insectandis vitiis praecipua. - - Plures eius auctores: Aristophanes tamen et Eupolis Cratinusque praecipui.* Quanti Horatius fecerit Eupolin, colliges ex Sat. 2, 3, 12. — *prisca*] Critici

**Si quis erat dignus describi, quod malus ac fur,**
**Quod moechus foret aut sicarius aut alioqui**
**Famosus, multa cum libertate notabant.**
**Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus,**
**Mutatis tantum pedibus numerisque; facetus,**
**Emunctae naris, durus componere versus.**
**Nam fuit hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,**
**Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno.**
**Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles;**
**Garrulus atque piger scribendi ferre laborem,**

v. 3. *aut fur* Lamb. Fea.

Alexandrini, ut notum est, distinxerant comoediam antiquam (ἀρχαίαν), quae desiit in Aristophane, mediam, novam, cuius praecipui auctores Menander, Diphilus, Philemo. Pro vulgari: « atque alii antiquae comoediae auctores, » veluti Epicharmus, Pherecrates, Plato, itidem in canonem criticum recepti ab Alexandrinis. Cfr. Sat. 1, 10, 16. — *describi*] *describere* pr. accurate alicuius formam aut mores exprimere, unde *descriptio* χαρακτήρ, sensu rhetorico, Cic. Top. 22. — *malus*] Cic. Phil. 14, 3: *Testamenta, credo, subiiciunt aut eiiciunt vicinos aut adolescentulos circumscribunt; his enim vitiis affectos malos et audaces appellare solet consuetudo.* Est igitur homo fraudulentus, (*ein Schelm, Schurke*) ac (et propterea quidem), si occasio oblata est, *fur*. — *alioqui Famosus*] veluti falsarius, ῥίψασπις, vafer sophista, malus poëta, homo turbidus ac factiosus, ut Cleon et Hyperbolus.

6—12. *Hinc omnis*] Io. Laurentius Lydus de magistr. R. R. 1, 41: Ῥίνδων ἑξαμέτροις ἔγραψε πρῶτος κωμῳδίαν· ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος, ἠρωϊκοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησε. Μεθ' ὃν καὶ τοὺς μετ' αὐτὸν, οὓς καλοῦσι Ῥωμαῖοι σατυρικούς, οἱ νεώτεροι τὸν Κρατῖνου καὶ Εὐπόλιδος χαρακτῆρα ζηλώσαντες, τοῖς μὲν Ῥίνδωνος μέτροις, τοῖς δὲ τῶν μνημονευθέντων διασυρμοῖς χρησάμενοι, τὴν σατυρικὴν ἐκράτυναν κωμῳδίαν. — *pendet*] quatenus genere ceteroqui diverso imitatus est comoediam antiquam in eo certe, quod homines etiamtunc viventes et honoribus usos nominatim descripsit atque ridiculos reddidit. — *facetus*] *Perurbanum* vocat Cicero et *vernaculam festivitatem* ei tribuit ad Fam. 9, 15. — *Emunctae naris*] « qui facile odoraretur et acute animadverteret aequalium suorum vitia. » Opponitur homo *obesae naris*. — *dictabat*] puero a manu, ut solebant antiqui.

Scribendi recte: nam ut multum, nil moror. Ecce,
Crispinus minimo me provocat: Accipe, si vis,
Accipiam tabulas; detur nobis locus, hora,
Custodes; videamus uter plus scribere possit.
Di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli
Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis.
At tu conclusas hircinis follibus auras,
Usque laborantes, dum ferrum molliat ignis,
Ut mavis, imitare. Beatus Fannius ultro

v. 14. *nummo* B. coni. v. 15. *Accipe iam* Codd. aliq. v. 18. *loquentem* Lamb. Bentl.

*stans pede in uno*] «tamquam ludibundus;» imago sumpta vel a pueris sic inter se ludentibus vel a circulatoribus, qui popello monstrant, quamdiu sic se sustinere possint. — *Cum flueret lutulentus*] «Propterea quod multa diceret negligenter atque inordinate, pro lubitu Graecis etiam verbis et nimis plebeiis usus, adeo ut ipse doctissimos inter aequales iudices habere nollet (Plin. H. N. Praef. §. 7.), erant sane haud pauca, quae ipsius causa deleta velles; ipse autem lima usus non erat.» Sic explicandus item locus Sat. 1, 10, 50. et Quintil. 10, 1, 93. — *piger-ferre*] Nota constructio Graeca, *νωθρὸς φέρειν*. Od. 4, 14, 22: *impiger vexare*. — *laborem*] et meditationis et limae.

14—19. *Crispinus*] V. Sat. 1, 1. fin. — *minimo*] pretio, *um eine Kleinigkeit*. «Minimo provocare dicuntur ii, qui in restipulatione plus ipsi promittunt, quam exigunt ab adversario.» Schol. Crispinus igitur victoriae certus, si sponsione vincatur, longe plus nummorum se Horatio daturum promittit, quam ab ipso exacturus sit, si inferior evadat. «Asse, inquit, vel quinario vel denario tunc contentus ero.» Ceterum Bentleii coni. *nummo* speciosam esse nunquam equidem negabo, cum referat sermonem formularum *nummo addicere* (Sat. 2, 5, 110.) cet. — *perpauca loquentis*] «taciturni, non garruli.» Schol. Quodsi scripsisset *loquentem*, minus apte semet ipsum velut distraheret a proprio animo. Animus autem auctor est sermonis vel parci vel copiosi. — *conclusas*] Verbosum ac turgidum genus scribendi significat, ipso versus sono follis sibilum crepitumque imitatus.

21—24. *Beatus*] «stulte sibi ipse placens atque immortalitatem animo quasi praecipiens.» — *Fannius*] Horatii obtrectator («poëta loquacissimus et ineptissimus.» Comm. Cruq.) notus praeterea ut *παράσιτος* Tigellii Hermogenis ex Sat. 1, 10, 80. post hanc scri-

**Delatis capsis et imagine; cum mea nemo**
**Scripta legat volgo recitare timentis ob hanc rem,**
**Quod sunt quos genus hoc minime iuvat, utpote plures**
**Culpari dignos. Quemvis media erue turba:**
**Aut ob avaritiam aut misera ambitione laborat.**
**Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum;**
**Hunc capit argenti splendor; stupet Albius aere;**
**Hic mutat merces surgente a sole ad eum quo**
**Vespertina tepet regio; quin per mala praeceps**
**Fertur, uti pulvis collectus turbine, ne quid**
**Summa deperdat metuens aut ampliet ut rem.**
**Omnes hi metuunt versus, odere poëtas.**

v. 25. *eripe* Codd. aliq. *elige* ex aliis Codd. B. *arripe* Bentl. susp. v. 26. *ab avaritia* e C2dd. Bentl. Mein. Ibid. *miser* Codd. aliq. v. 33. *poëtam* Bentl. coni.

pta. Nec negandum erat Horatii Fannium mira vanitate inflatum libros suos et imaginem ultro detulisse in bibliothecam ab Asinio Pollione ut ait Plinius 7, 30. *publicatam* a. u. c. 716. in qua tunc, cum conderetur, *M. Terentii Varronis unius viventis posita imago erat.* Fieri utique illud potuit, si satira haec scripta est a. u. c. 722. vel duobus tribusve ante annis. — *mea - - timentis*] Eadem constructio satis frequens. Catull. 66, 51: *Abiunctae paullo ante comae mea fata sorores Lugebant.* Ovid. Her. 5. 45: *nostros vidisti flentis ocellos.* — *Culpari dignos*] per attractionem pro: «quippe cum plures culpari digni sint.»

25. 26. *erue*] Sic Vatinius apud Cic. ad Fam. 5, 9: *profecto tibi illum* (fugitivum) *reperiam, nisi si in Delmatiam aufugerit, et inde tamen aliquando eruam.* Turba *obruit* singulos; ex hac igitur *erue, greife heraus,* quemvis. — *ob avaritiam*] Etsi non dicitur *laborare ob morbum*, tamen hic facillimum est zeugma; «aut ob avaritiam miser est aut misera ambitione laborat.» Sic Sal. Iug. 22: *ob easdem artis a Micipsa, non penuria liberorum - - adoptatum esse.* Liv. 38, 39: *non tam ob recentia ulla merita quam originum memoria.* Tacit. Hist. 2. 50: *non noxa neque ob metum.* —

28—37. *argenti*] facti, caelati. — *stupet*] «insano studio quaerit vasa Corinthiaca.» — *Albius*] homo ignotus, certe non Tibullus, ut opinatus est Baxterus. Cfr. v. 109. — *aere*] Eadem constr. Virg. Ge. 2, 508: *Hic stupet attonitus Rostris.* — *collectus*] *aufgewirbelt*, ut Od. 1, 1, 4: *pulverem collegisse.* — *ampliet ut rem*] Non est *ut* finale,

**Faenum habet in cornu; longe fuge: dummodo risum**
**Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico;**
**Et, quodcunque semel chartis illeverit, omnes**
**Gestiet a furno redeuntes scire lacuque**
**Et pueros et anus. Agedum, pauca accipe contra.**
**Primum ego me illorum, dederim quibus esse poëtis,**
**Excerpam numero: neque enim concludere versum**
**Dixeris esse satis; neque, si qui scribat uti nos**
**Sermoni propiora, putes hunc esse poëtam.**
**Ingenium cui sit, cui mens divinior atque os**
**Magna sonaturum, des nominis huius honorem.**
**Idcirco quidam, comoedia necne poëma**
**Esset, quaesivere; quod acer spiritus ac vis**

v. 39. *poëtis* Acron, Libri *poëtas*.

sed iunge cum v. *metuens: fürchtend, dass sein Gut nicht sich vermehre.* — *poëtas*] Festive nomen generale posuit pro iis, qui proprie *τῶν βαναύσων* odio exposuti sunt, satirarum scriptoribus. Scilicet ex illorum opinione omnes, qui versus faciunt, etiam satiras componere adeoque aliorum famam laedere possunt. — *Faenum*] «Quando feriunt boves, eorum in cornibus ligatur faenum.» Acr. — *Excutiat sibi*] dativus commodi: «dummodo dictis suis mordacibus lectores vehementer ridere cogat;» — *illeverit*] contemptim de negligentia in scribendo. — *a furno*] a pistrino et aquae receptaculis, quorum DCC. in Urbe fecit M. Agrippa. Plin. 36, 15. Gaudet igitur plausu hominum infimae sortis.

39—48. *Primum*] Non sequitur *deinde*; exempla huius consuetudinis in oratione incitatiore habet Goerenz ad Cic. de Legg. 3, 9. — *Excerpam*] pro «excipiam, eximam» etiam in prosa or. Cic. de Or. 2, 11: *non enim, si est facilius, eo de numero - est excerpendum.* — *concludere*] Sat. 1, 10, 59: *pedibus quid claudere senis.* — *Sermoni*] quotidiano. — *sonaturum*] Sic apud Cic. semper *praestaturus.* — *quidam*] Grammatici Alexandrini. Cic. Orat. 20: *Video visum esse nonnullis Platonis et Democriti locutionem, etsi absit a versu, tamen quod incitatius feratur et clarissimis verborum luminibus utatur, potius poëma putandum quam comicorum poëtarum, apud quos, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis.* — *comoedia*] utique nova, Menandri et Philemonis. — *acer spi-*

Nec verbis nec rebus inest, nisi quod pede certo
Differt sermoni, sermo merus. At pater ardens
Saevit, quod meretrice nepos insanus amica
Filius uxorem grandi cum dote recuset,
Ebrius et, magnum quod dedecus, ambulet ante
Noctem cum facibus. Numquid Pomponius istis
Audiret leviora, pater si viveret? Ergo
Non satis est puris versum perscribere verbis,
Quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem
Quo personatus pacto pater. His, ego quae nunc,
Olim quae scripsit Lucilius, eripias si
Tempora certa modosque et, quod prius ordine verbum est,
Posterius facias, praeponens ultima primis,
Non, ut si solvas „Postquam Discordia tetra
Belli ferratos postes portasque refregit,"
Invenias etiam disiecti membra poëtae.
Hactenus haec: alias, iustum sit necne poëma,
Nunc illud tantum quaeram, meritone tibi sit

*ritus*] *feuriger Aufschwung.* Kirchn. — *merus*] «quod igitur comoedia sermo merus est, nisi quod metro ab hoc differt.»

48—62. *At pater*] Fingit sibi adversarium, quem refutat v. 52. — *Saevit*] «magna cum ira reprehendit.» — *ante noctem*] «comissatur iam per crepusculum.» — *Pomponius*] adolescens luxuriosus, alioquin ignotus, quem sic *ἐν παρόδῳ* acriter vellicat. — *puris*] «simplicibus, sine figuris et magno sono.» — *personatus*] comicus. — *Tempora - modosque*] «pedes et pedum seriem rhythmicam cum caesuris legitimis.» — *Postquam*] Versus Ennii testibus Schol. et Serv. ad Aen. 7, 622. — *Belli*] imago desumpta a Iano aperto. — *etiam disiecti*] «Non in meis versibus solutis invenias membra poëtae quamvis disiecti, ut invenies in versibus his Ennianis verba et imagines poëticas, licet sic transponas.

65—70. *Sulcius - - et Caprius*] «Hi acerrimi delatores (id est, quadruplatores) et causidici fuisse traduntur, et ideo *male*, valde *rauci*, quod in contentione iudiciorum altissima voce clamarent (as-

Suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer
Ambulat et Caprius, rauci male cumque libellis,
Magnus uterque timor latronibus; at bene si quis
Et vivat puris manibus, contemnat utrumque.
Ut sis tu similis Caeli Birrique latronum,
Non ego sum Capri neque Sulci: cur metuas me?
Nulla taberna meos habeat neque pila libellos,
Quis manus insudet volgi Hermogenisque Tigelli:
Nec recito cuiquam nisi amicis, idque coactus,
Non ubivis coramve quibuslibet. In medio qui
Scripta foro recitent, sunt multi quique lavantes;
Suave locus voci resonat conclusus. Inanes
Hoc iuvat, haud illud quaerentes, num sine sensu,
Tempore num faciant alieno. Laedere gaudes,
Inquit, et hoc studio pravus facis. Unde petitum
Hoc in me iacis? est auctor quis denique eorum,
Vixi cum quibus? Absentem qui rodit amicum,

v. 70. *sim* Codd. aliq. v. 73. *recitem quidquam* B. e Codd. v. 79. *Inquis* Codd. aliq. Fea.

sidueque accusarent.)» PORPHYR. — *libellis*] accusatoriis. — *contemnat*] «minime metuat.» — *Caeli Birrique*] «Caelius et Birrius fuerunt adolescentes perditi.» SCHOL.

71. 72. *pila*] Ante tabernas in porticibus collocatas librarii habebant *pilas*, columnas porticus sustinentes, quibus pilis indices librorum, quos in tabernis vendebant, affixi erant. A. P. 373. — *Hermogenisque Tigelli*] diversi utique a M. Tigellio Sardo, tunc mortuo.

74—80. *In medio*] «Probe novi esse, qui vel in medio foro, id est dempta hyperbola, coram maxima auditorum corona carmina recitent.» — *lavantes*] «in balneis, quia in loco fornicato suaviter resonat recitantis vox.» — *sensu*] communi. Sat. 1, 3, 66. — *Inquit*] adversarius aliquis, ὁ τυχών. — *studio*] «cum pravus sis, id est, propter malitiam, dedita opera atque assidue hoc facere soles eoque gaudes.» Hoc enim inest in v. *studio*, *mit Lust und Liebe*. — *est auctor quis*] non, ut Schol., «quis est auctor?» sed: «estne auctor aliquis eorum cet.?»

Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit; hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.
Saepe tribus lectis videas caenare quaternos,
E quibus unus amet quavis adspergere cunctos
Praeter eum, qui praebet aquam; post, hunc quoque potus,
Condita cum verax aperit praecordia Liber.
Hic tibi comis et urbanus liberque videtur,
Infesto nigris. Ego, si risi, quod ineptus
Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum,
Lividus et mordax videor tibi? Mentio si qua
De Capitolini furtis iniecta Petilli
Te coram fuerit, defendas, ut tuus est mos:
Me Capitolinus convictore usus amicoque
A puero est causaque mea permulta rogatus

v. 87. *imus* Fea e Codd. Ib. *avet* Codd. pleriquo.

82—88. *solutos*] γελωτοποιός, qui cachinnos movere studet. — *niger*] «hic est improbis moribus et perfido ingenio.» — *Romane*] «vir probe, ut decet esse Romanum.» — *Saepe tribus*] «Duodecim homines in triclinio; nam inde triclinium dictum est, sc. a tribus lectis.» Comm. Cr. — *quaternos*] Summus hic numerus erat apud homines elegantiores. — *unus*] «si non plures, unus saltem scurra, quem dives mensae adhibere solet, ut habeat, cuius iocis se convivasque delectet.» — *amet*] non *avet*, requiritur a totius clausulae constructione, nec subsistit homo mordax in sola cupiditate alios carpendi. — *quavis*] «quavis ratione; modo festive, modo petulanter ac rustice;» pr. *nach jeglicher Richtung hin.* — *aspergere*] «salsis dictis carpere et vellicare.» — *qui praebet aquam*] festiva extenuatione pro convivatore, quasi vero nihil aliud praeberet nisi aquam partim ad pedes lavandos, partim et frigidam et calidam ad bibendum.

90—102. *liber*] παῤῥησιαστής. — *Infesto nigris*] «qui dicis te odisse malitiosos atque improbos.» — *Pastillos*] Versus repetitus ex Sat. 1, 2, 27. ante hanc edita. — *Capitolini*] «Fingit se loqui cum amico Petillii Capitolini, qui cum praeesset Capitolio, accusatus est, quod coronam Iovis Capitolini rapuisset, quare ipse sublatae co-

Fecit, et incolumis laetor quod vivit in urbe:
Sed tamen admiror, quo pacto iudicium illud
Fugerit. Hic nigrae succus loliginis, haec est
Aerugo mera; quod vitium procul afore chartis,
Atque animo prius, ut si quid promittere de me
Possum aliud vere, promitto. Liberius si
Dixero quid, si forte iocosius, hoc mihi iuris
Cum venia dabis: insuevit pater optimus hoc me,
Ut fugerem exemplis vitiorum quaeque notando.
Cum me hortaretur, parce, frugaliter atque
Viverem uti contentus eo quod mi ipse parasset:
Nonne vides, Albi ut male vivat filius utque
Barrus inops? magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit. A turpi meretricis amore
Cum deterreret: Scetani dissimilis sis.
Ne sequerer moechas, concessa cum venere uti

v. 100. *fucus* e Cld. Fea. v. 112. Al. *Sectani*.

ronae causam dixit et absolutus est a iudicibus in gratiam Octaviani Caesaris, cuius amicus erat.» Comm. Cruq. Cfr. Sat. 1, 10, 26. — *succus*] in prosa or. virus, sine imagine, malignitas ac livor. «Loligo genus est piscis marini succum habens nigrum et atramento similem.» Comm. Cruq. *Blackfisch*. — *Aerugo*] Sic Martial. 10, 33, 5: *viridi tinctos aerugine versus*, id est, maledicos. — *ut si quid*] Constructione contracta ex 1) «ut aliud quid vere promittere de me possum:» 2) «si quid aliud - - promittere possum.»

105. *Insuevit*] Exemplis Bentleianis adde Tac. Ann. 2, 52: *ut lectos viros - - imperiis suescceret*. Construe: *Hoc me insuevit, ut fugerem vitiorum quaeque, ea vitia exemplis notando*, id est «assuefecit me, adolescentem exemplis monens, ut postea ipse in singulis hominibus notarem, quibus vitiis laborarent quaeque mala atque calamitates eos propterea consecutae essent, quibus exemplis deterritus eiusmodi vitia vitarem.»

109—123. *Albi*] supra v. 28. «Mira urbanitate, dum quasi ostendit, quomodo se pater optimus exemplis monere solitus esset, interea multos percutit.» Acr. — *Barrus*] homo ignotus. Cfr. Sat. 1, 7, 8. — — *concessa - venere*] meretricibus honestioribus ex more iuventutis Romanae. Opponitur huic ve-

Possem: Deprensi non bella est fama Treboni,
Aiebat. Sapiens, vitatu quidque petitu
Sit melius, causas reddet tibi: mi satis est, si
Traditum ab antiquis morem servare tuamque,
Dum custodis eges, vitam famamque tueri
Incolumem possum; simul ac duraverit aetas
Membra animumque tuum, nabis sine cortice. Sic me
Formabat puerum dictis, et sive iubebat,
Ut facerem quid, Habes auctorem, quo facias hoc:
Unum ex iudicibus selectis obiiciebat;
Sive vetabat, An hoc inhonestum et inutile factu
Necne sit, addubites, flagret rumore malo cum
Hic atque ille? Avidos vicinum funus ut aegros
Exanimat mortisque metu sibi parcere cogit;
Sic teneros animos aliena opprobria saepe
Absterrent vitiis. Ex hoc ego sanus ab illis,
Perniciem quaecunque ferunt, mediocribus et quis
Ignoscas, vitiis teneor; fortassis et istinc

neri v. 111. *turpis amor* meretricis famosae propter luxuriem ac rapacitatem. — *Treboni*] alioquin ignoti. — *duraverit*] «corroboraverit, confirmaverit.» — *sine cortice*] *Kork.* Plaut. Aulul. 4, 1, 9: *Quasi pueris, qui nare discunt, scirpea indiitur ratis, Qui laborent minus, facilius ut nent et moveant manus.* — *iudicibus selectis*] A praetore urbano ex lege Aurelia a. u. c. 684. CCCLX. ex senatoribus, equitibus et tribunis aerariis iudices rerum capitalium seligebantur.

124—143. *An hoc*] Construe: *An addubites*, («an possis vel aliquantulum dubitare») *hoc inhonestum sit necne?* — *Avidos*] «intemperantes.» Schol. — *Imprudens*] insciens, *λανθάνων ἑμαυτόν.* — *Illudo*] «quasi ludens conicio in chartas.» — *nolis*] «quod si forte huic ignoscere nolis (quod tamen te facturum spero:) pro certo veniet cet.» — *manus*] Festive fingit magnum Romae esse poëtarum quasi sodalicium et coniurationem, quae vel numero suo obtrectatores superare possit. Simul ridet studium versificandi, quo tunc quam plurimi etiam invita Minerva ducebantur. — *Iudaei*] Multi tum Iudaei in Urbe erant, turbidum hominum genus.

Largiter abstulerit longa aetas, liber amicus,
Consilium proprium; neque enim, cum lectulus aut me
Porticus excepit, desum mihi. Rectius hoc est.
Hoc faciens vivam melius. Sic dulcis amicis
Occurram. Hoc quidam non belle; numquid ego illi
Imprudens olim faciam simile? Haec ego mecum
Compressis agito labris; ubi quid datur oti,
Illudo chartis. Hoc est mediocribus illis
Ex vitiis unum; cui si concedere nolis,
Multa poëtarum veniet manus, auxilio quae
Sit mihi; nam multo plures sumus ac veluti te
Iudaei cogemus in hanc concedere turbam.

## SATIRA V.

Egressum magna me excepit Aricia Roma
Hospitio modico: rhetor comes Heliodorus,

v. 140. *nolis* B. coni. v. 141. *veniat* Codd. aliq. Kirchner.
v. 1. *accepit* B. e Codd.

Cic. pro Flacco 28. «Quemadmodum Iudaei multos ad suam superstitionem pertrahere proselytasque vel cogendo facere solent:» — *in hanc concedere turbam*] «te nobis aggregare eademque nobiscum sentire in iudicio praesertim de satiris faciendo.»

V. Lucilium hac satira aemulatur Horatius iter suum a Roma usque Brundisium describens, quod et ille in tertio libro fecit, primum a Roma Capuam usque et inde fretum Siciliense.» Porphyr. Refertur ad foedus Tarentinum a. u. c. 717. inter Octavianum et Antonium ictum, ubi Octaviae sedula intercessione effectum tandem est, ut pace reconciliata Antonius Caesari naves adversus Sex. Pompeium, Caesar Antonio milites ad Parthicum bellum commodaret, sibique invicem in quinquennium triumviratum prorogarent. Appian. B. C. 5, 93.

1—3. *Aricia*] oppidum Latii pone montem Albanum XVI. M. P. a Roma distans, notum propter Dianam Nemorensem ac fontem Egeriae. Fuit ad viam Appiam, qua Horatius iter fecit certe usque ad Beneventum. — *Hospitio modico*] exiguo, parvo. Opponuntur haec *magnae Romae*. — *Heliodo-*

Graecorum longe doctissimus; inde Forum Appi,
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.
Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Praecinctis unum: nimis est gravis Appia tardis.
Hic ego propter aquam, quod erat deterrima, ventri
Indico bellum, coenantes haud animo aequo
Exspectans comites. Iam nox inducere terris
Umbras et caelo diffundere signa parabat.
Tum pueri nautis, pueris convicia nautae
Ingerere. Huc appelle. Trecentos inseris; ohe
Iam satis est. Dum aes exigitur, dum mula ligatur,
Tota abit hora. Mali culices ranaeque palustres
Avertunt somnos. Absentem ut cantat amicam

v. 3. *linguae* Codd. aliq. v. 6. *minus* Codd. aliq. Meinecke. v. 7. *teterrima* e C1d. B.

*rus*] rhetor ignotus, — *Graecorum longe doctissimus*] Comis est hyperbole sermonis quotidiani, qua ut bearet Graeculum facile utique ab se impetrare poterát. — *Forum Appi*] oppidum ab Appio Claudio Caeco, qui viam Appiam muniit, sic nominatum, XX. M. P. distans ab Aricia.

5—8. *Hoc iter*] «id est, ab Urbe usque ad Forum Appii biduo venimus, cum velociores uno die soleant eo venire.» ACRON. — *altius praecinctis*] «εὐζωνοτέροις, celerius incedentibus ac strenuioribus.» — *nimis est gravis*] «nimis est molesta pigris, fortasse etiam propter silices polygonos, quibus strata erat, ac propterea nos primum iter ita divisimus, ut primo die Ariciae pernoctaremus.» — *Hic ego*] «Hodie in Foro Appii viatores propter aquam, quae ibi deterrima est, manere vitant. Dicit ergo, se ibi coenare noluisse, ne necesse haberet bibere.» PORPH. — *deterrima*] «minus pura ac mali saporis.» — *haud animo aequo*] «impatienter atque illis propemodum invidens.»

12—19. *Huc appelle*] «Domini ad fossae ripam descenderant, servi sarcinas eodem deportarant; hinc puer aliquis ad locum, ubi eas custodiebat, appellere iubet nautam, ut in lintre commode reponi possint; hic cum appellit, non sine taedio maiorem quam pro naulo, quod depactus erat, esse numerum eorum videt, qui navem conscensuri erant, dominos puta cum permultis pueris, unde sto-

Multa prolutus vappa nauta atque viator
Certatim, tandem fessus dormire viator
Incipit, ac missae pastum retinacula mulae
Nauta piger saxo religat stertitque supinus.
Iamque dies aderat, nil cum procedere lintrem
Sentimus; donec cerebrosus prosilit unus
Ac mulae nautaeque caput lumbosque saligno
Fuste dolat: quarta vix demum exponimur hora.
Ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha.
Milia tum pransi tria repimus atque subimus
Impositum saxis late candentibus Anxur.
Huc venturus erat Maecenas optimus atque
Cocceius, missi magnis de rebus uterque

v. 24. *lavimur* cum N. Heinsio B. v. 27. *Maecenas, optimus atque* B. e Codd.

machose *Trecentos inseris*, inquit, cet.» — *trecentos*] ut *sexcenti* de magno numero. — *mula*] mula remulco alligatur lintri. — *ut cantat*] «dum cantilenas amatorias canunt temulenti et nauta et mulio;» hic enim est h. l. *viator*, qui per viam Appiam incedens fune trahit lintrem. — *prolutus*] ut βεβρεγμένος, madidus, uvidus, pro bene poto. — *Nauta piger*] «Cum hunc quoque somnus obrepit, funem mulae detractum saxo ex ripa exstanti religat sicque pastum interea, dum uterque crapulam edormiat, iumentum dimittit.»

21—28. *cerebrosus*] homo iracundus atque irritabilis, *ein Hitzkopf*. — *dolat*] «percutit, caedit,» ut nos aliis tropis *durchdreschen*, *durchgerben*. — *quarta*] diei hora, respondet circiter decimae nostrae. — *lavimus*] Horatius semper usurpat formam antiquiorem *lavere*. «*Lavimus* autem et religionis causa et prandium sumpturi.» — *Feronia*] antiqua dea Italica, postea coniuncta cum Iunone, unde in Inscriptt. vocatur *Iuno Feronia*. Templum celebre habebat III. mil. pass. a Tarracina. — *repimus*] «Quia illis temporibus adhuc Tarracinensis urbs in altissimo monte erat; inde postea in aequiorem locum deposita est, ut non solum sint adhuc vestigia aedificiorum in monte sed et murorum.» Porph. — *Anxur*] nomen Volscum Tarracinae ad ostium Ufentis. A Foro Appii distabat XX. mil. pass. — *Cocceius*] Est

**Legati, aversos soliti componere amicos.**
**Hic oculis ego nigra meis collyria lippus**
**Illinere. Interea Maecenas advenit atque**
**Cocceius Capitoque simul Fonteius, ad unguem**
**Factus homo, Antoni non ut magis alter amicus.**
**Fundos Aufidio Lusco praetore libenter**
**Linquimus, insani ridentes praemia scribae,**
**Praetextam et latum clavum prunaeque batillum.**
**In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus,**
**Murena praebente domum, Capitone culinam.**
**Postera lux oritur multo gratissima: namque**
**Plotius et Varius Sinuessae Virgiliusque**

M. Cocceius M. F. Nerva, consul a. u. c. 718.

32. 33. *Fonteius*] Est C. Fonteius Capito, cuius exstat nummus cum hac inscriptione: *C. FONTEIVS CAPITO PROPR.* = *M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. III. VIR. R. P. C.* Fuit Antonii in Asia legatus et consul suffectus a. u. c. 721. — *ad unguem*] «elegans ac politus.» «Translatio a marmorariis, qui iuncturas marmorum tum demum perfectas ducunt, si unguis superductus non offendatur. Unde iam, quaecunque perfectissima esse volumus significare, ad unguem facta dicimus.» Porph. Cfr. A. P. 294. — *non ut magis alter*] «quemadmodum non alter magis amicus est;»

34—36. *Fundos*] hodie *Fondi*, Latii oppidum, distabat a Tarracina XII. M. P. — *Aufidio Lusco praetore*] Aufidius homo ridiculo vanus, prius scriba, tunc praefectus, nomen praetoris sibi arrogaverat, ut praetores re vera in nonnullis municipiis summi magistratus vocabantur, velut Aletrii, Capenae, Puteolis. Itaque ille antequam Maecenatem eiusque comites conveniret, edictum praemiserat cum praescriptione *AVFIDIO LVSCO PRAETORE*, quo honorifice eos excipiebat, vel per accensum eadem formula eos se conventurum esse nuntiarat. — *libenter Linquimus*] «propter molestiam, quam nobis insulsi hominis prava sedulitas creasset, si diutius ibi morari necesse fuisset.» — *praemia*] insignia honoris, quae quasi praemia pristinorum suorum meritorum ostentabat. — *latum clavum*] senatorium habitum, quo Fundis uti poterat, ubi nemo eum in ordinem cogebat, non item Romae; magis ridiculum id etiam coram Maecenate, qui angusto clavo contentus erat. — *batillum*] «Videtur hic *batillus* s. *batillum* foculus sa-

**Occurrunt, animae, quales neque candidiores**
**Terra tulit neque quis me sit devinctior alter.**
**O qui complexus et gaudia quanta fuerunt!**
**Nil ego contulerim iucundo sanus amico.**
**Proxima Campano ponti quae villula, tectum**
**Praebuit, et parochi quae debent ligna salemque.**
**Hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt.**
**Lusum it Maecenas, dormitum ego Virgiliusque;**
**Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.**
**Hinc nos Coccei recipit plenissima villa,**
**Quae super est Caudi cauponas. Nunc mihi paucis**
**Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirrhi,**

crificandi causa praelatus huic magistratui, cum nihil rei maioris agere solerent sine sacrificio. GESN.

37 — 44. *Mamurrarum urbe*] Festiva *εἰρωνεία* Formias (hodie *Molo di Gaeta*) XII. M. P. a Fundis distantes designat a Mamurra, equite Romano, praefecto fabrum Julii Caesaris in Gallia, qui ingentem vim pecuniae congesserat. Illo quo Horatius scripsit tempore videtur Romae senator quidem, sed in luxuria et omnium bonorum contemptu vixisse. — *Murena*] Est L. Licinius Terentius Varro Murena, frater Terentiae Maecenatis, ad quem est Od. 2, 10. — *Plotius*] Est M. Plotius Tucca (cfr. Sat. 1, 10, 81.) criticus potius quam poëta, qui postea una cum L. Vario tragico (Od. 1, 6.) ex mandatu Virgilii Aeneida edidit. — *Sinuessae*] ultimum in Appia Latii oppidum, XVIII. M. P. distans a Formis. — *quales*] eadem constructione, qua usus est Epod. 5, 59., pro «animae tales, qualibus» cet. — *tulit*] «protulit, genuit.» — *sanus*] «quamdiu sana mente sum.» PORPH.

45 — 51. *Campano*] Pons Campanus Savoni flumini impositus III. M. P. a Sinuessa. — *parochi*] homines, qui publico sumptu magistratibus ac legatis iter facientibus ministrabant ea utensilia, quae sine maxima molestia ab ipsis portari non poterant, ut ligna, salem, faenum. — *Hinc*] «Hinc postero die profecti cum essemus, *tempore*, satis tempestive (*bei Zeiten*) Capuam, quae a Ponte Campano distabat XXII. M. P., pervenimus.» — *lippis*] Construe: *namque inimicum lippis et crudis ludere pila*; quies contra et abstinentia utriusque mali optima sunt remedia. — *Caudi*] Caudium, Hirpinorum oppidum, notum clade Romanorum in Furculis Caudinis, XXI. M. P. distabat a Capua.

52 — 55. *Sarmenti*] Scurrae hi

Musa, velim memores, et quo patre natus uterque
Contulerit lites. Messi clarum genus Osci;
Sarmenti domina exstat: ab his maioribus orti
Ad pugnam venere. Prior Sarmentus: Equi te
Esse feri similem dico. Ridemus, et ipse
Messius: Accipio: caput et movet: O, tua cornu
Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres, cum
Sic mutilus minitaris? At illi foeda cicatrix
Setosam laevi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta iocatus,
Pastorem saltaret uti Cyclopa rogabat:
Nil illi larva aut tragicis opus esse cothurnis.
Multa Cicirrhus ad haec: Donasset iamne catenam
Ex voto Laribus, quaerebat? scriba quod esset,
Nihilo deterius dominae ius esse. Rogabat

v. 60. *miniteris* Bentl. e Codd.

in Maecenatis comitatu erant. Sarmentus servus fuerat M. Favonii, cuius, utpote inter proscriptos occisi, bonorum sectio ad Maecenatem venit, qui Sarmentum manumisit et scribam fecit. — *Messique Cicirrhi*] scurrae ceteroquin ignoti. Nomen ridiculi causa inditum, est *Κίκιῤῥος*, *ἀλεκτρυών*, *der Gackhahn*. — *Musa*] Est parodia festiva Homerici illius Iliad. *β*, 484: *Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι*. — *Osci*] nominat. plur. Videtur ridiculi aliquid inhaesisse huic denominationi vel propter Atellanarum personas *Bucconem* et *Maccum*. — *domina*] M. Favonii vidua vivit adhuc adeoque servus est ac sine patre.

58—64. *tua*] in pros. or.: «tuae cornu nisi foret exsectum fronti.» — *At illi*] «*Hic - at ille* apud poëtas, plurimum in extremis versibus, respondet Graecorum *ὁ μὲν — ὁ δὲ*. — *Campanum*] «Hoc enim quasi a natura Campanis fere omnibus inest, ut capitis temporibus magnae verrucae innascantur in modum cornuum, quas cum incidi faciunt, cicatrices in fronte manent quasi notae exsectorum cornuum. In hunc ergo *morbum*, id est, faciei vitium, quo Campani laborant, iocatur Sarmentus.» Comm. Cruq. Est primus elephantiasis gradus. — *Cyclopa*] «ut saltando Cyclopem, ferum Galateae amatorem, imitaretur ac referret.» — *larva*] Nusquam nisi hic pro *persona* reperiri videtur.

Denique, cur unquam fugisset, cui satis una
Farris libra foret, gracili sic tamque pusillo?
Prorsus iucunde coenam produximus illam.
Tendimus hinc recta Beneventum, ubi sedulus hospes
Paene macros arsit dum turdos versat in igni;
Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Volcano summum properabat lambere tectum.
Convivas avidos coenam servosque timentes
Tum rapere atque omnes restinguere velle videres.
Incipit ex illo montes Apulia notos
Ostentare mihi, quos torret Atabulus et quos
Nunquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici
Villa recepisset, lacrimoso non sine fumo,
Udos cum foliis ramos urente camino.
Hic ego mendacem stultissimus usque puellam

v. 70. *producimus* Bentl. e Codd.

65—70. *Donasset*] «Consecrassetne in signum libertatis acceptae catenam Laribus, ut ingenui pueri (sumpta virili toga) bullas et puellae pupas?» Fugitivi autem et ostiarii plerumque catenati. — *Nihilo*] bisyllabum, ut *vehemens* Epp. 2, 2, 120. — *una Farris libra*] Cum servorum demensum menstruum quaterni vel quini modii essent XXIV. librarum singuli, robustiores quaternas vel quinas libras farris in pane et pulte quotidie consumere poterant. — *Prorsus*] per se intelligendum: «in summa, uno verbo;» potius quam iungendum *prorsus iucunde*.

71. 72. *Beneventum*] Plin. H. N. 3, 16: *Hirpinorum colonia una Beneventum, auspicatius mutato nomine, quae quondam appellata Maleventum.* A Caudio distabat XII. M. P. — *hospes*] Construe: *Hospes paene arsit, dum versat turdos macros in igni.* «Cum propter ipsam nimiam sedulitatem minus cautus esset hospes, paene arsit eius domus, dum turdos, et eos quidem, id quod ridebamus, macros veribus transfixos assat.» Virg. Aen. 2, 311: *iam proximus ardet Ucalegon.*

78. 79. *Atabulus*] Est ventus ex Oriente flans, quem Apuli hodie *Altino* vocant. — *erepsemus*] forma sermonis quotidiani pro *erepsissemus*. — *Trivici*] «oppidi in fine Campaniae, quo vehicula iuncta accedere nequeunt; ergo Horatius ad villam devertit.» Acron.

Ad mediam noctem exspecto: somnus tamen aufert
Intentum veneri; tum immundo somnia visu
Nocturnam vestem maculant ventremque supinum.
Quattuor hinc rapimur viginti et milia rhedis,
Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est,
Signis perfacile est: venit vilissima rerum
Hic aqua; sed panis longe pulcherrimus, ultra
Callidus ut soleat humeris portare viator;
Nam Canusi lapidosus, aquae non ditior urnâ
Qui locus a forti Diomede est conditus olim.
Flentibus hinc Varius discedit maestus amicis.
Inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum
Carpentes iter et factum corruptius imbri.

v. 92. uncis inclusit Bentl.

In prosa or.: «nisi in Trivicano pernoctassemus.»

86 — 88. *rapimur*] «celerrime vehimur.» — *oppidulo*] «Equotuticum (s. rectius Equum tuticum) significat, cuius nomen hexametro versu complecti non potest. Hoc autem exemplo Lucilii. Nam in septima Satira sic ait: *Servorum est festus dies hic, Quem plane hexametro versu non dicere possis:* (Sigillaria.) Schol. Verus situs *Equi tutici* (id est, *Equi magni*) auctore Romanellio non est *Scutuccio* prope Asculum, sed *S. Eleuterio* s. *S. Liberatore* prope *Ariano*. — *perfacile est*] «designare»; quod eliciendum est ex v. *dicere*. — *vilissima rerum*] Plat. Euthyd. p. 304. B.: τὸ ὕδωρ εὐωνότατον.

91 — 95. *Canusi*] hodie *Canosa*, ad Aufidum in Daunia, LXXXIV. M. P. a Benevento distans. — *aquae*] Construe: *qui locus* (Canusium) *non* (una) *urnâ aquae ditior* (quam oppidulum v. 87.) *a forti Diomede est conditus*. — *locus - - conditus*] ut Graeci, χωρίον κτιζόμενον. — *hinc*] inde a Canusio, non, ut alii volunt, ab oppidulo ἀμέτρῳ. — *Carpentes*] «emensi»; quia viae singulae partes una post alteram pedibus veluti *carpuntur*, ut fit in lana et lino nendo.

97 — 99. *Bari*] Barium, hodie *Bari*, oppidum Apuliae Peucetiae, ad mare situm, a Rubis *(Ruvo)* distabat XXI. M. P. — *Gnatia*] forma popularis pro *Egnatia*, hodie *Monopoli*, a Bario distans XXXVII. M. P. — *Lymphis*] forma Latina pro Nymphis: hae fontium deae memorantur etiam in Inscriptt.

Postera tempestas melior, via peior ad usque
Bari moenia piscosi: dein Gnatia, Lymphis
Iratis exstructa, dedit risusque locosque,
Dum flamma sine tura liquescere limine sacro
Persuadere cupit. Credat Iudaeus Apella,
Non ego; namque deos didici securum agere aevum,
Nec, si quid miri faciat natura, deos id
Tristes ex alto caeli demittere tecto.
Brundusium longae finis chartaeque viaeque est.

# SATIRA VI.

Non quia, Maecenas, Lydorum quidquid Etruscos
Incoluit fines, nemo generosior est te,

v. 103. *templo* Wakefield.

meis Lat. N. 1637. — *flamma sine tura*] Plin. H. N. 2, 111: *In Salentino oppido Egnatia imposito ligno in saxum protinus flammam exsistere* (reperitur apud auctores.)

100—104. *Iudaeus Apella*] Bentleius in Ep. ad Mill. p. 520: «Iudaei habitabant trans Tiberim, et multo maximam partem erant libertini, *Apella* autem libertino rum est nomen, satis frequens in Inscriptt. vetustis. Itaque *Credat Iudaeus Apella*, quasi tu dicas, «credat superstitiosus aliquis Iudaeus Transtiberinus.» — *didici*] ab Epicuro. Respicit Lucretianum illud 5, 83. et 6, 57: *Nam bene qui didicere deos securum agere aevum.* — *Tristes*] «iratos atque infestos mortalibus.» — *tecto*] ut Val. Flacc. 5, 623: *citus ad summi stellantia patris Tecta ruit.* — *Brundusium*] hodie *Brindisi*, oppidum Salentinorum, ab Egnatia distabat XLIV. M. P. — *longae chartae*] κατ' εἰρωνειαν, quasi timeret, ne lectoribus molestiam creasset.

VI. Horatius postquam et familiaritate, quam cum Maecenate habebat, et Luciliano satirarum genere denuo tractato multitudinis in se oculos converterat, fieri non potuit, quin, cum nonnisi perquam pauci aut ipsum aut Maecenatis in eum animum accuratius introspicerent, a plurimis unus ex volgaribus illis fortunae filiis haberetur, quales post civilium conversionum turbas et in hac nobilissimarum familiarum ruina a civitatis dominis aut oppressarum aut opibus destitutarum amplo numero exorti erant, et qui prava ambi-

Nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitarent,
Ut plerique solent, naso suspendis adunco
Ignotos ut me libertino patre natum.
Cum referre negas, quali sit quisque parente
Natus, dum ingenuus; persuades hoc tibi vere,
Ante potestatem Tulli atque ignobile regnum
Multos saepe viros nullis maioribus ortos
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos;
Contra Laevinum, Valeri genus, unde superbus
Tarquinius regno pulsus fuit, unius assis

v. 4. *regionibus* Fea. *imperitarint* Mein. *imperitarant* Fea. v. 13. *fugit* B. e Codd.

tione malaque sedulitate in familiaritatem Maecenatis irrepsisset, ut honores et opes venaretur. Atque adversus hanc ipsam sinistram de se suspicionem et hominum aut ignorantiam aut malevolentiam haec satira conscripta esse nobis videtur. Zell ex Heind. (Scripta videtur a. u. c. 718.)

1—5. *Lydorum*] Ex antiqua fama (Herod. 1, 94.) refutata a Dionys. Halic. 1. p. 21. Lydi duce Tyrrheno, Atyis regis filio, in Italiam cum transmigrassent, ibi *Τυρσηνῶν* s. Tyrrhenorum nomine Etruriam incoluerunt. — *avus maternus*] Singulari more Tusci metronymicis frequentius etiam utebantur quam patronymicis. Loquitur non de Cilniis Romanis, quorum nemo unquam consul fuit aut exercitus duxit, sed de horum maioribus, qui Lucumones (principes) Arretii fuerunt. — *magnis legionibus*] «exercitibus»; *magnis* autem, ut in versu Saturnio in Acilii Glabrionis tabula apud Atilium Fortunatianum p. 2680. P.: *Fundit, fugat, prosternit maximas legiones.* — *naso suspendis*] Cfr. Sat. 2, 8, 64. Est «naso corrugato» cum fastidio et contemptu irridere, subsannare, *μυκτηρίζειν*, *σιλλαίνειν*.

7—17. *Cum referre*] «Tum, cum (ut semper facis) referre negas, vere tibi persuades, recte hoc sentis.» — *dum ingenuus*] Haec unica est exceptio; scilicet servos, ne manumissos quidem, ut sibi pares amicos tractare non poterat, quod iam contra erat in libertini filio. — *Tulli*] Liv. 4, 3: *En unquam creditis fando auditum esse — Servium Tullium, captiva Corniculana natum, patre nullo, matre serva, ingenio et virtute regnum tenuisse? — Laevinum*] «Hic P. Valerius Laevinus adeo foedis ac proiectis in omnem turpi-

Non unquam pretio pluris licuisse, notante
Iudice, quo nosti, populo, qui stultus honores
Saepe dat indignis et famae servit ineptus,
Qui stupet in titulis et imaginibus. Quid oportet
Nos facere a volgo longe longeque remotos?
Namque esto, populus Laevino mallet honorem
Quam Decio mandare novo, censorque moveret
Appius, ingenuo si non esset patre natus:
Vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem.
Sed fulgente trahit constrictos Gloria curru
Non minus ignotos generosis. Quo tibi, Tilli,

v. 15. *quem nosti* Lamb. v. 18. *Vos* B. coni. Hb. *longe lateque* Lamb.

tudinem moribus vixit, ut provehi non potuerit ultra quaesturae dignitatem.» Porph. — *unde*] «a quo Valerio Puplicola, ut: *genus unde Latinum.*» Schol. — *pulsus fuit*] «et pulsus est et postea in perpetuum exsul mansit.» — *unius assis*] Construe: *non unquam pluris pretio unius assis licuisse*, aestimatum esse veluti in licitatione s. auctione; *es sei nie mehr als ein Heller auf ihn geboten worden.* — *notante*] »ignominiose de eo iudicante,» ut censor *notat*, quem senatu movet. — *iudice, quo nosti*] Attractio etiam Graecis usitata ut Terent. Heautont. 1, 1, 35: *hac quidem causa, qua dixi tibi.* — *titulis*] inscriptionibus statuarum ac monumentorum honorariorum sepulchraliumque.

18—23. *longe longeque*] Modus superlativum exprimendi etiam apud Cic. de Finn. 2, 21., quem servarunt Itali. — *Decio*] P. Decius Mus, homo *novus*, primus e Deciis consul fuit et in bello cum Latinis pro legionibus Romanis dis inferis sese devovit a. u. c. 414. Liv. 8, 9. — *Appius*] Appius Claudius Pulcher, P. Clodii frater, de quo Caelius ad Fam. 8, 14: *persuasum est ei censuram lomentum aut nitrum esse. Errare mihi videtur. Nam sordes eluere volt; venas sibi omnes et viscera aperit.* — *Vel merito*] εἰκότως. Scite hoc versiculo significat, se prorsus abhorrere ab honoribus Maecenatis favore captandis. — *in propria - pelle*] «Ex proverbio sumptum est in eos, qui mediocritatis suae oblii maiora se ipsis appetunt, quos non contineri intra pelliculam dicimus.» Porph. — *Sed fulgente*] Versus heroicus. Gloriae velut deae currus tribuitur, ut Victoriae a Simonide Anal. Br. I. p. 137: Εὐδόξου Νίκας ἁγλαὸν ἅρμ' ἐπέβης. Cfr. ad Epp. 2, 1, 177.

24—34. *Tilli*] «Tillius hic senatu

Sumere depositum clavum fierique tribuno? 25
Invidia accrevit, privato quae minor esset.
Nam ut quisque insanus nigris medium impedit crus
Pellibus et latum demisit pectore clavum,
Audit continuo: Quis homo hic est? quo patre natus?
Ut si qui aegrotet quo morbo Barrus, haberi 30
Ut cupiat formosus, eat quacunque, puellis
Iniiciat curam quaerendi singula, quali
Sit facie, sura, quali pede, dente, capillo:
Sic qui promittit cives, urbem sibi curae,
Imperium fore et Italiam et delubra deorum, 35
Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,
Omnes mortales curare et quaerere cogit.
Tune Syri, Damae aut Dionysi filius, audes
Deiicere e saxo cives aut tradere Cadmo?
At Novius collega gradu post me sedet uno; 40

v. 29. *hic aut quo* Bentl. e Codd.

motus est a Caesare quasi Pompeianus; occiso vero Caesare recepit latum iterum clavum, id est, senatoriam dignitatem, et tribunus militum factus est.» COMM. CRUQ. Frater fuit fortasse Tillii Cimbri, Caesaris interfectoris. *Tribuni* autem *militum quattuor legionibus primis* habebant ius lati clavi. Suet. Domit. 10: *tribunus laticlavius.* — *ut*] «ex quo tempore, simulac.» — *nigris - - Pellibus*] corrigiis quattuor, ex nigra aluta, quibus medio in crure ligati erant senatorum calcei albi vel purpurei, addita lunula eburnea circa talum. — *Barrus*] Cfr. Sat. 1, 4, 110., homo, antequam *inops* fieret, formae studio immodice deditus et adulterarum sectator. — *promittit*] «dum candidatus, honores petit, quae sequuntur promittit civibus suis.» Vides Horatium etiamtunc loqui velut vetere re publica.

38—44. *Tune*] inquit aliquis ex populo. — *Syrus* autem, *Dama*, *Dionysius*, solita servorum nomina. — *Deiicere e saxo*] Tarpeio, vel ut triumvir capitalis, vel potius tribunus pl. Supplicium autem illud non prorsus insolitum etiamtunc fuisse, monstrat exemplum P. Dolabellae, qui a. u. c. 710. homines perditos ac seditio-

Namque est ille, pater quod erat meus. Hoc tibi Paullus
Et Messala videris? At hic, si plostra ducenta
Concurrantque Foro tria funera, magna sonabit
Cornua quod vincatque tubas; saltem tenet hoc nos.
Nunc ad me redeo libertino patre natum:
Quem rodunt omnes libertino patre natum,
Nunc, quia sum tibi, Maecenas, convictor; at olim,
Quod mihi pareret legio Romana tribuno.
Dissimile hoc illi est; quia non ut forsit honorem
Iure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum,
Praesertim cautum dignos assumere, prava
Ambitione procul. Felicem dicere non hoc
Me possim, casu quod te sortitus amicum;
Nulla etenim mihi te fors obtulit: optimus olim
Virgilius, post hunc Varius, dixere quid essem.
Ut veni coram, singultim pauca locutus,

v. 48. *sim* Meinecke. v. 53. *possum* Fea. *possunt* Bentl. v. 54. *tibi me* Bentl.

sos, liberos de saxo Tarpeio deiici, servos in crucem agi iussit. Cic. ad Att. 14, 15. — *Cadmo*] «Cadmus dicitur eo tempore fuisse carnifex notae crudelitatis.» Schol. — *Novius*] «At ego saltem minus obscuro loco ortus sum quam Novius, collega meus in tribunatu; ego libertinus sum, ille libertus.» — *Hoc tibi*] tribuno respondet Horatius populi verbis, cui hoc v. et v. 44. sese aggregat: «Verum propterea noli te aequiparare Aemiliis Paullis, Valeriis Messalis, viris nobilissimis.» — *foro*] ubi habebantur laudationes funebres; cremabantur mortui in Campo Martio. — *magna sonabit*] Sic iunge; non *magna cornua*. — *saltem tenet*] «Novius saltem propter vociferandi facultatem *nobis* placet.» Loquitur ex popelli persona.

46 — 63. *libertino patre natum*] Repetitio haec significat propter hoc unum se ab invidis continuo carpi, quod humili loco ortus nunc sit Maecenatis amicus, antea (a. u. c. 712.) Bruto duce tribunus militaris. — *forsit*] hanc formam, cuius praeter h. l. nullum certum exemplum exstat, agnoscit iam Priscianus p. 1015. P. — *ambitione procul*] πόρρω ὄντας. — *singultim*] per intervalla ac voce iden-

Infans namque pudor prohibebat plura profari,
Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Satureiano vectari rura caballo,
Sed, quod eram, narro: Respondes, ut tuus est mos,
Pauca: abeo; et revocas nono post mense iubesque
Esse in amicorum numero. Magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre praeclaro, sed vita et pectore puro.
Atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis
Mendosa est natura, alioqui recta, velut si
Egregio inspersos reprehendas corpore naevos,
Si neque avaritiam neque sordes aut mala lustra
Obiciet vere quisquam mihi, purus et insons,
Ut me collaudem, si et vivo carus amicis;
Causa fuit pater his, qui macro pauper agello
Noluit in Flavi ludum me mittere, magni

tidem repressa. — *Infans - pudor*] «elinguis, qui omni loquacitate abstinet.» — *circum - - vectari*] *auf den Fluren umherreiten.* — *Satureiano - - caballo*] *Saturium*, Horatio *Saturetum*. Videtur fuisse campus amoenus ac fertilis iuxta Tarentum, ubi procedente tempore conditum est oppidum hodie *Saturo* dictum. — *nono post mense*] Scilicet Bruti tribunum accuratius perspicere voluit Maecenas atque clam experiri, utrum ei fidendum esset necne. — *turpi - - honestum*] gen. masc.

68—74. *mala lustra*] lupanaria, fornices, adolescentium perditorum receptacula. — *his*] «harum rerum, harum virtutum.» Acron. — *Flavi*] Toto loco significat Venusiae non tam litteras quam arithmeticen, utpote ad vitam civilem praeter ceteras artes necessariam, doceri solitam esse. — *suspensi*] «ἐξηρτημένοι, qui sibi suspendebant laevo brachio *loculos*, capsas calculorum, quibus utebantur in conficiendis rationibus a ludi magistro propositis.» — *tabulam*] «calculatoriam, in qua et characteres arithmeticos notabant et calculos ordinare discebant.» Comm. Cruq. (*Rechenbret.*)

75. *Ibant octonis*] «Singulis Idibus magistro afferebant menstruam mercedem, τὸ δίδακτρον.» Pro *singulis* dixit *octonis*, quia Idus omnes in octavum post Nonas diem incidunt, sive, ut ait Lambinus, Iduum dies sunt octo. —

Quo pueri magnis e centurionibus orti,
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,
Ibant octonis referentes Idibus aera;
Sed puerum est ausus Romam portare docendum
Artes, quas doceat quivis eques atque senator
Semet prognatos. Vestem servosque sequentes,
In magno ut populo, si qui vidisset, avita
Ex re praeberi sumptus mihi crederet illos.
Ipse mihi custos incorruptissimus omnes
Circum doctores aderat. Quid multa? pudicum,
Qui primus virtutis honos, servavit ab omni
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi:
Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret, olim
Si praeco parvas aut, ut fuit ipse, coactor
Mercedes sequerer; neque ego essem questus: at hoc nunc

v. 87. *ad haec* Bentl. e Codd. *ob hoc* Lamb.

*referentes*; «singulis mensibus ex more rursus ferentes;» nisi vero explicare praestat: «pro opera in arithmetica ceterisque elementis docendis collocata ferentes praeceptori.»

79. 80. *In magno ut populo*] «quatenus id fieri poterat in tanta hominum aliud agentium multitudine, in qua etiam melius vestiti veluti latent atque in paucorum oculos incurrunt.» — *crederet*] «cum nos *vidisset*, tunc ipsum *crederet*,» pro quo tempore nos utimur plusquamperfecto.

81—83. *Ipse*] non servus paedagogus. — *pudicum* - - *ab omni*] «prae pudore abstinentem.» — *honos*] «quod primum decus est adolescentium, qui aliis virtutibus noti atque honorati vix esse possunt quam pudore et pudicitia.»

85—87. *Nec timuit*] «Consilium patris cum esset, ut ego altiorem gradum in civitate ascenderem, quam ipse tenuerat, idcirco summam curam collocavit in me optime educando, ut ne quisquam unquam dicere posset, ego si intra paternam condicionem mansissem, paternae negligentiae hanc culpam esse; omnes enim merito mihimet ipsi hoc vitio vertissent.» — *coactor*] exactionum (Suet. Vit. Hor. init.), quas pro publicanorum aliqua societate curabat. — *questus*] «nec ego, si praeco aut coactor ipse quoque factus essem, hoc patris negligentiae tribuere potuissem.» — *at hoc*] «At propterea tanto ma-

Laus illi debetur et a me gratia maior.
Nil me poeniteat sanum patris huius; eoque
Non, ut magna dolo factum negat esse suo pars,
Quod non ingenuos habeat clarosque parentes,
Sic me defendam. Longe mea discrepat istis
Et vox et ratio: nam si natura iuberet
A certis annis aevum remeare peractum
Atque alios legere, ad fastum quoscunque parentes
Optaret sibi quisque: meis contentus honestos
Fascibus et sellis nollem mihi sumere, demens
Iudicio volgi, sanus fortasse tuo, quod
Nollem onus haud unquam solitus portare molestum.
Nam mihi continuo maior quaerenda foret res
Atque salutandi plures; ducendus et unus
Et comes alter, uti ne solus rusve peregreve

iorem illi debeo gratiam, quod me melius quam condicioni suae conveniebat, educandum curavit.»

90—101. *dolo*] Ut apud ICtos, «culpa.» — *ad fastum*] «secundum fastum, pro fastu suo. parentes, quibus gloriaretur.» — *Optaret*] «libera optione sibi sumeret.» — *honestos*] «honoratos curulibus magistratibus, consulares et praetorios.» Comm. Cr. — *fortasse tuo*] «Egregie hoc dixit, quia Maecenas eques Romanus permansit, contempto senatorio ordine.» Acr. — *salutandi plures*] Festive Manilius 5, 64: (salutator strenuus ac sollers) *Instar erit populi totaque habitabit in Urbe Limina pervolitans, unumque per omnia verbum Mane salutandi portans communis amicus.*

102—109. *peregreve*] *ve* colliquescit cum versu seq. — *calones*] «viliores servi.» Gloss. h. l. equisones. — *petorrita*] vox Gallica, ut *rheda*, *essedum*. Cfr. Gell. 15, 30. Ducunt a *petoar*, *peduar*., quattuor, et *rit*, rota. —. *curto*] ut *curta supellex*, *curta res*, «vilis, exigui pretii:» — *Mantica*] «Quia pauperes, cum insident iumentis, post se sarcinas habent.» Acr. «Hoc ex Luciliano illo sumptum est: *Mantica cantherii costas gravitate premebat.*» Porph. — *Tilli*] Tam exiguus comitatus servorum, insuper instrumenta quae nominat portantium, sane sordium signum erat in praetore. Videtur autem idem Tillius, qui notatur v. 25. — *lasanum*] λάσανον, *Nachttstuhl*. — *cenophorum*] *Weinkorb*; quo

Exirem; plures calones atque caballi
Pascendi, ducenda petorrita. Nunc mihi curto
Ire licet mulo vel si libet usque Tarentum,
Mantica cui lumbos onere ulceret atque eques armos;
Obiiciet nemo sordes mihi, quas tibi, Tilli,
Cum Tiburte via praetorem quinque sequuntur
Te pueri lasanum portantes oenophorumque.
Hoc ego commodius quam tu, praeclare senator,
Milibus atque aliis vivo. Quacunque libido est,
Incedo solus; percontor, quanti olus ac far;
Fallacem Circum vespertinumque pererro
Saepe Forum; adsisto divinis; inde domum me
Ad porri et ciceris refero laganique catinum;
Cena ministratur pueris tribus, et lapis albus

v. 111. *Multis* Lamb. coni. Heindorf.

minorem sumptum faceret, domesticum vinum secum portabat.

111. *Milibus atque aliis*] Gen. neutr. respondet v. *hoc*. «Non solum per itinera ego commodius vivo, sed in sexcentis aliis rebus,» quas statim enumerat.

112—114. *quanti olus*] «animi causa cum propolis colloquor.» — *Fallacem*] ubi semper multi sunt circulatores, Chaldaei sive mathematici, sortilegi, etiam grassatores et crumenisecae. — *vespertinum*] Quo tempore homines splendidiores et negotiis vel civilibus vel feneratoriis implicati iamdudum domum se receperunt neque in foro remanent nisi volgi circuli, quibus illi sese immiscere erubescunt. — *divinis*] «harioli, sortilegi, interpretibus somniorum:» et quidem delectationis causa; quia horum impudentia ac mendacitas, popelli eos consulentis stupor et credulitas risum ei movebat.

115. 116. *laganique catinum*] id est, «ad coenam frugalissimam.» — *lagani*] «Lagana (λάγανα) sunt placentulae quaedam volgares quasi membranulae compositae, quae cum pipere et liquamine conditae depromi solebant ad coenam moderatam et parabilem.» Comm. Cr. *Plinsen.* — *lapis albus*] Fea explicat ἀγγυθήκην, (Athen. 5, 8.) a Latinis corruptum in *incitegam* (Festus), *basin vasorum collocandorum causa paratam*.

**Pocula cum cyatho duo sustinet; adstat echinus**
**Vilis, cum patera guttus, Campana supellex.**
**Deinde eo dormitum, non sollicitus, mihi quod cras**
**Surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se**
**Voltum ferre negat Noviorum posse minoris.**
**Ad quartam iaceo; post hanc vagor; aut ego lecto**
**Aut scripto, quod me tacitum iuvet, ungor olivo,**
**Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.**
**Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum**
**Admonuit, fugio Campum lusumque trigonem.**

v. 117. *echino Vilis cum patera guttus* Porphyr. Gesner. v. 126. *fugio rabiosi tempora signi* Codices omnes praeter unum Bland.

117. 118. *cyathus*] ad vinum ex cratere hauriendum. — *echinus*] Plerique explicant vas aereum, in quo calices lavantur, *Spülnapf;* Fea volt esse salinum collato Acrone ad Od. 2, 16, 14. — *cum patera guttus*] Utrumque ad libationes faciendas. *Qui vinum dabant, ut minutatim funderent, a guttis guttum (Kanne* Voss. *Guss* Kirchner.) *appellarunt.* Varro L. L. 5, 26.

120. 121. *Marsya*] «Marsya statua erat pro Rostris, ad quam solebant convenire causidici, qui lites et negotia tractabant. Comm. Cr. Serv. ad Aen. 4, 28: «Bacchus apte urbibus libertatis est deus; unde etiam Marsyas eius minister est in civitatibus (in foro positus) libertatis indicium; (qui erecta manu testatur nihil urbi deesse.)» Sicque re vera est in nummo gentis Marciae apud Morell. Tab. I. 7. nondum ab Apolline victus et excoriatus. Ovid. Met. 6, 383. — *Voltum*] «Minor enim Noviorum ad hanc statuam turpissime fenerabatur summo mane, quare iocatur Horatius inquiens, Marsyam alteram habere manum erectam ad depellendum Novios, quod eorum feneratorum impudentiam non posset sustinere.»

122 — 124. *Ad quartam*] nostram fere decimam. «Usque ad hanc in lectulo sum;» (ubi, si lubebat, legere aliquid poterat). — *aut ego*] «post quartam aut *vagor*, sine certo consilio solus incedo,» (ut v. 112., sed h. l. mane ante prandium;) «aut si hoc non placet, prius lego vel scribo aliquid; tum ungor oleo, pila in Campo Martio lusurus, deinde lavor, postea domum redeo ad prandium sumendum, postremo per aliquot horas otior domi.» Tum sequitur reliqua pars diei v. 112. descripta. — *fraudatis*] Oleo tam vili et rancido, ut lucernis implendis unice inservire posset, hic se ungebat. — *Natta*] «Notat Nattam quendam tenacissimum et sordidissimum.»

Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior. Haec est
Vita solutorum misera ambitione gravique;
His me consolor victurum suavius, ac si
Quaestor avus, pater atque meus patruusque fuisset.

# SATIRA VII.

Proscripti Regis Rupili pus atque venenum
Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor

Comm. Ca. Ceterum Pinarii Nattae erant patricii ac nobiles. Cic. de Div. 2, 21.

126. *fugio Campum lusumque trigonem*] Trigon a τρίγωνος, genus pilae minimae, durae et firmo pilo fartae; nomen inde ductum, quod a tribus ludentibus iactabatur et quidem ita dispositis, ut trianguli formam efficerent. Mart. 7, 72: *Sic palmam tibi de trigone nudo Unctae det favor arbiter coronae.*

127—131. *interpellet*] «prohibeat, non sinat.» — *diem durare*] usque ad coenam. — *Quaestor*] Perquam scite non memorat nisi infimum magistratum, quo sexcenti alii nunquam in honorum cursu longius progressi functi erant neque eius ope filiis nepotibusque ullum splendorem pepererant, etsi ipsis, utpote hominibus novis, honori fuerat. Ridicule contra arrogans fuisset, si praetorem vel adeo consulem pro quaestore posuisset.

VII. Lepide narrat, quomodo P. Rupilius Rex cum Persio quodam Clazomenis, Ionica urbe, coram M. Bruto, propraetore Asiae, acerrima contentione litigarit, Rupilius insuper acerbissimis conviciis, Persius vilissima utens erga Brutum adulatione. Tandem Persius salse aliquod dictum in adversarium expromit, quod totius historiolae acumen et quasi medullam continet, v. 33. seqq. atque narratiunculae finem imponit. Zell. Horatius tribunus mil. duce Bruto ipse tunc Clazomenis videtur degisse, atque a. u. c. 713. primam hanc suarum satirarum composuisse.

1—3. *Regis Rupili*] «P. Rupilius Rex Praenestinus, eques Romanus, a. 702. magister publicanorum, qui in Bithynia vectigalia exigebant, fuerat (Cic. ad Fam. 13, 9, 2.) et postea a civibus Praenestinis in exilium missus, sub P. Attio Varo a. 707. in Africa stipendia meruerat. A. 711. Romae praetor factus, sed a triumviris Octaviano auctore proscriptus, ad Brutum fugit, a quo in comitum cohortem receptus est. Testibus Scholiastis Horatio ignobilitatem generis saepe exprobravit; quam contumeliam ulturus poëta eum

**Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.**
**Persius hic permagna negotia dives habebat**
**Clazomenis, etiam lites cum Rege molestas;**
**Durus homo atque odio qui posset vincere Regem,**
**Confidens tumidusque, adeo sermonis amari,**
**Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.**
**Ad Regem redeo. Postquam nihil inter utrumque**
**Convenit: (hoc etenim sunt omnes iure molesti,**
**Quo fortes, quibus adversum bellum incidit: inter**
**Hectora Priamiden, animosum atque inter Achillem**
**Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors,**
**Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque**

v. 11. *adversis* Campenon. Kirchner.

hac satira irrisit. Sporn. — *pus*] mordacitas et maledicentia impura ac pestilens. Nos: *Gift und Galle.* — *Hybrida*] «Clazomenius enim fuit, patre Asiatico, matre Romana. Civitatem tamen Romanam obtinuerat. Eum igitur ut semiromanum deridet Horatius.« Ex Schol. — *lippis*] «Adeo ait divulgatum esse, quibus modis insectatus sit Persius Rupilium, ut et in tonstrinis haec et medicinis (tabernis medicorum vulgarium) narrata sint. Fere autem in his officinis otiosi solent considere ac res rumoribus frequentatas fabulis celebrare.» Porphyr.

6—8. *Durus*] «pervicax et morosus.» — *odio*] «molestia, qua homines afficere solebat, unde omnes eum fastidiebant.» — *Confidens*] Cic. Tusc. 3, 7: *qui fortis est, idem est fidens, quoniam confidens mala consuetudine loquendi in vitio ponitur, ductum verbum a confidendo, quod laudis est.* — *tumidus*] ἀκράχολος, iracundiâ cum superbia coniunctâ. — *Sisennas, Barros*] Noti tunc scurrae maledici. — *equis-albis*] cum hi celerrimi esse crederentur, inde natum hoc proverbium. Sic Plaut. Asin. 2, 2, 12: *Nam si se huic occasioni tempus subterduxerit, Nunquam edepol quadrigis albis indipiscet postea.*

10—18. *Convenit*] «postquam litem amice decidere et conciliari non poterant.» — *hoc etenim*] «Omnes homines *molesti*, difficiles, contentiosi *hoc iure sunt*, idem ius sibi statuunt, eodem modo agunt, quo *fortes*, fortitudine sibi pares, inter quos certamen

Summa fuit; duo si discordia vexet inertes,
Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco, discedat pigrior, ultro
Muneribus missis), Bruto praetore tenente
Ditem Asiam, Rupili et Persi par pugnat, uti non
Compositum melius cum Bitho Bacchius. In ius
Acres procurrunt, magnum spectaculum uterque.
Persius exponit causam; ridetur ab omni
Conventu; laudat Brutum laudatque cohortem,
Solem Asiae Brutum appellat, stellasque salubres
Appellat comites, excepto Rege; canem illum,
Invisum agricolis sidus, venisse: ruebat,

v. 15. *verset* Bentl. e Codd. v. 20. *Compositus* Codd. aliq. *Compositi* ex Cld. Bentl. v. 21. *concurrunt* Codd. aliq.

singulare oritur. — *adversum bellum*] « acerrimum certamen. » Coni. *adversis* et audax et supervacanea videtur. — *inter*] Duplicis huius pr. *inter* usus, in quo haesit Bentleius, exempla praebet Hand Turs. III. p. 409. Cfr. Epp. 1, 2, 11. Liv. 10, 7, 1: *certatum - - inter App. Claudium maxime ferunt et inter P. Decium.* — *Tra - capitalis*] ut *morbus capitalis*, caput, vitam petens, ita ut aliter quam alterius utrius morte finiri non posset. Il. χ, 261: Ἕκτορ, μή μοι, ἄλαστε, συνημοσύνας ἀγόρευε κτλ. — *vexet*] verbum de omnibus animi perturbationibus usitatum efficacius etiam quam Bentleii *verset*. — *Glauco*] Apud Homerum quidem minime ignavus comparet, sed tamen non sine quadam *εἰρωνείᾳ* Il. ζ, 234: Ἔνθ' αὖτε Γλαύκῳ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεύς, Ὅς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβεν, Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων. — *missis*] h. l. « oblatis, datis. »

20—27. *Compositum*] « par eiusmodi, ut non compositum melius par sit cum Bitho Bacchius. » *Compositum* autem ad depugnandum. Acr.: « Bithus et Bacchius gladiatorum nomina celebrata apud Suetonium Tranquillum »: (in libris deperditis.) — *procurrunt*] in ius, quasi in campum, ut milites inter se pugnaturi. Altera lectio *concurrunt* minus apposita est ad vv. *in ius*. — *ridetur*] Persius: non impersonaliter, ut *volebat* Lamb. — *Conventu*] « Corona auditorum in iudiciis. » — *cohortem*] amicorum et comitum Bruti, qui iudices sedebant. —

**Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.**
**Tum Praenestinus salso multoque fluenti**
**Expressa arbusto regerit convicia, durus**
**Vindemiator et invictus, cui saepe viator**
**Cessisset, magna compellans voce cuculum.**
**At Graecus, postquam est Italo perfusus aceto,**
**Persius exclamat: Per magnos, Brute, deos te**
**Oro, qui reges consueris tollere, cur non**
**Hunc Regem iugulas? Operum hoc, mihi crede, tuorum est.**

v. 34. *consuesti* e Cld. Bentl.

*fertur*] «eo loco, ubi, quia praeceps est ripa, torrentis (*χειμάῤῥου*) impetus est vehementior ideoque in loco periculoso raro arbores caeduntur.» — *salso*] «amaro et maledico.»

28—35. *multoque fluenti*] Persio, dativus. Virg. Ge. 3, 23. *magnumque fluentem Nilum*. Dem. Phaler. p. 146. Fisch.: *καὶ γὰρ μεταφέροντά ἐστι δεινὰ ποιεῖν ὡς τό*, «*Τῷ Πύθωνι θρασυνομένῳ καὶ πολλῷ ῥέοντι καθ' ὑμῶν οὐκ εἶξα.*» (Dem. de Cor. p. 272. R.) — *Expressa*] «altissimo clamore ex arbusto, in quo ramis coopertus sedet, prolata.» — *regerit*] «respondens ingerit.» — *Vindemiator*] tetrasyllabum, quasi *vindemjator*, h. l. vineae putator. — *cuculum*] Plin. 18, 66, 2: *XV. diebus primis* (post aequinoctium vernum) *agricolae rapienda sunt ea, quibus peragendis ante aequinoctium non sufficerit, dum sciat inde natum exprobrationem foedam putantium vites per imitationem cantus alitis temporarii, quem cuculum vocant. Dedecus enim habetur opprobriumque meritum, falcem ab illa volucre in vite deprehendi, ut ob id petulantiae sales etiam cum primo vere ludantur.* Ergo viator petulanter vindemiatorem cuculum vocat, sed talia tamque acerba et contumeliosa responsa fert, ut nec vires nec tempus habeat ea reddendi, sed fatigatus tandem inani altercatione ad sua negotia abeat, vindemiator victor evadat. — *Italo aceto*] «salibus vere Latinis, aculeatis et mordacibus.» — *reges*] Caesarem, ut Tarquinium Superbum L. Iunius Brutus, a quo stirpem ducere volgo putabatur M. Brutus. — *operum - - tuorum*] unum; «hoc te dignum est.»

# SATIRA VIII.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cum faber incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum. Deus inde ego, furum aviumque
Maxima formido: nam fures dextra coërcet
Obscaenoque ruber porrectus ab inguine palus;
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa vetatque novis considere in hortis.
Huc prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca.
Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum,

v. 7. *fissa* Fea coni.

VIII. Multa cum evidentia narrat, quo ridiculo modo Maecenatis Priapus Esquilinus perterrefecerit venefícas, Canidiam sive Gratidiam, quam, fortasse prius amicam, propter malas artes ac perfidiam, quibus utebatur, singulari odio persequebatur poëta, et Saganam, eius sociam; scite simul immiscentur amici Maecenatis laudes ob restitutam Esquiliis salubritatem. (a. u. c. 721?)

1 — 7. *inutile lignum*] «Ad nihil aptum; nam materia eius arboris propter fragilitatem nullis fabricis est apta.» Comm. Cruq. — *faber*] lignarius. *der Meister* Voss. — *Priapus*] deus agrestis Lampsacenorum, inde diu post Homerum atque Hesiodum in Graeciam primum, deinde in Latium invectus, tamquam auctor fertilitatis, in primis hortorum. — *Maluit*] «Cur, ipse nesciebat.» *formido*] h. l. prima significatione, *Scheuche*. — *dextra*] qua modo fustem, modo falcem tenebat. — *arundo*] «arundinum fasciculus vento quassatus abigit aves.» — *novis — hortis*] «nuper a Maecenate institutis.» Comm. Cruq.

8 — 13. *ejecta*] ut vilia, quorum praeter conservos nemo curam gerebat. — *cellis*] miseris mediastinorum cubiculis, plerumque subterraneis. — *miserae plebi*] Locus ille non solum servorum, sed etiam hominum prorsus inopum sepulcreto erat destinatus ac propterea (id quod cum acerba irrisione adjicit;) ibi aliquando sepeliendi erant Pantolabus et

Pantolabo scurrae Nomentanoque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: Heredes monumentum ne sequeretur.
Nunc licet Esquiliis habitare salubribus atque
Aggere in aprico spatiari, quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum;
Cum mihi non tantum furesque feraeque suetae
Hunc vexare locum curae sunt atque labori,
Quantum carminibus quae versant atque venenis
Humanos animos: has nullo perdere possum
Nec prohibere modo, simul ac vaga luna decorum
Protulit os, quin ossa legant herbasque nocentes.
Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam pedibus nudis passoque capillo,

v. 15. *qua* Bentl. coni.

Nomentanus, decoctores etiamtunc vivi. « Fuit Mallius scurra trans Tiberim ingenuis parentibus natus, qui quia a multis pecuniam mutuam rogabat, Pantolabos est cognominatus.» Porph. De Cassio Nomentano cfr. Sat. 1, 1, 105. 2, 1, 19. 2, 3, 224. Seneca de Vita beata 11. eum cum Apicio iungit. — *Mille pedes*] Ibi quoque cippo incisa erat solita sepulcrorum formula. Cfr. Inscriptt. m. Lat. N. 4557. seqq. — *in fronte*] alibi *in latitudine* (vide l. l.) id est, viam publicam versus. — *in agrum*] *feldwärts*. — *dabat*] «assignabat.» — *Heredes*] Solita hac formula *H. M. H. N. S. (HOC MONVMENTVM HEREDES NON SEQVITVR)* cavebant, ne, cum *DIS MANIBVS LOCVS CONSECRATVS* vel *DATVS LEGATVSQVE* esset, transiret ad heredes neve ab his aliquando vendi posset.

15—19. *Aggere*] Tarquinii Superbi, unde prospectus in Esquilias patebat. — *quo*] « in quo, ex quo aggere.» — *feraeque*] volpes puta et *Esquilinae alites*: Epod. 5, 100. — *carminibus*] ἐπῳδαῖς. — *versant*] «huc illuc impellunt sicque vexant.»

21. *vaga luna*] Virg. Aen. 1, 742: *errantem-lunam*. Sagis autem luna necessaria ad artes suas exercendas. Theocr. 2, 10: ἀλλὰ, Σελάνα, Φαῖνε καλόν· τὶν γὰρ ποταείσομαι ἄσυχα, δαῖμον.

24—28. *Canidiam*] Gratidiam Neapolitanam, de qua Epod. 5 et 17. — *Sagana*] «Haec Sagana liberta fuisse dicitur Pomponii senatoris (feneratoris Acr.), qui a triumviris est proscriptus;

Cum Sagana maiore ululantem; pallor utrasque
Fecerat horrendas adspectu. Scalpere terram
Unguibus et pullam divellere mordicus agnam
Coeperunt; cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent, animas responsa daturas.
Lanea et effigies erat, altera cerea; maior
Lanea, quae poenis compesceret inferiorem.
Cerea suppliciter stabat, servilibus ut quae
Iam peritura modis. Hecaten vocat altera, saevam
Altera Tisiphonen. Serpentes atque videres
Infernas errare canes, lunamque rubentem,
Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.
Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum atque in me veniat mictum atque cacatum.
Iulius et fragilis Pediatia furque Voranus.

habuit autem sororem se natu minorem; idcirco hic *maior* dicitur.» Comm. Cr. — *ululantem*] ὀλολυγμοί maxime feminis in sacris tribuuntur. — *Scalpere*] scrobem facturae; efficacior autem hic furor, quam si pala vel marra usae essent. — *mordicus*] Ut per totam hanc magicorum rituum descriptionem dominatur hyperbole, sic h. l. in primis rem ridiculum in modum exaggerat. — *cruor*] Recordare Ulixis Odyss. λ, 48. — *confusus*] «omnis est fusus in scrobem.»

30—36. *Lanea*] Haec referebat Canidiam, *cerea*, quae vexaretur igneque liquefieret (v. 44.), amatorem infidelem. Propterea Canidia ipsa libera manebat ab omni malo, quod alia saga adversaria ei intentare poterat. — *servilibus*] «gravissimis verberibus.» — *canes*] Stygias, Hecatae comites. Virg. 6, 257: *visaeque canes ululare per umbram Adventante dea.* — *magna - sepulcra*] in quibus haeserunt Interpretes, sunt polyandria, fossae, in quas aliquamdiu vel cadavera ipsa vel crematorum ossa deliciebantur, donec complerentur; tum tumulus superstruebatur.

39. *fragilis*] enervatus, effeminatus libidinibus. Comm. Cr.: «Pediatius, eques Romanus, patrimonio consumpto se prostituit, quare Horatius mutato genere *Pediatiam* nominavit propter mollitiem.» Iulius autem libertus aliquis C. Iulii Caesaris aut liberti filius fuisse videtur, par tunc omnibus notum. — *Voranus*] «Aiunt Voranum Q. Lutatii Catuli libertum fuisse adeo

Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes
Umbrae cum Sagana resonarent triste et acutum,
Utque lupi barbam variae cum dente colubrae
Abdiderint furtim terris, et imagine cerea
Largior arserit ignis, et ut non testis inultus
Horruerim voces Furiarum et facta duarum.
Nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi
Diffissa nate ficus: at illae currere in urbem.
Canidiae dentes, altum Saganae caliendrum
Excidere atque herbas atque incantata lacertis
Vincula cum magno risuque iocoque videres.

v. 41. *resonarint* Bentl. coni. v. 45. *Obruerim* e Cld. Fea. Meinecke.

furacem, ut nummos subreptos a nummulario in calceos demiserit; a quo cum deprehensus esset, quidam subridens, Belle, inquit, si te non ἐχχαλκεύει, hoc est, verberibus tamquam aes recudat, alludens ad calceos.» Comm. Cr.

41. 42. *resonarent*] Imperfectum recte se habet: «per totam incantationem;» contra lupi barbam semel abdiderunt. — *triste*] «lugubre et metuendum: *et acutum*] tenue, subtile, quia sine corpore emittebantur voces.» Comm. Cr. — *lupi barbam*] Plin. 28, 44: *Veneficiis rostrum lupi resistere inveteratum aiunt ob idque villarum portis praefigunt.* — *variae*] maculosae. Comm. Cr.

45 — 50. *Furiarum*] sagarum. Sic Cicero aliquoties P. Clodium *Furiam* vocat. — *displosa*] «cum impetu disrupta.» Schol. — *ficus*] utpote quod sit lignum magnopere fissile. — *urbem*] «ex hortis Esquilinis in frequentatam aedificiis partem urbis recurrunt.» — *dentes*] empti atque insititii. «Iocatur in has, quasi altera dentibus appositis uti solita sit, altera, quod glabra fuerit, caliendrum, hoc est, galericulum sive crinem suppositum (*Fontangen, Perrücke*) habere consuesset.» Schol. — *Vincula*] «Quaedam licia ex diversis coloribus, quibus mentes hominum vinciebant.» Comm. Cr. nodi amatorii, *Liebesknoten, verzauberte Nesteln,*

# SATIRA IX.

Ibam forte via sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum, totus in illis:
Accurrit quidam notus mihi nomine tantum,
Arreptaque manu: Quid agis, dulcissime rerum?
Suaviter, ut nunc est, inquam, et cupio omnia quae vis. 5

v. 1. *Ibam ut forte* Benti. coni. v. 3. *Occurrit* Codd. aliq. v. 4. *dulcissime, rerum* Lamb.

IX. Volgaris opinio, qua haec satira sive mimus est ex Sophronis genere, garruli descriptionem continere putatur, procul dubio e male intellecto v. 33. orta est. Sed potius hoc sibi poëtam proposuisse clarum, est ut certos quosdam homines derideret atque in posterum a se abigeret, qui iudicii elegantiam et poëticam facultatem affectantes atque exemplum Virgilii Horatiique aemulati in Maecenatis familiaritatem se intrudere conarentur et, quo certius hoc assequerentur, sine ullo pudore nihilque verentes, ne vilem suum et abiectum animum proderent, omnibus modis Horatii amicitiam expugnare contenderent. Hosce igitur homines male sedulos monet, ne solitis parasitorum artibus se in Maecenatis amicitiam irrepere posse sperent; «a me certe,» inquit, «tales nunquam commendabuntur.» Simul callide hac quoque occasione utitur, ut civibus suis demonstret, qualis sibi familiaritas cum Maecenate intercedat a plurimis ignorata aut male iudicata, atque cuiusmodi mores illi placeant. Heind. et Zell. Scripta videtur a. u. c. 720.

1—5. *via sacra*] Cfr. Epod. 4, 7. 7, 8. — *totus in illis*] Epp. 1, 1, 11: *omnis in hoc sum;* quo molestior fiebat interpellatio. Sic Polyb. 3, 94: πρὸς τὸ διαχινδυνεύειν ὅλος καὶ πᾶς ἦν. — *Accurrit*] Haec cupiditas Horatium conveniendi magis apta est importuni moribus, quam languidum illud *occurrit;* sic Theophrasti λογοποιὸς Char. 8: πᾶσι δὲ τοῖς ἐν τῇ πόλει προσδεδράμηκε λέγων. Similiter *arripit* manum, non *prehendit.* — Iunge *dulcissime rerum.* Ovid. Met. 8, 49 et Her. 4, 125: *pulcherrime rerum;* Quinctil. 1, 12, 6: *pulcherrima rerum.* — *ut nunc est*] «pro rerum mearum copia. — *cupio*] Solita haec quoque urbanitatis formula. Plaut. Rud. 4, 4, 1: *quamquam vobis volo quae voltis, mulieres.*

Cum assectaretur: Num quid vis? occupo. At ille,
Noris nos, inquit; docti sumus. Hic ego, Pluris
Hoc, inquam, mihi eris. Misere discedere quaerens,
Ire modo ocius, interdum consistere, in aurem
Dicere nescio quid puero, cum sudor ad imos
Manaret talos. O te, Bolane, cerebri
Felicem! aiebam tacitus, cum quidlibet ille
Garriret, vicos, urbem laudaret. Ut illi
Nil respondebam: Misere cupis, inquit, abire,
Iamdudum video: sed nil agis, usque tenebo;
Persequar hinc quo nunc iter est tibi. Nil opus est te

v. 16. *Prosequar* Meinecke. *Persequar. Hinc - - - tibi?* Lamb. Fea.

6—13. Postquam ipse satis, ut putabat, homini significarat nullam se habere cum eo colloquendi causam, ille tamen Horatio latus tegit, unde molestia se liberare cupiens comi valedicendi formula utitur. Sic Terent. Eun. 2, 3, 50: *rogo, numquid velit. Recte, inquit. Abeo. — occupo*] «praevenio hominem rogans, antequam ille quidquam post primam salutationem dixisset.» — *Noris nos*] «Vix aliter fieri potest, quam ut tibi iam aliquatenus notus sim.» (*«Du solltest mich ja wohl kennen.»*) «Nam doctis ego quoque adnumeror.» — *Pluris*] Dum respondet: «propter id ipsum quod doctus es, ut dicis, pluris te faciam,» vafre significat se eum non nosse. — *Misere*] ex usu quotidiano in plerisque affectibus pro «vehementer, nimium quantum.» Sic dicitur *misere amare*, qui vehementer amat. Terent. Andr. 3, 2, 40. Heaut. 4, 1, 37: *misere omnes sumus religiosae.* — *Bolane*] «Utinam, secum ait, tam cerebrosus (*μανικὸς, Tollkopf*) essem, quam fuit Bolanus,» (qui ὀξύχολος nullius ineptias ferebat, sed statim vel in faciem quemvis reprehendebat vel de eo quid sentiret non dissimulate dicebat. Comm. Cr.) «Male enim accepissem verbis atque fugassem hominem.» — *cerebri Felicem*] *μακαρίζω σε τῆς παῤῥησίας.* Virg. Ge. 1, 277: *felices operum dies.* — *vicos*] domuum ordines ex utraque viae parte. Sic Theophrasti ἀδόλεσχος Ch. 3. narrat: *πόσοι εἰσὶ κίονες τοῦ Ἰωδείου.*

16 — 21. *Persequar*] Importunus, dum facetus esse cupit, rusticius loquitur. *Persequar* est minarum praecedentium summa ac perseverationem assectantis egregie expṛimit; *prosequar* esset: «officii causa porro sequar.» — *cubat*] «aegrotus lectulum servat domi suae.» Prolog. antiq. Plaut. Cas.

Circumagi: quemdam volo visere non tibi notum;
Trans Tiberim longe cubat is, prope Caesaris hortos.
Nil habeo quod agam et non sum piger; usque sequar te.
Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus,
Cum gravius dorso subiit onus. Incipit ille:
Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies; nam quis me scribere plures
Aut citius possit versus? quis membra movere
Mollius? Invideat quod et Hermogenes, ego canto.
Interpellandi locus hic erat: Est tibi mater,
Cognati, quis te salvo est opus? Haud mihi quisquam.
Omnes composui. Felices! nunc ego resto.

37: *servus, qui in morbo cubat: Immo hercle vero in lecto, ne quid mentiar.* — *Caesaris hortos*] in Ianiculo, quos Caesar dictator populo Romano publice legarat. Suet. Caes. 83. A Sacra via autem usque in Ianiculum horae prope integrae iter faciendum erat. — *Demitto auriculas*] Ridiculo hoc proverbio utebantur iam Graeci. Plat. de Rep. 10. p. 613: τὸ μὲν πρῶτον ὀξέως ἀποπηδῶσι (οἱ ἁρμεῖς), τελευτῶντες δὲ καταγέλαστοι γίγνονται τὰ ὦτα ἐκ τῶν ὤμων ἔχοντες. — *iniquae mentis*] «irati in mulionem.» — *subiit*] ultima producta propter arsin in caesura.

22—27. *Viscum*] Vibius Viscus eques Ro. duos filios senatorii ordinis habebat, quorum alter Horatii amicus et Maecenatis convictor fuit. Cfr. Sat. 1, 10, 83. — *Varium*] Sat. 1, 5, 40. — *plures*] Ecce alter Crispinus: Sat. 1, 4, 14. — *Mollius*] «cum maiore gratia ac facilitate saltare ac gesticulari.» — *Hermogenes*] Tigellii Sardi filius adoptivus (Sat. 1, 3, 129. 4, 72. 10, 18.) ab Interpretibus saepius cum illo (Sat. 1, 2, 1. seqq.) confusus. — *canto*] Hoc ipsum, quod ut Salustii Sempronia in omnibus his excelliere se, in una arte etiam Hermogenem illum Horatio tantopere exosum superare iactat homo vanissimus, bilem movet poëtae, ita ut iuno sermonem tandem praecidat aliumque minus certe molestum movere conetur. Sciscitatur ergo de familia hominis, ut solent qui primum notitiam contrahunt. — *quis te salvo*] «quibus optabile et utile est te salvum esse.»

28—34. *composui*] ut περιστέλλειν, beisetzen, de sepultura, in primis de cineribus collectis atque in urna conditis. — *Felices*] «eo, quod a te iam nulla molestia afficientur.» Scilicet haec omnia tacitus ait Horatius, ut v. 12., id quod ex eo elu-

Confice; namque instat fatum mihi triste, Sabella
Quod puero cecinit divina mota anus urna:
Hunc neque dira venena nec hosticus auferet ensis
Nec laterum dolor aut tussis nec tarda podagra;
Garrulus hunc quando consumet cunque: loquaces,
Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit aetas.
Ventum erat ad Vestae, quarta iam parte diei
Praeterita; et casu tunc respondere vadato

v. 30. *mota divina* Bentl. cum Cruquio. v. 36. *vadatus* Bentl. coni.

cet, quod alter ad tam miram narrationem ne verbum quidem respondet. — *Sabella*] anus Sabina sortilega, quae quaesticuli causa superstitiosis hariolabatur. Per se patet rem esse fictam. — *divina*] Construe: *anus motâ urnâ divinâ*, «postquam concussisset *divinam*, id est, ut ita dicam, propheticam urnam sorsque mea exsiluisset.» Sortes autem hae laminae erant cum inscriptione aliqua ambigua, quam sortilegi pro tempore interpretabantur. Cfr. Inscriptt. m. Lat. N. 2485. — *hosticus*] forma poëtica ducta ex antiquis illis formulis *hosticus ager* et *hosticum canere*, ut *civicus* et Taciti *genticus*. — *ensis*] veluti in acie Philippensi. — *laterum dolor*] pleuritis. Schol. — *tussis*] phthisis, tabes. — *tarda*] transitive, «quae tardos reddit.» — Nota tmesin v. *quandocunque*, aliquando, ut Ovid. Met. 6, 544: *si non perierunt omnia mecum, Quandocunque mihi poenas dabis.* — *adoleverit aetas*] etiam in prosa or. Cic. Verr. 2, 3, 68: *aetate adulta*. Ficto autem hoc vaticinio omnibus istius hominis similibus significat se nihil magis abominari quam garrulos ac molestos.

35—37. *ad Vestae*] ut Gr. εἰς Ἀπόλλωνος. «Ad fornicem Fabianum ex Sacra via sinistrorsum se converterant tamquam Tiberim petituri, trans quem cubare dixerat amicum; progrediuntur eo vico, quem sub Velia vocatum arbitramur, et tandem ad Vestae templum perveniunt.» Vestae autem templum ad Forum inter Capitolium et Palatium. — *quarta*] «hora tertia.» Martial. 4, 8, 2: *Exercet raucos tertia causidicos.* — *respondere*] in iure. Cic. Verr. 2, 1, 1: *opinio populi Romani fuit, C. Verrem altera actione responsurum non esse neque ad iudicium affuturum: — praesto est, respondet, defenditur.* — *vadato*] «vadimonium obire, sistere se in iudicio adversario, qui eum vadatus erat, *vadimonio obligaverat*,» ut ait Gaius 4, 187. — *perdere litem*] Ex v. *debebat* elice «ei necesse erat.» *Perdere litem, causam* etiam apud Cic. de Orat. 1, 36. *Lis* autem h. l. summa vadi-

Debebat, quod ni fecisset, perdere litem.
Si me amas, inquit, paullum hic ades. Inteream, si
Aut valeo stare aut novi civilia iura;
Et propere quo scis. Dubius sum, quid faciam, inquit,
Tene relinquam, an rem. Me, sodes. Non faciam, ille,
Et praecedere coepit. Ego, ut contendere durum est
Cum victore, sequor. Maecenas quomodo tecum?
Hinc repetit; paucorum hominum et mentis bene sanae.
Nemo dexterius fortuna est usus. Haberes

monii, quod tanti erat, quanti res, de qua litigabant.

38—41. *Si me amas*] Solita petendi formula. Cic. ad Att. 5, 17: *Si quicquam me amas, hunc locum muni;* huic *ἀντίστροφον* est *amabo* illud, verbi significatione prope exuta. *Me* h. l. non colliquescit, ut in alio monosyllabo Sat. 2, 2, 28: *num adest honor idem.* — *hic*] «ubi nunc sumus, in Foro.» — *ades*] Plaut. Amph. 4, 3, 3: *Quaeso, ut advocatus mihi adsis.* — *Inteream, si - valeo*] Solitum hoc. Cic. ad Fam. 11, 23: *peream, si te - - ferre poterunt.* — *stare*] in iure, apud recuperatores. — *aut novi*] «nec propterea advocatio mea te quidquam iuvaret.» — *rem*] «pro lite. Sic et in legibus scriptum inveniri solet, *rem sive litem.*» Porph. Varro L. L. 7, 93: *In actionibus videmus dici: QVAM REM SIVE MI LITEM DICERE OPORTET.*

43—48. *Maecenas*] Nunc demum missis ambagibus ad id pervenit importunus, quod sua maxime intererat, ut, si fieri posset, intercedente Horatio Maecenatis amicorum velut cohorti eodem modo aggregaretur, quo Horatio Virgilius illius amicitiam conciliarat. — *repetit*] «sermonem intermissum hinc rursus exorditur.» — *paucorum*] Ter. Eun. 3, 1, 19: *Immo sic homo est perpaucorum hominum.* Gnatho. *Immo multorum est, si tecum vivit.* «Quomodo tecum vivit Maecenas?» (Responsum non exspectat, sed continuo pro suo captu atque ingenio laudibus illum extollit:) «paucos utique inter amicos recipere solet, sed egregios, ut te, Virgilium, Varium, atque hoc ipso delectu demonstrat, quanta sit prudentia praeditus. Omnino nemo fortuna dexterius ac sollertius eo est usus, qua in arte sane rerum humanarum cardo vertitur. Iam facile tibi erit mihi, homini centum artium, quales ille solet deligere, aditum ad eum parare; ac facies hoc fortasse non sine proprio tuo commodo; ego enim te pro virili parte iuvarem adversus invidos atque iniquos tuos, qui, ut arbitror, interdum apud illum tibi officiunt; immo ope mea ques vo-

Magnum adiutorem, posset qui ferre secundas,
Hunc hominem velles si tradere. Dispeream, ni
Submosses omnes. Non isto vivimus illic,
Quo tu rere, modo: domus hac nec purior ulla est
Nec magis his aliena malis; nil mi officit unquam,
Ditior hic aut est quia doctior: est locus uni
Cuique suus. Magnum narras, vix credibile! Atqui
Sic habet. Accendis quare cupiam magis illi
Proximus esse. Velis tantummodo; quae tua virtus,
Expugnabis; et est qui vinci possit, eoque
Difficiles aditus primos habet. Haud mihi deero:
Muneribus servos corrumpam; non, hodie si

v. 48. *vivitur* e Codd. Bentl. v. 50. *inquam* e Codd. Bentl.

les submovebis.» — *adiutorem*] vocabulum scenicum. Phaedr. 5, 5, 14: *In scena vero postquam solus constitit, Sine apparatu, nullis adiutoribus.* — *ferre secundas*] «agere secundas partes, *δευτεραγωνιστήν*,» cuius praecipuum munus erat, ut, quemadmodum Pylades Orestem in Eurip. Iphig. in Taur. et in Oreste, verbis, recitatione, gesticulatione quam maxime iuvaret ac sustineret *πρωταγωνιστήν*. — *Hunc hominem*] *δεικτικῶς* se ipsum demonstrat. Comm. Cr. Plaut. Curcul. 2, 1, 22: *solus hic homo est, qui sciat divinitus*, id est, «solus ego sum.» — *Submosses*] «statim a Maecenate alienasses;» quasi praecessisset; «si tradidisses.» Ipso autem tempore actionis celeritas facilitasque significatur.

48—55. *vivimus*] prima persona scitius significat, hominem haud dignum esse, qui in hoc veluti sodalitium recipiatur. — *malis*] «invidia, simultate, insidiis, detractationibus, factionibus.» Comm. Cr. — *Magnum narras*] Valde miratur homo pusilli animi hoc fieri posse; statim tamen necessitudini tam simplici atque innocenti se quoque adaptare studet vv. *accendis* cet. Nihilominus vel invitus rursus monstrat, se aliis quam malis artibus in expugnando Maecenate uti non posse. — *sic habet*] *οὕτως ἔχει*, ex sermone familiari pro *sic se res habet*. — *Accendis*] «auges desiderium, cur» cet. — *Velis*] imperativus: «sufficit, si velis;» non «si velis.» — *quae tua virtus*] «nam ea est tua virtus,» «pro virtute tua ac dexteritate.» Sulpic. apud Cic. ad Fam. 4, 5: *qui illius in te amor fuit*. Cic. ad Fam. 7, 2: *qui meus amor in te est*. — *eoque*] «Conscius suae fa-

Exclusus fuero, desistam; tempora quaeram,
Occurram in trivlis, deducam. Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus. Haec dum agit, ecce
Fuscus Aristius occurrit mihi carus et illum
Qui pulchre nosset. Consistimus. Unde venis? et,
Quo tendis? rogat et respondet. Vellere coepi
Et pressare manu lentissima brachia, nutans,
Distorquens oculos, ut me eriperet. Male salsus
Ridens dissimulare: meum iecur urere bilis.
Certe nescio quid secreto velle loqui te
Aiebas mecum. Memini bene, sed meliore
Tempore dicam; hodie tricesima sabbata: vin tu

v. 60. *ait* Codd. aliq. v. 64. *prensare* Codd. mei. Cruq. Torr.

cilitatis Maecenas, se vel invitum expugnari posse ab improbis flagitatoribus, aditum adversus tales intercludit, ianitori, nomenclatori, cubiculario, duris et morosis servulis, mandando, ne quem nisi ex intima amicitia ad se intromittant.» Bentl.

58 — 60. *in triviis*] ubi propter hominum turbam minus facile devitantur occurrentes. — *deducam*] «ubi ex domo in forum descendet, eius comitibus me adiungam.» — *nil sine magno*] Aretalogi more degreditur in locum communem, *πάντα τὰ καλὰ χαλεπά*.

60 — 66. *agit*] «dum ita ineptit, suam quasi causam apud me agens.» — *Fuscus Aristius*] Huic Horatius Od. 1, 22. et Epp. 1, 10. inscripsit. Comm. Cruq.: «Hic fuit grammaticus illius temporis doctissimus, amicus et familiaris Horatii.» — *pulchre nosset*] ut *probe*, etiam in prosa or. Plane. in Epp. Cic. 10, 13: *Lepidum pulchre noram*. — *Unde*] Solita erat formula. Sat. 2, 4, 1: *Unde et quo Catius?* — *Et pressare*] Sic dedi cum Scholiastis et Codd. aliq. Postquam *volsa* erant brachia, *prensari* iam vix poterant, sed *pressari*, nisi statues *ὕστερον πρότερον*. — *lentissima*] «quae cum pressarentur semper cedebant adeoque sensu carere videbantur.» — *Male salsus*] «prave atque intempestive iocans.» — *iecur*] h. l. irae sedes, ut alibi amoris. Cfr. Od. 1, 13, 4.

69 — 74. *tricesima sabbata*] Est dies Tisri quintus decimus, primus scenopegiorum, quae semper constat castissime celebrata, et, quod maximi momenti est, Romanis satis nota fuisse. Dicitur etiam festum tabernaculorum et complectitur integros septem dies

Curtis Iudaeis oppedere? Nulla mihi, inquam, 70
Religio est. At mi: sum paullo infirmior, unus
Multorum. Ignosces; alias loquar. Huncine solem
Tam nigrum surrexe mihi! Fugit improbus ac me
Sub cultro linquit. Casu venit obvius illi
Adversarius et: Quo tu turpissime? magna 75
Inclamat voce, et: Licet antestari? Ego vero
Oppono auriculam. Rapit in ius; clamor utrinque,
Undique concursus. Sic me servavit Apollo.

v. 76. *Exclamat* Codd. aliq. Lamb. v. 77. *Appono* e C2dd. Fea.

a XV. Tisri usque ad XXI. — *Curtis*] «verpis, circumcisis.» — *oppedere*] vox plebeia pro «contemnere eos ac religiones eorum deridere.» Porph. — *Religio*] scrupulus. Gloss. *Bedenken.* — *infirmior*] « meticulosior ac superstitiosior,» *schwachsinnig.* — *unus Multorum*] «adeoque popularibus superstitionibus obnoxius.» Lucian. Somn. 9: *τῶν ἐκ τοῦ πολλοῦ δήμου εἷς.* — *Tam nigrum*] «diem atrum, infaustum.» — *surrexe*] pro *surrexisse*, ut Lucil. 3, 4. *invasse*; 5, 1, 2: *mansti*; Horat. Sat. 1, 5, 79. *erepsemus.* — *sub cultro*] quasi victimam a popa iamiam mactandam.

75 — 78. *Adversarius*] Idem ille, de quo est v. 37., non alius novus petitor. — *Inclamat*] verbum longe significantius quam al. *exclamat.* Sic Graeci *ἐμβοᾶν τινί.* — *antestari*] «teste te uti, quod iudicii causa volo manum iniicere.» Nam haec erat consuetudo: si quis vadato non paruisset, ei adversarius aliquem de praesentibus antestabatur, id est, tangebat eius aurem et dicebat: *LICETNE ANTESTARI?* Si respondisset ille: *LICET*, tunc iniiciebat vadatus manum in eum, qui non paruisset, et ducebat in iudicium; aliter si iniecisset manum, iniuriarum poterat accusari. Plaut. Persa 4, 9, 8: S. *Age, ambula in ius, leno.* D. *Quid me in ius vocas?* S. *Illuin apud praetorem dicam, sed ego in ius voco.* D. *Nonne antestaris?* S. *Tuan ego causa, carnufex, Quoiquam mortali libero aures atteram?* Acr. — *Oppono*] «Obverto, quo facilius petitor auriculam (*Ohrläppchen*) prehendere possit.» «Solebant testium aures tenere et ita dicere: *MEMENTO, QVOD TV MIHI IN ILLA CAVSA TESTIS ERIS:* quod est antestari.» Acr. Plin. 11, 103: *Est in aure ima memoriae locus, quem tangentes antestamur.* — *in ius*] ad recuperatores vel ad centumvirale iudicium. — *Clamor*] hominis molesti et eius adversarii, quo excitatur circumforaneorum concursus. — *Apollo*] *ἀλεξίκακος, ἀποτροπαῖος*, ut benignus poëtarum

# SATIRA X.

*Lucili, quam sis mendosus, teste Catone*
*Defensore tuo pervincam, qui male factos*
*Emendare parat versus: hoc lenius ille,*
*Est quo vir melior, longe subtilior illo,*
*Qui multum puer et loris et funibus udis* 5
*Exhortatus, ut esset opem qui ferre poëtis*
*Antiquis posset contra fastidia nostra,*
*Grammaticorum equitum doctissimus. Ut redeam illuc:*

Nempe incomposito dixi pede currere versus
Lucili. Quis tam Lucili fautor inepte est,
Ut non hoc fateatur? At idem, quod sale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem.

custos et defensor. PORPHYR. Iliad. ρ., 443: τὸν δ' ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων Ῥεῖα μάλ', ὥστε θεός, ἐκάλυψε δ' ἄρ' ἠέρι πολλῇ.

X. Haec satira defensionem continet iudicii, quod Horatius Satira huius libri quarta de Lucilio prompserat, ab antiquariis, perversis huius poëtae fautoribus, iniuste reprehensi, simulque multa cum urbanitate monstrat, quam insciti sint homines atque recte iudicandi facultate destituti, qui propter odium adversus aequalem veterem poëtam nimiis laudibus extollant, egregia simul artis poëticae praecepta tradens. Scripta videtur a. u. c. 723. — Octo versus inclinatis litteris expressi sunt subditicii.

1—4. *Nempe*] est confirmantis. «Certe *(ja wohl, freilich)* confiteor me dixisse.» ACR. Sat. 1, 4, 8: *durus componere versus.* — *incomposito - pede*] «asperos scabrosque permultos esse.» — *fautor inepte*] «quis iam tam inepto modo Lucilio favet, ut aperta eius vitia neget?» — *defricuit*] Ut dolor oritur, ubi sale defricetur cutis vibicibus vel alio quo modo laesa, sic ille ridiculos et perversos aequalium mores acerbe castigando multos laesit, dum salibus ac facetiis iis, quos non notat, risum excitat. — *charta*] «in eadem illa Satira 1, 4, 7.»

Nec tamen hoc tribuens dederim quoque cetera; nam sic
Et Laberi mimos ut pulchra poëmata mirer.
Ergo non satis est risu diducere rictum
Auditoris; et est quaedam tamen hic quoque virtus.
Est brevitate opus, ut currat sententia neu se
Impediat verbis lassas onerantibus aures;
Et sermone opus est modo tristi, saepe iocoso,
Defendente vicem modo rhetoris atque poëtae,
Interdum urbani, parcentis viribus atque
Extenuantis eas consulto. Ridiculum acri

6. *Laberi*] Macrob. Sat. 2, 7: *D. Laberium, asperae libertatis equitem Romanum, Caesar quingentis milibus invitavit, ut prodiret in scenam et ipse ageret mimos, quos scriptitabat. Sed potestas non solum, si invitet, sed etiam si supplicet, cogit; unde se et Laberius a Caesare coactum in Prologo testatur his versibus*, cet. Sequitur Prologus optimis utique poësis Latinae monumentis adnumerandus: verum mimi ipsi non solum Horatio, sed etiam Ciceroni haud nimis placebant. Ad Fam. 12, 18: *Equidem sic iam obdurui* (a. u. c. 709.), *ut ludis Caesaris nostri aequissimo animo — audirem Laberii et Publii* (Syri) *poëmata.*

7 – 12. *diducere rictum*] «lectorem vel invitum ad risum quasi cogere, ei risum profusum movere:» «quamquam, inquit, hoc quoque non minimum satirici poëtae est meritum.» — *currat*] «multa cum facilitate progrediatur neque claudicet nevé insistat.» Reprehendit Lucilii verbositatem frequentesque a re degressiones, quibus vitiis defatigabatur lector. Nec satis illum artem calluisse significat, *tristia*, id est, gravia ac seria, iocosis immiscendi, sed ioca unice captasse. «Satirarum autem scriptor partes interdum sustinere debet *rhetoris* s. oratoris lectorem ad virtutem exhortantis hominumque vitia acriter exagitantis, saepius vero *poëtae*, modo actiones ridiculas describentis, ut est Iter Brundusinum, Importunus, Colloquium cum Trebatio, modo malos et vitiosos salse deridentis.»

13 — 15. *urbani*] «εἴρωνος, omnem scurrilitatem scite devitantis ac propter id ipsum, cum multo acrius vehementiusque in vitia invehi posset, proprias vires extenuantis, sic tamen, ut lectorem minime fugiat, non ingenii inopia, sed dedita opera poëtam ita sibi moderatum esse ac veluti frenos imposuisse, ut ne nimis iocosus et scurriliter mordax evaderet.» — *secat*] «dirimit, decidit.» Sic Epp. 1, 16, 40: *Quo multae magnaeque secantur iudice*

**Fortius et melius magnas plerumque secat res.**
**Illi, scripta quibus comoedia prisca viris est,**
**Hoc stabant, hoc sunt imitandi; quos neque pulcher**
**Hermogenes unquam legit neque simius iste,**
**Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum.**
**At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis**
**Miscuit. O seri studiorum! quine putetis**
**Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti**
**Contigit? At sermo lingua concinnus utraque**
**Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est.**

*ltes.* «Ridiculum saepe magis commovet homines quam gravis ac seria declamatio etiam in rebus magni momenti.»

16—19. *comoedia prisca*] Sat. 1, 4, 1: *Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poëtae.* — *stabant*] «propter illas virtutes adeo populo placebant, ut ab initio usque ad finem plausum ferrent; atque etiamnunc eos nos admiramur: etsi pulchellus ille et delicatus (*stutzerhafte*) Hermogenes Tigellius (Sat. 1, 4, 72. 1, 9, 25.) nunquam hos legit.» Is igitur, etsi facetus esse studebat, vera facetiarum exemplaria negligebat. — *simius iste*] vel, «ineptus Tigellii imitator» vel, ut narrant Scholiastae, «propter deformem ac brevem staturam.» — De C. Licinio Calvo oratore et poëta, Catulli amico, praematura morte circiter a. u. c. 706. exstincto cfr. Weichert Poët. Lat. p. 89.

20. 21. *Graeca Latinis*] Placebat igitur nonnullis Horatii aequalibus vitiosa illa consuetudo verba Graeca, interdum etiam integros versiculos Latinis intermiscendi, qui mos in epistolis dumtaxat familiaribus illi tolerandus videbatur. — *O seri studiorum*] Hoc ipso tam perverso iudicio satis isti demonstrabant sero se incepisse litteris operam dare. Ὀψιμαθία autem optimo iure antiquis perquam ridicula videbatur. Cfr. Theophr. Char. 27. Cic. ad Fam. 9, 20: ὀψιμαθεῖς *homines scis quam insolentes sint.* — *quine putetis*] Constructio contracta ex his: «*putatisne?*» et: «*qui putetis*»; «*dass ihr doch glauben könnet!*»

22—24. *Pitholeonti*] liberto M. Otacilii, unde Macrobio Sat. 2, 2. dicitur *M. Otacilius Pitholaus* (*Πειθόλαος, Πειθόλεως, Πειθολέων.*) Suet. Caes. 75: *Pitholai carminibus maledicentissimis laceratam existimationem civili animo tulit.* — *concinnus*] «gratum in modum mixtus.» Chio enim vino dulci, cui aqua marina non addebatur, interdum miscebant Falernum austerum, unde utrumque saepe coniungitur apud poëtas. — *nota*]

Cum versus facias, te ipsum percontor, an et cum
Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli,
Scilicet oblitus patriaeque patrisque, Latine
Cum Pedius causas exsudet Poplicola atque
Corvinus, patriis intermiscere petita
Verba foris malis, Canusini more bilinguis?
Atque ego cum Graecos facerem natus mare citra

v. 27. *oblitos* de Bentl. susp. Heindorf. Ib. *Latini* B. e Codd.

«vini genus titulo amphorae indicatum.»

26. *causa Petilli*] «Cum causa aliqua peragenda est difficilis ac paene desperata, cuiusmodi fuit Petillii Capitolini de furto coronae Iovis in iudicium vocati.» Sat. 1, 4, 94. Hic sane non nimis honorifice *dura* eius hominis causa dicitur. («Malignę *dura*; nam ab Octaviano absolutus est.» Schol.)

27 — 30. *Scilicet oblitus - - Latine*] «Cum praestantissimi nostrae aetatis oratores Pedius et Messala» (quos *ἐν παρόδῳ* dexterrime laudat:) «in eo summo opere elaborent, ut puro atque eleganti sermone Latino causas agant, tune oblitus te Romanum esse, malis etiam apud iudices verba peregrina patriis immiscere? Adeo stultus certe vix eris, nam comparatus cum illis, ab omnibus explodereris.» — *patriae patrisque*] dictum est, ut aliquoties apud Salustium (Cat. 6, 52. Iug. 87.) *patria parentesque*. Nec *exsudare causas Latine* ullam habet difficultatem; sed recte explicatum est in Cod. Bland.: cum omni sudore Latine recitet, Latine proferat.» — Q. Pedius, filius ex sorore C. Iulii Caesaris atque unus ex heredibus eius, a. u. c. 711. mortuus, uxorem habuit Valeriam atque e filio Quinto nepotem natura mutum. Adoptavit igitur filium alterum Messalae maioris, qui inde Pedius dictus est. Pedii frater itaque Corvinus fuit et uterque Poplicolae cognomen habuit. (In legendo iunge *Pedius Poplicola*, non *Poplicola atque Corvinus*.) — M. Valerius Poplicola Messala Corvinus, Tibulli fautor, *nitidus et candidus et quodammodo praeferens in dicendo nobilitatem suam; viribus minor Asinio Pollione*. Quinctil. 10, 1, 113. — *Canusii*, Apuliae oppido, et Graeci et Osci habitabant et utroque sermone, Graeco et Osco, utebantur. Sic *bilingues Brutates* (Bruttios) propter eandem causam dixerant et Ennius et Lucilius.

31 — 35. *mare citra*] in Italia. — *Post mediam noctem*] Moschus 2, 2: *Νυκτὸς ὅτε τρίτατον λάχος ἵσταται, ἐγγύθι δ' ἠὼς, - - Εὗτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων.* — *In silvam ligna ferre* simile proverbium illius: *γλαῦξ' ἐς Ἀθήνας.* — *implere*] «Si malis

**Versiculos, vetuit me tali voce Quirinus,**
**Post mediam noctem visus, cum somnia vera:**
**In silvam non ligna feras insanius ac si**
**Magnas Graecorum malis implere catervas.**
**Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona, dumque**
**Defingit Rheni luteum caput, haec ego ludo,**
**Quae neque in aede sonent certantia iudice Tarpa,**
**Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.**
**Arguta meretrice potes Davoque Chremeta**

augere innumerabilem Graecorum poëtarum turbam interque hos te intrudens eam refercire, tamquam nemini alii iam locus futurus sit.»

36. 37. *Turgidus Alpinus*] Lepide sic vocatur M. Furius Bibaculus Cremonensis, natus a. u. c. 651, qui a. u. c. 723. annos LXXII. numerabat; nam etiamtunc eum in vivis fuisse probabile est. Praeterea composuerat Aethiopidem, in qua Memnonis, Tithoni et Aurorae filii ab Achille interfecti, primae erant partes. «Διλόγως autem *iugulat:* ita pugnam illam narrat, ut iterum videatur Memnona iugulare suis carminibus.» Comm. Cruq. Idem *παραμάτειαν* belli Gallici a Caesare gesti composuerat, in qua legebatur versus ille ridiculus: *Iuppiter hibernas cana nive conspuit Alpes* (Sat. 2, 5, 43.), propter quem ipsum festive hic vocatur *Alpinus, der Alpendichter.* In eadem *παραματείᾳ* erat turgida descriptio *capitis Rheni.* Rheni figura in triumpho portata, capillitio flavo, gentis suae colore; ut est Ovid. ex Ponto 4, 3, 107: *Squalidus immissos fracta sub arundine crines Rhenus et infectas sanguine portet aquas.* Attributo certe *lutei* ipse Furius usus erat, quapropter h. l. ridetur. *Defingit* autem: «operose et *καχοζήλως* format, describit.» *(abformen.)*

38. 39. *ludo*] «Missum faciens poëma heroicum et tragoediam, sermones, ludicrum poësis genus, ego excolo.» — *in aede*] in templo s. sacello aliquo Musarum, ut dicunt Scholiastae. Aedes certe Apollinis Palatini tum nondum dedicata erat. — *Tarpa*] Sp. Maecio Tarpa, summo illorum temporum critico (A. P. 387.), cui iam a Cn. Pompeio Magno a. u. c. 699., Horatii verò tempore a Caesare Octaviano cum aliis quinque iudicibus cura iudicandarum fabularum ac mimorum commissa erat, quae nisi ab iis probarentur, in scenam non deferebantur. Comm. Cruq. Ea cura antea fuerat aedilium; sed intererat Octaviani, ne quidquam per mimos praesertim in civitate «cuncta interpretante» (Tacit. Hist. 2, 91.) publice proferretur, quod in ipsius dominationem ac mores maligne detorqueri posset.

40. 41. *Arguta*] «astuta,» ut Epp. 1, 14, 42: *argutus calo.* —

**Eludente senem comis garrire libellos**
**Unus vivorum, Fundani; Pollio regum**
**Facta canit pede ter percusso; forte epos acer**
**Ut nemo Varius ducit; molle atque facetum**
**Virgilio annuerunt gaudentes rure Camenae.** 45
**Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino**
**Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,**
**Inventore minor; neque ego illi detrahere ausim**
**Haerentem capiti cum multa laude coronam.**

*Davoque Chremeta*] personae Andriae Terentianae. — *comis*] antique pro *comes*, «hilares atque lepidos.» Non est vocativ. sing. v. *Fundani*. *Garrire* autem est sermone quotidiano, eleganti quidem, sed facili, uti in conscribendis fabulis.

42 — 44. *Fundani*] C. Fundanius praestantissimus poëta comicus et Maecenatis amicus (Sat. 2, 8, 19.) tunc excellebat in comoediis ad Menandri, Philemonis, Diphili exempla componendis, in quibus praecipuae partes erant callidarum meretricularum astutorumque servorum senes emungentium. — *Pollio*] C. Asinius Pollio, orator, historicus, poëta tragicus. V. Od. 2, 1. — *pede ter percusso*] «Tragoedia trimetris versibus (senariis) fere texitur.» Comm. Cruq. Tibicen autem in singulis dipodiis pede percusso numeros *(den Tact)* indicabat; unde *percussio* idem atque ictus, χρόναις. — *acer*] «fervidus» *feurig*. L. Varius (Od. 1, 6. 1.) carmen epicum de Caesaris morte et Panegyricum in Octavianum composuerat; Thyestem tunc nondum videtur edidisse. — *ducit*] quasi a nendo. Epp. 2, 1, 225: *tenui deducta poëmata filo.*

45 — 49. *Virgilio*] qui tunc ediderat Bucolica et Georgica, Aeneida in manibus habebat. Illis tribuit dicendi genus *molle* (tenerum) atque *facetum* (venustum, *voller Anmuth.*) Quinctil. 6, 3, 20: *Facetum quoque non tantum circa ridicula opinor consistere. Neque enim diceret Horatius facetum carminis genus natura concessum esse Virgilio. Decoris hanc magis et excultae cuiusdam elegantiae appellationem puto.* — *Varrone*] P. Terentius Varro Atacinus (ab Atace, Galliae Narbonensis fl.) a. u. c. 672 — 717. Argonautica, laudabiliter Apollonium imitatus, carmen de Caesaris bello Aquitanico, elegias, satiras conscripserat. Quinctil. 10, 1, 87. — *Atque quibusdam aliis*] Quos significet ignoramus, fortasse Saevium Nicanorem, Sullae aequalem, «*qui satiram scripsit, in qua libertum se indicabat* (Suet. Gramm. 5.)» et alios suos aequales nobis igno-

At dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis. Age, quaeso,
Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?
Non ridet versus Enni gravitate minores,
Cum de se loquitur non ut maiore reprensis?
Quid vetat et nosmet Lucili scripta legentes
Quaerere, num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos et euntes

tos. — *Haerentem*] «ei merito debitam, adeo ut, ne si vellem quidem, eum hac laude spoliare possem.»

50—55. *fluere*] Sat. 1, 4, 11. «torrentis instar secum trahentem plura quidem recidenda servandis.» — *doctus*] «criticus.» Eiusmodi reprehensiones Homeri ex schola Grammaticorum Alexandrinorum profectae complures inveniuntur in Scholiis Venetis. — *comis*] refertur ad illam animi bonitatem, quam merito in eo laudat Sat. 2, 1, 30 seqq. — *mutat*] «mutandum s. corrigendum suadet in L. Accii tragoediis.» «Idem Lucilius,» inquit, «minime abstinet a deridendis Ennii versibus minus gravibus quam reliqua eius et omnino epici generis dignitas requirit, ut cum dixit: *At tuba terribili sonitu taratantara dixit. — O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti Damna. — telo Transfigit corpus, saxo cere comminuit brum.*» V. *Enni* autem refertur et ad v. *versus* et ad v. *gravitate*. — *loquitur non ut maiore reprensis*] «nec tamen Lucilius ita loquitur, quasi illis maior sit: neque ego tam sum arrogans, ut, quod inculta et negligentiora quaedam in Lucilii Satiris dico, me illi praeferam.»

57. 58. *num illius*] «num illius ingenium ac facultas poëtica non satis benigna minusque apta ad pulchra poëmata componenda, num argumentorum ipsorum difficilis atque ingrata natura in causa fuerit, cur tam scabros versus fuderit. Neutrum profecto: culpa huius rei unice negligentiae Lucilii tribuenda est: nam et ingenio valuit, et festiva ac lepida argumenta tractavit.» *Num-num*] duo haec membra *ἀπὸ παραλλήλου* posita sunt, neque vero opponuntur; suamque retinet particula vim, ut negatio exspectetur. Sic Virg. Aen. 7, 294: *num Sigeis occumbere campis, Num capti potuere capi? num incensa cremavit Troia viros?* — *magis factos*] «maiore arte elaboratos;» ut Graeci *κεκοσμημένα* dicunt, quae cum arte elata sunt. Cic. de Orat. 3, 48: *oratio polita et facta quodammodo.*

Mollius, ac si quis pedibus quid claudere senis,
Hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem coenatus; Etrusci
Quale fuit Cassi rapido ferventius amni
Ingenium, capsis quem fama est esse librisque
Ambustum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,
Comis et urbanus, fuerit limatior idem
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor,
Quamque poëtarum seniorum turba; sed ille,
Si foret hoc nostrum fato dilatus in aevum,
Detereret sibi multa, recideret omne quod ultra
Perfectum traheretur, et in versu faciendo

v. 68. *delatus* Fea e Codd.

59—64. *ac si*] Post adiectivi comparativum haud raro apud poëtas simpliciter pro *quam si*. Sat. 1, 2, 21: *non se peius cruciaverit atque hic.* — *Hoc tantum*] «Si quis hoc tantum contentus, ut claudat quid hexametris, nulla ratione habita caesurarum et ipsius soni, plerumque nimis asperi atque ingrati, amet scripsisse (aorist.)» cet. Cfr. Sat. 1, 4, 9. — *Etrusci-Cassi*] Cassius hic diversus fuit a Cassio Parmensi, cum laude memorato Epp. 1, 4, 3. qui quo tempore haec satira composita est, a. u. c. 723. in vivis erat. Quod hic narrat Horatius urbani alicuius hominis ac derisoris fuit inventum. — *ferventius*] hic malo significatu. Contra Od. 4, 2, 7: *Fervet immensusque ruit profundo Pindarus ore.* — *Ambustum*] «libris circumcirca positis ustulatus.» Sic Od. 4, 11, 25: *ambustus Phaëthon*. Consulto mitius verbum elegit, ne nimis rem exaggeraret, non *combustum*.

65—67. *Fuerit*] «id quod vos identidem dicitis, ego non nego.» — *Quam rudis*] «Libenter etiam concedo limatiorem esse Lucilium quam Ennium, auctorem generis rudis (*ungestalt*) et propter hanc ipsam rudem formam (ἀγροικίαν) a Graecis nunquam tentati, id est, reiecti.» Ovid. Trist. 2, 424: *Ennius ingenio maximus, arte rudis.* — *poëtarum seniorum*] Livii Andronici, Cn. Naevii, Pacuvii, Plauti, Caecilii Statii, Accii.

68—71. *dilatus*] «prolatatus, reservatus,» id est, «si fatum eum nostra aetate vivere voluisset.» — *Detereret*] veluti lima, *recideret*, falce putaret. «Tum longe aliter scripsisset; politiores, minus

Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues.
Saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint,
Scripturus, neque, te ut miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus. An tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego: nam satis est equitem mihi plaudere, ut audax,
Contemptis aliis, explosa Arbuscula dixit.
Men moveat cimex Pantilius, aut cruciet quod
Vellicet absentem Demetrius, aut quod ineptus
Fannius Hermogenis laedat conviva Tigelli?
Plotius et Varius, Maecenas Virgiliusque,
Valgius et probet haec Octavius optimus atque
Fuscus et haec utinam Viscorum laudet uterque!
Ambitione relegata te dicere possum,

asperi essent eius versus, Graeca non immiscuisset, omnia vitasset, quae nunc apud eum perfectioni poëticae officiunt.» — *vivos*] «usque ad ipsam carnem.»

72—77. *stilum vertas*] Superiore parte stili lata oblitterabant, quae in cera exararant inferiore acuta. — *Vilibus in ludis*] Epp. 1, 20, 17. — *dictari*] Persius 1, 29: *Ten cirratorum centum dictata fuisse Pro nihilo pendas! — equitem*] id est, «homines cultos atque artis peritos, quales equites Romanos esse decet.» — *Arbuscula*] mima eximia. Cic. ad Att. 4, 15: *Quaeris nunc de Arbuscula: valde placuit.*

78—80. *Pantilius*] «Pantilius nomen est vilis poëtae et maleolentis.» Comm. Cr. Sed *cimicem* potius appellat a putida et foeda maledicentia; clam adversarios pungebat, ut solent cimices. — *Demetrius*] idem modulator, quem v. 18. *simium* vocat. Construe: *men moveat cimex Pantilius aut cruciet* illud, *quod* cet. — *Fannius Quadratus*, poëta ineptus (Sat. 1, 4, 21.) h. l. Hermogenis Tigellii, hominis aeque molesti, parasitus.

81—84. *Plotius*] De *Plotio* et *Vario* v. Sat. 1, 5, 40. *T. Valgius Rufus*, poëta epicus et elegiacus, ad quem est Od. 2, 9. Tib. 4, 1, 180. — *Octavius* poëta et historicus, in cuius mortem est Virgilii Catal. 14. *Fuscus Aristius* Sat. 1, 9, 61. *Visci* Ibid. v. 22. — *Ambitione relegata*] «Procul profecto absum a gloriola captanda, cum vos, in his etiam primores civitatis, Maecenatem, Asinium Pollionem (Od. 2, 1.), Messalam, inter amicos meos enumero.»

Pollio, te, Messala, tuo cum fratre simulque
Vos, Bibule et Servi, simul his te, candide Furni,
Complures alios, doctos ego quos et amicos
Prudens praetereo; quibus haec, sunt qualiacumque,
Arridere velim, doliturus, si placeant spe
Deterius nostra. Demetri, teque, Tigelli,
Discipularum inter iubeo plorare cathedras.
I, puer, atque meo citus haec subscribe libello.

v. 86. *Bibule*] Muretus. Libri *Bibuli*. v. 88. *sint* Alii.

85. 86. *fratre*] Q. Pedio Poplicola. Vide supra v. 28. — *Bibule*] Sic scripsi; etenim perquam inconcinnum videtur hoc: «*vos*, (duo) *Bibuli* (nomen) *et* (te unum), *Servi* (praenomen.) Bibulum vel Bibulos volunt esse M. Calpurnii Bibuli consulis cum Caesare a. u. c. 695. filium vel filios. Id tamen notandum a. u. c. 723. tres certe eius filios exstinctos fuisse. — *Servius* filius fortasse Ser. Sulpicii Rufi ICti, tribunus pl. a. u. c. 706., qui philosophiae et artibus liberalibus operam dabat. — *C. Furnius* «historiarum fide et elegantia claruit.» Comm. Cruq. Teste Seneca de Benef. 2, 25: *patri Antonianas partes secuto* apud Octavianum *veniam impetravit*.

88. 89. *Prudens*] «consulto, non per oblivionem.» Addit hoc, ne quis se praeteritum queratur. 91. 92. *Discipularum*] Ridiculam scenam lectori offert, pulchellos illos vocis et cantus modulatores inter puellas vel ingenuas (Acr.) vel mimas (Comm. Cr.) cantilenas docentes, qua in schola invicem delicias faciebant et magistri et discipulae. — *plorare*] «Salissima utitur διλογίᾳ; nam et *plorant*, qui docent puellas cantiunculas amatorias flebili et molli voce decantare et *plorare* iubent Graeci quibus gravem imprecantur calamitatem, quod κλαίειν et οἰμώζειν illi dicunt.» Baxter. — *cathedras*] feminarum sedilia commodiora. *Molles* vocat Iuven. 6, 91. — *I, puer*] «Eleganter, quasi hoc ex tempore dixerit, praecipit puero, ut in hanc ipsam satiram «illud conferat, ne pereat tam opportunum et scitum in modulatores istos dictum.» Porphyr. — *haec*] «haec ipsa verba, οἰμώζειν σε κελεύω, μιαρώτατε.» Propert. 3, 23, 23: *I, puer, et citus haec aliqua propone columna*. — *libello*] ut Pers. 1, 120. de una illa satira: *Vidi, vidi ipse, libelle*.

# Q. HORATII FLACCI
# SATIRARUM
## LIBER SECUNDUS.

## SATIRA I.

**Sunt quibus in satira videor nimis acer et ultra**
**Legem tendere opus; sine nervis altera, quidquid**

v. 1. *videar* Codd. aliq.

I. Simulans se C. Trebatium Testam, insignem iuris peritum, *qui in iure civili familiam ducebat* (Cic. ad Fam. 7, 5.), consulere, quid in tanta obtrectatorum in se satirasque suas iniquitate faciat, tamen hoc genere omisso Caesaris res gestas, iustitiam, fortitudinem carmine epicopanegyrico praedicare nondum se audere dexterrime significat, (a quo genere suae indoli contrario omnino abhorrebat:) contra in satiris componendis, Lucilii, de quo aequissime iudicat, exemplo sibi proposito, etiam postmodum se perseveraturum, quoniam hoc genus suae naturae maxime sit consentaneum. «Verum», inquit, «in posterum in eos dumtaxat invehar, qui me ultro aggressi fuerint:» quorum hac ipsa occasione oblata nonnullos acriter vellicat. «Tales autem nebulones,» (pergit, memorata Lucilii cum Scipione et Laelio necessitudine vel propter summam illius libertatem nunquam dissuta) ubi perstrinxero, nunquam profecto timebo, ne potentes amicos a me abalienem.» Iam Trebatius, qui ICti partes per hanc satiram dramaticam egregie tuetur, festivam iuveni amico cautionem praescriptionemque praecipit, (cfr. ad v. 5.) «ne unquam *mala carmina* componat,» eumque in generoso proposito confirmat. Scripta videtur a. u. c. 726., ut huius libri tunc editi quasi prologus esset.

1—4. *Sunt quibus - - videor*] Haec constructio Horatio solita h. l. satis etiam a Codd. firmatur. Cfr. Sat. 1, 4, 24. — *Legem*] ut A. P. 135: *operis lex*, «regula et ratio satirae Romanae.» — *tendere*] Imago desumpta a fidibus lyrae vel nervis arcus nimium intentis. — *sine nervis*] «Dicunt versus meos nullius esse momenti et carere viribus ingenii, adeo, ut quivis

**Composui, pars esse putat similesque meorum**
**Mille die versus deduci posse. Trebati,**
**Quid faciam, praescribe. Quiescas. Ne faciam, inquis,**
**Omnino versus? Aio. Peream male, si non**
**Optimum erat: verum nequeo dormire. Ter uncti**
**Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,**
**Irriguumque mero sub noctem corpus habento.**
**Aut, si tantus amor scribendi te rapit, aude**
**Caesaris invicti res dicere, multa laborum**
**Praemia laturus. Cupidum, pater optime, vires**

v. 10. *capit* B. e C1d.

facili opera tales effutiat.» Cfr. Sat. 1, 10, 13. — *deduci*] a nendo. Sat. 1, 10, 44. Epp. 2, 1, 225: *tenui deducta poëmata filo.* — *Trebatius*] C. Trebatius Testa, amicus Ciceronis, qui cum eo in Epp. ad Fam. Lib. 7. saepe iocatur, tribunus pl. a. u. c. 707., auctore certe Pighio T. 3. p. 451., a. u. c. 726. senex sexagenarius, hilaris et ad iocum urbanum in primis factus, Horatio tunc XXXVII. annos nato sane placere debebat.

5—7. *praescribe*] Est verbum proprium de ICtis. Cic. Orat. 40. Ed. meae min.: *Quis unquam dubitavit, quin in re publica nostra primas eloquentia tenuerit semper urbanis pacatisque rebus, secundas iuris scientia? cum in altera gratiae, gloriae, praesidii plurimum esset; in altera praescriptionum cautionumque praeceptio* cet. — *Quiescas*] Cum comica gravitate ICtus brevissime, singulis prope verbis parcens, respondet. — *dormire*] «Si, quae animo voluto, versibus includere vetor, adeo inquietor, ut insomniis fatiger.»

8. 9. *Ter-transnanto*] Sic iunge non: *ter uncti.* Hic quoque legum sermonem facete imitatur. Cfr. Od. 1, 8, 8. Od. 3, 12, 16. «Quod vero *ter*, inquit, *transnanto*, id quoque et a medicis et a magis petitum est; impari enim et praecipue ternario numero summam vim illi tribuunt.» Torr. — *Irriguum*] Sic Graeci τέγγειν πνεύμονας οἴνῳ, βεβρεγμένος οἴνῳ, Latini *madere, uvidum esse vino.* Ipse autem Trebatius valde amabat et natationem et scyphos. Cic. ad Fam. 7, 20: *qui neque in Oceano natare volueris studiosissimus homo natandi:* et 7, 22: *Illuseras heri inter scyphos, quod dixeram . . . : itaque etsi domum bene potus seroque redieram* cet.

10—12. *te rapit*] «Si omnino huic scribendi cupidini resistere

**Déficiunt: neque enim quivis horrentia pilis**
**Agmina nec fracta pereuntes cuspide Gallos**
**Aut labentis equo describat volnera Parthi.**
**Attamen et iustum poteras et scribere fortem,**
**Scipiadam ut sapiens Lucilius. Haud mihi deero,**
**Cum res ipsa feret. Nisi dextro tempore, Flacci**
**Verba per attentam non ibunt Caesaris aurem,**
**Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus.**
**Quanto rectius hoc quam tristi laedere versu**
**Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem!**

v. 15. Alii *describit* (B.), *describet*. v. 20. *recalcitret* B.

non potes,» cet. — *Praemia*] Caesaris ipsius approbationem et gloriam apud populares: de donis intelligere minime conveniret poëtae urbanitati ac modestiae. — *pater*] Sic seniores viros solebant alloqui iuniores.

13—15. *neque enim*] Od. 1, 6, 9. 2, 12, 9. 4, 2, 27. — *fracta - cuspide*] Plutarchus in Mario p. 419. D. «Ea pars ligni, quae in ferrum inseritur, antea duabus fibulis ferreis continebatur: Marius autem alteram quidem, quemadmodum erat, reliquit; altera vero exempta, clavum ligneum fragilem in eius locum immisit, eo consilio, ut pilum ad clipeum hostis coniectum non maneret rectum, clavo ligneo fracto curvaretur ferrum et lignum transversa cuspide haerens deorsum penderet.» — *describat*] «describere possit.» Hic enim modus aptior videtur quam indicativi vel praesens vel futurum.

16—18. *poteras*] de actione hypothetica *(posses)* ita enuntiata ac si iam locum habuisset, utpote quae saltem perquam optabilis sit. — *fortem*] «constantem ac magnanimum,» ut Epp. 1, 7, 46: *strenuus et fortis - Philippus*. — *Scipiadam*] Africanum minorem. — *dextro tempore*] Sat. 2, 4, 4. opponitur *tempore laevo*. Admodum scite totam rem in futurum aliquod tempus magis opportunum differt, cum re vera genus istud panegyricum Vario et Rabirio reliquisset.

19. 20. *male*] «Quem si quis laudibus extollat ineptis atque immoderatis, ille eas dedignatur et respuit.» — *undique tutus*] «Quomodo equus recalcitrando arcet a se molestum palpatorem, sic Caesar ineptos adulatores, ita ut quoquo versus se ab eorum incursu tutetur.»

21—26. *tristi*] «mordaci et satirico.» Comm. Cr. — *Pantola-*

Cum sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit.
Quid faciam? Saltat Milonius, ut semel icto
Accessit fervor capiti numerusque lucernis.
Castor gaudet equis; ovo prognatus eodem
Pugnis; quot capitum vivunt, totidem studiorum
Milia. Me pedibus delectat claudere verba
Lucili ritu nostrûm melioris utroque.
Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris; neque, si male cesserat, unquam
Decurrens alio, neque si bene; quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis. Sequor hunc Lucanus an Apulus anceps:

*bum*] Sat. 1, 8, 11. — *Saltat*] contra decorum. Cic. pro Mur. 6: *Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit - - multarum deliciarum comes est extrema saltatio.* — *Milonius*] «Scurra illorum temporum.» Porph. — *ut semel*] «eo ipso temporis momento, quo primum ebrius factus est.» — *icto*] «vinolentia capiti perturbato.» Comm. Cr. — *lucernis*] Iuven. 6, 304: *Cum bibitur concha, cum iam vertigine tectum Ambulat et geminis exsurgit mensa lucernis.* — *Castor*] Il. γ, 237: *Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα.* — *ovo*] Ledae a Iove cygni specie compressae. «Vel fratres gemelli diversa sequuntur studia; quid, quaeso, faciant, qui cognati inter se non sunt?»

27—29. *quot capitum*] «Terentianum illud (Phorm. 2, 4, 14:) *Quot homines, tot sententiae; suus cuique mos.*» Schol. — *claudere*] Sat. 1, 10, 59. — *nostrum*] «Qui melior fuit me et te, o Trebati censu et natalibus.» Fuit enim vir bonus et valde nobilis, utpote Magni Pompeii avus. Comm. Cr. Etiamnunc in talibus volgo utimur. Tale est Lucretii illud 3, 1038: *Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit, Qui melior multis quam tu fuit, improbe, rebus.* Rutgers.

30—33. *Ille*] «intimos animi affectus et arcanas curas concredebat s. committebat Satiris suis; magna cum simplicitate *(naïveté)* omnia cum lectoribus communicans, sive quid in vita quotidiana ei mali acciderat, seu quid prosperi contigerat.» — *Decurrens*] «aliud confugium quaerens.» — *quo fit*] «Solent naufragi suum naufragium in tabella depictum circumferre eamque in templis alicui deo consecratam suspendere. Ad hunc modum Lucilii vita tam clara est in eius libris, quasi esset depicta in aliqua tabula.» Comm. Cr. Ceterum demonstrat hic locus, quanti Horatius

**Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus,**
**Missus ad hoc pulsis, vetus est ut fama, Sabellis,**
**Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis,**
**Sive quod Apula gens seu quod Lucania bellum**
**Incuteret violenta. Sed hic stilus haud petet ultro**
**Quemquam animantem et me veluti custodiet ensis**
**Vagina tectus; quem cur destringere coner**
**Tutus ab infestis latronibus? O pater et rex**
**Iuppiter, ut pereat positum rubigine telum,**
**Nec quisquam noceat cupido mihi pacis! at ille,**
**Qui me commorit, melius non tangere! clamo,**
**Flebit et insignis tota cantabitur urbe.**

fecerit Lucilii et animum et ingenium; sed unum in eo reprehendere solebat negligentiae vitium. — *senis*] Hieronymus in Chron. ad Ol. 169, 2. XLVI. duntaxat annos ei tribuit (a. u. c. 606—651.) Sed cum fuerit amicus Africani minoris interfecti a. u. c. 625. et sub eo Numantino bello (a. 621.) eques militaverit, sane credibile est ab Hieronymo errorem esse commissum.

34—38. *Lucanus*] Opponit se in municipio natum Lucilio equiti Romano, ut Iuvenalis 6, 167. Venusinam nobili Romanae. In hac tota autem degressione animi causa imitari videtur ipsum genus Lucilianum. — *anceps*] «Ego dubius sum atque incertus; nam Venusini Lucanis sunt finitimi et Apulis.» Porph. — *ad hoc, — quo ne*] «ad hunc finem, — ut ne;» rarissimo usu. — *Sabellis*] Sat. 1, 9, 29. — *per vacuum*] «si non resistierent hosti coloni Venusini.» — *Romano*] vel pro Romanis ut Epod. 7, 6., vel supple *agro*, ut Cic. Verr. Acc. 3, 15: *cum ex Leontino usque ad Lilybaeum aliquem vadaretur.* — *sive quod*] in pros. or. «sive aliquod bellum inferret:» dictum est ut *incutere verbera, minas, metum.*

39—44. *hic stilus*] «Neminem iam hoc carminum genere lacessam, nisi ipse provocatus ero:» (id quod inest in v. *ultro.*) — *ut pereat*] Tractum ex Callimacho hoc, Frägm. 7: Ζεῦ πάτερ, ὡς Χαλύβων πᾶν ἀπόλοιτο γένος Τηλόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν οἵ μιν ἔφηναν (chalyba.) — *noceat*] «nemo me lacessat iniuria.»

45—49. *commorit*] «lacessierit, provocarit.» Acr. — *Flebit*] «dolebit,» Graecismus, *οἰμώξεται* vel *κλαύσεται.* — *insignis*] «omnibus iam propter perversitatem notus deridebitur.» *Cantabit*, ut *ὑμνεῖσθαι*, «omnibus in ore

Cervius iratus leges minitatur et urnam,
Canidia Albuti, quibus est inimica, venenum:
Grande malum Turius, si quid se iudice certes.
Ut, quo quisque valet, suspectos terreat, utque
Imperet hoc natura potens, sic collige mecum:
Dente lupus, cornu taurus petit; unde nisi intus
Monstratum? Scaevae vivacem crede nepoti
Matrem: nil faciet sceleris pia dextera; mirum,
Ut neque calce lupus quemquam neque dente petit bos;
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.

v. 49. *si quis se iudice certet* Codd. aliq. Lamb.

esse, et quidem cum infamia.» — *Cervius*, quadruplator et rabula, Ascanii (?) libertus, calumniator accusavit Cn. (Domitium) Calvinum (cos. a. u. c. 701.) lege de sicariis.» Comm. Cruq. *Servius* C2dd. Feae esset Servius Pola accusator, de quo Caelius ad Fam. 8, 12. Cic. ad Q. Fr. 2, 13: *homo teter et ferus Pola Servius.* — *Canidia*] s. Gratidia Epod. 5 et 17. Sat. 1, 8. Iunge *venenum Albuti:* «hic enim Albutius veneno uxorem suam dicitur peremisse.» Schol. — *Turius*] «C. Turium Marinum) significat iudicem corruptissimum.» Comm. Cruq. — *si quid se iudice certes*] Eadem constructio Sat. 2, 5, 27: *foro si res certabitur olim.*

50 — 52. *Ut, quo*] «Sic colligendo ex argumentis, quae tibi proponam (*συλλογίζων μετ' ἐμοῦ*) iudica, quomodo fiat, ut ea vi, qua quisque maxime praeditus est, terrorem incutiat sibi suspectis atque exosis.» — *unde nisi*] in prosa or.: «id quod unice intus eis monstratum est:» hoc autem convertit in interrogationem: «*unde* (hoc eis) *monstratum est nisi intus*, instinctu quodam naturali?»

53 — 56. *Scaevae*] «Scaeva luxuriosus quidam fuit, qui matrem dato veneno necavit, propterea quod ei nimis diu viveret. Sic Cicero pro Scauro (Fragm. Beier. p. 155:) *Libertus patronam non occidit, sed duobus digitulis gulam oblisit.*» Comm. Cr. — *crede*] «committe huic *ἀσώτῳ* matrem incustoditam: sane dextrâ, qua utique pius dici potest, eam non trucidabit.» — *mirum, Ut*] «Aeque mirum est hoc atque illud quod — petit bos,» id est, «neutrum profecto mirum est.» «Contrarium enim est Scaevae indoli ferro homines occidere, sed homo ignavus pro doloso suo ingenio promptus erit ad venenum matri miscendum:

Ne longum faciam: seu me tranquilla senectus
Exspectat seu mors atris circumvolat alis,
Dives, inops, Romae seu fors ita iusserit, exsul,
Quisquis erit vitae scribam color. O puer, ut sis
Vitalis, metuo et maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat. Quid? cum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis; num Laelius aut qui
Duxit ab oppressa meritum Karthagine nomen,

v. 59. *luserit* ex C1d. Fea. Mein. v. 65. *et qui* B. Mein.

reapse autem uterque necandi modus aeque sceleratus est.» — *vitiato*] «postquam cicuta a Scaeva immixta corrupit mel, hoc electarium (*Latwerge*) sive mulsum fuit, animum occidit.»

58 — 60. *Mors*] alata, ut eius frater, Somnus. Eurip. Alc. 262: *πτερωτὸς Ἅιδας*. Od. 2, 17, 24. — *iusserit*] omnes mei et Pottierii Codd. *Luserit* illud Feae destituitur ea auctoritate, quam in tam gravi mutatione requirimus. Praeterea Fortuna dea recte *ludere* dicitur (Od. 3, 29, 50.) non item *fors*. — *scribam, color*] «Quicunque erit tenor statusque vitae meae, scribere pergam, si qualicunque modo commotus ero (v. 45.) aequalium vel vitiis ridiculis vel in me iniquitate, et opprobriis dignos insectabor.»

60 — 62. *O puer*] Sic iuvenem amice alloquitur *pater* (v. 12.) Trebatius. — *vitalis*] pr. «qui ad diutius vivendum satis vigoris habet.» «Nec cito pereas, metuo:» (*ich fürchte, du treibest es nicht lange.*) Sine figura: «Vereor, ne omnes irritando tot tantasque molestias capias, ut tam ingratam vitam ipse detestaturus sis.» — *maiorum*] «ne aliquis ex potentioribus amicis refrigeratus se abs te abalienet amicitiamque tibi renuntiet.»

63 — 66. *Primus*] Cfr. Sat. 1, 10, 48. — *morem*] Cum saepissime iungantur vv. *mos modusque* (Od. 4, 2, 28.), hic simpliciter *morem* posuit pro *modo* s. *forma*, — *pellem*] «volpinam illam simulationis ac fraudis.» Cfr. locum simillimum Epp. 1, 16, 45., — *nitidus*] *gleissend* Voss. — *per ora*] Sal. Iug. 31: *incedunt per ora vestra magnifici* cet. — *Cederet*] Plaut. Cas. 2, 8, 10: *At candidatus cedit hic mastigia.* — *Laelius*] C. Laelius Sapiens, cos. a. u. c. 614.

Ingenio offensi aut laeso doluere Metello
Famosisque Lupo cooperto versibus? Atqui
Primores populi arripuit populumque tributim,
Scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis.
Quin ubi se a volgo et scena in secreta remorant
Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli,
Nugari cum illo et discincti ludere, donec
Decoqueretur olus, soliti. Quidquid sum ego, quamvis
Infra Lucili censum ingeniumque, tamen me
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque

67—70. *Metello*] Est Q. Caecilius Metellus Macedonicus, cos. a. u. c. 611., qui de Pseudophilippo triumphavit. Plin. H. N. 7, 44: *Equidem et Africani sequentis* (hunc Metellum, virum ceteroqui felicissimum) *inimicum fuisse inter calamitates duxerim, ipso teste Macedonico. Siquidem liberis dixit: Ite filii, celebrate exsequias; nunquam civis maioris funus videbitis.* — *Lupo*] Est L. Cornelius Lentulus Lupus, cos. a. u. c. 598. Mordaces in hunc Lucilii versus servavit Cicero de N. D. 1, 23: *Tubulus si Lucius unquam, Si Lupus aut Carbo, Neptuni filius, divos Esse putasset, tam impius aut periuru' fuisset?* — *cooperto*] tamquam lapidibus in eum iactis. — *arripuit*] «aggressus est, in eos acerrime invectus.» — *tributim*] «per omnes XXXV. tribus,» quasi dixisset: «populum cunctum.» Pers. 1, 114: *Secuit Lucilius urbem.*

71—74. *scena*] «a vita publica, ubi quasi in theatro, in omnium civium conspectu versabantur.» — *in secreta*] «intra suos parietes et in amoenos villarum secessus.» — *Virtus Scipiadae*] Cfr. Sat. 1, 2, 32. et supra v. 17. — *sapientia*] Populus uno consensu Sapientis ei cognomen tribuerat. — *discincti*] «soluto tunicae cingulo, ut commodius luderent.» — *Decoqueretur*] «Donec coena pararetur. Ostendit per herbas, eos fuisse sobrios.» Comm. Cr. *(gar kochen.)*

75—78. *ingenium*] Quatenus ille inventor huius generis fuit. — *fragili - - solido*] gen. neutr., imagine desumpta ab eo, qui dum avidius nucem aliquam, iuglandem puta vel avellanam, dentibus frangere volt, putamini nimis duro eos illidit sibique dolorem creat.

79. *hinc diffindere*] Hanc lectionem fuentur Acron et Comm. Cruq. sic explicantes; «infirmare, contra dicere. Iuris verbo usus est. Praetor enim dicere solebat: *Hic dies diffisus esto.*» Servata difficiliore lectione, ex qua non intellecta ceterae omnes *(defindere,*

Invidia et fragili quaerens illidere dentem
Offendet solido, nisi quid tu, docte Trebati,
Dissentis. Equidem nihil hinc diffindere possum.
Sed tamen ut monitus caveas, ne forte negoti
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum:
Si mala condiderit in quem quis carmina, ius est
Iudiciumque. Esto, si quis mala; sed bona si quis
Iudice condiderit laudatus Caesare? si quis
Opprobriis dignum latraverit, integer ipse?
Solventur risu tabulae, tu missus abibis.

v. 79. *hinc diffingere* e Codd. Bentl. v. 85. *laceraverit* e Codd. B.

*diffingere, defingere, defringere, diffundere, diffigere, diffidere*) ortae sunt, inclinat animus ad Feae interpretationem: «Senex lepidus et facetus utitur quidem verbo saepe a se audito et usurpato in iure civili, sed significatu proprio: «abscindere, removere ac reiicere.» Hoc igitur dicit: «omnino tuam sententiam probo.»

80 — 82. *Sed tamen ut monitus*] «Etsi aequa et vera sunt, quae dicis, tamen, ne propter *mala carmina* (id est, famosos libellos) actio iniuriarum aliquando tibi intentetur, pro amicitia nostra necessarium puto te monere» cet. — Post vv. quotidiani sermonis *Sed tamen - - legum* cogitatione supplebis «scito, sic habeto:» ut saepe. — *sanctarum - legum*] «quae summa reverentia dignae sancteque observandae sunt.» — *ius est iudiciumque*] «lex (Cornelia) lata est et actio iniuriarum in eum datur.»

83—85. *si quis mala*] Horatius festive accipit de vitiosis atque ineptis. — *laudatus*] Satis callide Caesaris auctoritate adversus iniquos suos se munit ac tutatur. — *latraverit*] pro «allatraverit:» (Liv. 38, 54: *Cato allatravit Scipionis magnitudinem;* et ad constr. *latrare aliquem* cfr. Epod. 5, 8. Epp. 1, 2, 66:) «si in talem hominem invectus erit,» id quod etiam iure fieri potest.

86. *Solventur risu tabulae*] Matthiae ad Cic. pro Rosc. Am. §. 82: «Cic. de Or. 2, 58: *odiosas res saepe, quas argumentis dilui non facile est, ioco risuque dissolvit*, ad nihilum redigit, evertit. Ut hic Cicero *res risu dissolvere* dixit, sic Horatius *solventur risu tabulae*, id est, sententiae iudicum mitiores, leniores fient risu, sed respiciens simul ad propriam significationem vv. *solvi* et *tabulae*.» *Tabulae* igitur idem quod in prosa or. tabellae iudiciariae; totius autem loci sententia haec: «Si quis adeo stultus erit, ut tecum iniuriarum agat, tu pro certo absolvere.»

# SATIRA II.

**Quae virtus et quanta, boni, sit vivere parvo;**
**Nec meus hic sermo est, sed quae praecepit Ofella**
**Rusticus, abnormis sapiens crassaque Minerva;**
**Discite non inter lances mensasque nitentes,**
**Cum stupet insanis acies fulgoribus, et cum**
**Acclinis falsis animus meliora recusat,**
**Verum hic impransi mecum disquirite. Cur hoc?**

v. 2. *Ofellus* Codd. noti praeter Sangall. a sec. m.

II. Sub Ofellae, rustici cuiusdam, persona praecepta tradit, qui nullius philosophi doctrinae addictus, perversis aetatis suae hominibus veterem illam abstinentiam et frugalitatem liberrimo gravissimoque sermone commendat, quam ipse optimam adiutricem expertus erat ad beate vivendum et vel totius rei familiaris iacturam aequo animo ferendam. ZELL ex HEIND. Scripta videtur a. u. c. 717.

1. 2. *boni*] amica lectorum allocutio. Cfr. Sat. 2, 6, 51. et 95. Epp. 2, 2, 37. Argumentum ac sententias se desumpturum dicit ab Ofella, easque suo modo expressurum; cfr. in primis v. 112. Ofellam autem ipsum loquentem inducit demum v. 116. — *Ofella*] Cum Codex Sangall. h. l. firmet Bentleii coniecturam, hic, vv. 53, 112, 133. substituendam esse duxi terminationem *a* alteri in *us*, quae librariis debetur, quibus illa in viro falsa videretur; sed non meminerant gentis Romanae nomen esse debere *Ofellius*. *Lucretius Ofella* memoratur a Velleio 2, 27. aliisque. Videtur fuisse vicinus et familiaris Horatii iuvenis, vir sapiens natura atque insita virtute, cuius candor grataque simplicitas iuncta cum insigni lepore satis festive opponitur Stoicis illis aretalogis, quales erant Crispinus et Damasippus.

3 — 6. *abnormis*] prorsus diversus a norma illa, quam volgus statuit iis, quos philosophos nominare solet: Ofella enim nulla certa secta et disciplina nutritus, sed a natura edoctus erat, quid verum rectumque esset. — *crassaque Minerva*] «longe distans a subtilitate illa saepe perversa, quam affectare solent philosophi.» Proverbium *crassa, pingui Minerva* (Cic. Lael. 5.) a textura rudi repetitum est. — *lances*] aureas et argenteas, *mensas*

Dicam, si potero. Male verum examinat omnis
Corruptus iudex. Leporem sectatus equove
Lassus ab indomito vel, si Romana fatigat
Militia assuetum graecari, seu pila velox
Molliter austerum studio fallente laborem,
Seu te discus agit, pete cedentem aëra disco:
Cum labor extuderit fastidia, siccus, inanis
Sperne cibum vilem; nisi Hymettia mella Falerno
Ne biberis diluta. Foris est promus, et atrum
Defendens pisces hiemat mare; cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet. Unde putas aut

v. 14. *expulerit* ex excerpt. Bodl. B.

marmoreas vel citreas; utraeque autem *nitent* et proprio splendore et tersae a servis. — *insanis*] «nimis magnis.» Acr. — *Acclinis*] «inclinatus, propensus ad falsa probanda.»

7—12. *Leporem*] Grata negligentia aliquantum intricatae sunt sententiae pro volgaribus his: «Venatione et equitatione, aut, si hae corporis exercitationes vere Romanae tibi non placent, pilae vel disci ludo fatigatus ubi eris, tunc esuriens sperne (si potes; sed non poteris:) cibum ac potionem vilem.» — *Militia*] Venatio ab Aristide Orat. 2. p. 25: μόριον πολεμικῆς τέχνης vocatur. — *graecari*] «Graeco, id est, molliore modo vivere corpusque exercere;» sic *pergraecari* est «per totam noctem potare.» — *seu pila velox*] «seu pila te *agit* «ducit, allicit,» *anzieht:*) tunc lude pila.» — *Molliter*] «dum studium huius ludi grato modo efficit, ut ne sentias quidem quam gravis per se sit labor ille.»

13—17. *pete*] «hoc modo te exerce.» Addita autem *cedentis aëris* imagine vitat pedestris or. colorem: «lude disco.» — *extuderit*] pr. «tundendo removerit, cum vi excusserit,» verbum longe efficacius quam eiusdem gloss. *expulerit*. *Hymettia*] «mulsum praeparatum ex dulcissimo melle Attico et vino generosissimo, spreto mulso mixto ex vino et melle communi.» — *Foris est*] «Abest promus condus, cellarius, adeo ut meliores cibos tibi ex penu promere vel obsonari nequeat.» — *atrum*] ut Od. 3, 27, 18: *ater Hadriae - sinus:* «mare agitatur procellis, propter quas nemo nunc piscari potest.» — *hiemat*,] χειμάζεται.

18—22. *Latrantem*] *iratum* ventrem vocat Sat. 2, 8, 5. — *Unde*] «Unde effici et acquiri hoc pu-

Qui partum? Non in caro nidore voluptas
Summa, sed in te ipso est. Tu pulmentaria quaere
Sudando: pinguem vitiis albumque neque ostrea
Nec scarus aut poterit peregrina iuvare lagois.
Vix tamen eripiam, posito pavone velis quin
Hoc potius quam gallina tergere palatum,
Corruptus vanis rerum; quia veneat auro
Rara avis et picta pandat spectacula cauda:
Tamquam ad rem attineat quidquam. Num vesceris ista,

tas, ut tantam vim tam tenuis et vilis cibus habeat?» *Wie und woher wohl käme doch das?* Voss. — *in caro nidore*] «grato odore atque ὄρεξιν excitante, qui ex cibis pretiosis oritur.» Sat. 2, 7, 38. — *Tu*] Cfr. Od. 1, 9, 16. — *pulmentaria*] a v. *pulpa*, non *pulte*, obsonia grata. — *pinguem vitiis*] «luxurie tumidum.» — *albus*] color hominis vitam mollem atque umbratilem degentis, ἐσκιατραφηκότος. cui ἡλιωμένος, sole adustus, opponitur. Sic Sulpicia Sat. 36. de Domitiano: *ingluvie albus*. — *ostrea*] bisyllabum, ut Sat. 1, 8, 45: *cerea*. — *scarus*] piscis ignotus. Epod. 2, 50. *Meerbrassen* (Voss.) Iam Ennius in Phageticis apud Appul. Apol. p. 484: *Quid scarum praeterii, cerebrum Iovi paene supremi? — lagois*] «Avis leporini coloris.» Porph. *(Schneehuhn?)* Voss.

23—28. *Vix tamen eripiam*] «Aegre tamen, scio, quamvis validis argumentis usurus, id abs te obtinebo, ut apposito in mensa pavone gallinam praeferas.» Pavones autem Q. Hortensius primus in mensis apponere docuit Romanos. — *tergere*] comice de grato sapore, quo palatum permulcetur. — *vanis rerum*] Ut Od. 4, 12, 19: *amara curarum*. — *pandat spectacula*] «expansa cauda pulcherrimos suos colores ostendat spectatori eumque delectet.» Construe: *tamquam ad rem attineat quidquam, quia* (quod) *veneat* cet. — *cocto*] «Cocto pavoni num manet eadem pulchritudo, quae fuerat vivo? Minime vero.» — *num adest*] De hoc hiatu monosyllabi vide Schneider *Lat. Gramm.* 1. p. 156.

29. 30. *Carne - distat nihil, hac magis illam - - te petere esto*] «Quamvis quod ad carnem attinet pavo nihil distat a gallina, tamen esto (hoc tibi condono,) te externa pavonis pulchritudine decepium magis petere huius carnem quam gallinae; sed illud profecto stultissimum est, si distinguere vis lupos eiusdem prorsus formae et coloris ex diversis tantum locis,

**Quam laudas, pluma? cocto num adest honor idem?**
**Carne tamen quamvis distat nil, hac magis illam**
**Imparibus formis deceptum te petere esto:**
**Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus, an alto**
**Captus hiet pontesne inter iactatus, an amnis**
**Ostia sub Tusci? Laudas insane trilibrem**
**Mullum, in singula quem minuas pulmenta necesse est.**
**Ducit te species, video: quo pertinet ergo**

v. 29. *nil hac, magis illa* Edd. cum libris plerisque. v. 30. *patet. Esto* Edd. cum libris plerisque.

ubi capti sunt.» *Esto te petere*, ut Epp. 1, 1, 81: *Esto aliis alios rebus studiisque teneri.* Corruptae lectionis: *distat nil hac magis illa, Imparibus formis deceptum te patet. Esto.* interpretationes inter alias sunt hae: 1) «Quamvis distet caro gallinae a pavonis, tamen non hac magis illâ moveri dicit eum, sed formis imparibus.» BOTHE. 2) «Quamvis hac carne (gallinae) nihil magis distat illa (caro pavonina), tamen cet. *Nihil magis* Graeco more dictum accipio pro *nihilo magis* οὐδὲν τι μᾶλλον· nam *magis distare* pro *plus* dici non posse puto.» MATTHIAE.

31—33. *Unde datum sentis*] «Verum unde tibi concessum, δυνατὸν, est, ut sapore distinguas cet.?» — *lupus*] λάβραξ, *Meerwolf.* Lucil. Sat. 4: *Illum sumina ducebant atque altilium lanx, Hunc pontes Tiberinu' duo inter captu' catillo.* In lupo igitur tria saporis genera distinguebant lurcones, lupos captos inter duos pontes, id est, sublicium et senatorium, inter quos Cloaca maxima sordes antiquae Urbis egerebat, quibus pisces alliciebantur, vel inter sublicium et Fabricium; lupos captos ad Tiberis ostia; in alto mari, qui pessimi erant. — *hiet*] «pisces statim cum capiuntur, hiant.» SCHOL. Etiam, puto, in mensis appositi. — *iactatus*] Columella 12, 16: *Docta et erudita palata fastidire docuit* (Philippus). *fluvialem lupum, nisi quem Tiberis adverso torrente defatigasset.* — *Tusci*] qui in Etruria oritur.

34—36. *Mullum*] *Rothbart, Schmeerbutte*, aliis *Häringskönig.* Plin. H. 9, 30: *Ex reliqua nobilitate* (post scarum) *gratia maxima est et copia mullis, sicut magnitudo modica, binasque libras ponderis raro admodum exsuperant.* — *pulmenta*] «in plures portiones disseces, quas singulis in lancibus eadem coena tuis convivis apponas:» — *Ducit*] «movet atque allicit, ut fieri solet.» — *quo pertinet*] «Cur ergo magnitudinem laudas in mullo et reprehendis in lupo? Quia scilicet in utroque te delectat, quod est ra-

**Proceros odisse lupos? quia scilicet illis**
**Maiorem natura modum dedit, his breve pondus.**
**Ieiunus raro stomachus volgaria temnit.**
**Porrectum magno magnum spectare catino**
**Vellem, ait Harpyiis gula digna rapacibus. At vos,**
**Praesentes Austri, coquite horum obsonia. Quamquam**
**Putet aper rhombusque recens, mala copia quando**
**Aegrum sollicitat stomachum, cum rapula plenus**
**Atque acidas mavolt inulas. Necdum omnis abacta**
**Pauperies epulis regum: nam vilibus ovis**
**Nigrisque est oleis hodie locus. Haud ita pridem**
**Galloni praeconis erat acipensere mensa**

rius.» Comm. Cruq. — *illis*] ad propius vocab. *lupos* refertur, *his* ad remotius *mullum*.

38 — 40. *Ieiunus*] Construe: *Stomachus raro ieiunus* (semper satur) *contemnit cibos volgares.* — *Porrectum*] Quivis supplebat *mullum*. Ceterum consulto quattuor spondeis usus est, ut piscis exoptatum pondus et magnitudinem exprimeret. — *Vellem*] ἐβουλόμην ἄν, non βουλοίμην ἄν. «Vellem, si fieri posset, sed vix fiet.» Heindorfii *velim* esset sperantis.

41—44. *Praesentes austri*] «Sed utique heluones isti hanc poenam merentur, ut Austri calor putrefaciat pretiosos eorum cibos.» — *Praesentes*] «quasi numina omnem suam vim exserentes.» — *Putet*] «contemnitur et fit vilis.» Schol. — *rhombus*] ψῆττα, *Butte.* — *mala copia*] «prava, quae facit, ut stomacho laboremus.» — *quando*] «quandoquidem, quoniam»; nam tempus significatur statim part. *cum.* — *rapula*] *Rädieschen.* — *inulas*] ἑλένιον, *Alant.* «Non quod *acida* est haec herba, sed quod, cum coquitur, aceto conditur.» Acr. *Amaras* vocat Sat. 2, 8, 51.

45 — 49. *Pauperies*] «Quamquam cibi naturales et simplices non prorsus removeri potuerunt a divitum epulis: nam ovis atque oleis etiamnunc utuntur cocnarum initio.» — *Haud ita pridem*] «Praeterea variat semper lurconum de cibis pretiosis iudicium; sic acipenser *(Stör) apud antiquos piscium nobilissimus* (Plin. 9, 26.) iam contemnitur; contra *rhombus* (Sat. 1, 2, 116.) tum neglectus nunc quaeritur.» — *Haud ita pridem*] «Lucilii tempore, circiter ante hos LXXX. annos.» — *Galloni*] «Gallonius praeco primus acipenserem suae mensae apposuit, quare eius luxus etiam a Lucilio taxatur.» Comm. Cruq. Lucilii versus servavit Cic. de Finn.

Infamis. Quid? tunc rhombos minus aequora alebant?
Tutus erat rhombus tutoque ciconia nido,
Donec vos auctor docuit praetorius. Ergo
Si quis nunc mergos suaves edixerit assos,
Parebit pravi docilis Romana iuventus.
Sordidus a tenui victu distabit, Ofella
Iudice: nam frustra vitium vitaveris illud,
Si te alio pravum detorseris. Avidienus,
Cui Canis ex vero dictum cognomen adhaeret,
Quinquennes oleas est et silvestria corna;

v. 56. *ductum* e Codd. Bentl. Mein.

2, 8. — *praeconis erat*] *erat* vi caesurae ultimam syll. producit.

50 — 52. *auctor — praetorius*] Scholiastae narrant, «Asinium quendam vel Sempronium Rufum praetorium instituisse, ut ciconiarum pulli manducarentur: quare, inquiunt, cum in praetura petenda repulsam tulisset, tale epigramma meruit: *Ciconiarum Rufus iste conditor Hic est duobus elegantior Plancis; Suffragiorum puncta non tulit septem. Ciconiarum populus ultus est mortem.*» Quod si re vera praeturae repulsam tulit, *κατ' εἰρωνείαν praetorius* dicitur h. l. infelix praeturae petitor. — *mergos*] *Taucher*, «quos propter durissimam carnem et rancidum ex piscibus, quibus vescuntur, saporem nunc nemo edit.» — *edixerit*] tamquam praetor.

53 — 56. *Sordidus*] «Eadem qua Graeci libertate poëtae Latini primario nomini formam secandarii reddunt partim metri ergo, partim variandae constructionis: Lucr. 1, 805: *sic aliis aliae rebus vertuntur*. Id. 2, 470: *mista aspera levibus principiis*, et h. l. Horatius.» Lobeck ad Soph. Aiac. p. 201. Ed. alt. — *Ofella iudice*] Non est: «me iudice;» nondum enim ipse loquitur, sed Horatius eius sermonem refert. — *pravum detorseris*] ut Sal. *transvorsum agere* dixit Iug. 6 et 14. Est: «si alio te ita detorseris, ut pravus fias.» — *Avidienus*] avarus aliquis ignotus; nomen fictum non est. — *Canis*] propter immunditiam ac sordes. — *ex vero*] Sal. Iug. 78, 1 *nomen ex re inditum*, ex ipsa eius vita, qualis re vera erat. Plaut. Stich. 88: *Nunc Micotrogus nomine ex vero vocor*. — *dictum*] ut *καλεῖν, ἐπονομάζειν, λέγειν ὄνομά τινι*. Liv. 1, 1: *Stirps virilis, cui Ascanium parentes dixere nomen*.

57 — 62. *Quinquennes*] «Oleas

Ac nisi mutatum pareit defundere vinum et,
Cuius odorem olei nequeas perferre, licebit
Ille repotia, natales aliosve dierum
Festos albatus celebret, cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu sapiens utetur? et horum
Utrum imitabitur? Hac urget lupus, hac canis, aiunt.
Mundus erit, qua non offendat sordibus atque
In neutram partem cultus miser. Hic neque servis,
Albuti senis exemplo, dum munia didit,
Saevus erit; nec sic ut simplex Naevius unctam

v. 58. *Diffundere* Codd. aliq. v. 64. *canis angit* Codd. aliq. Torrent.

rancidas et putridas edit.» — *mutatum - vinum*] vappam, *οἶνον ἐκτροπίαν*. — *parcit defundere*] «propter parcimoniam nunquam aliud vinum nisi vilissimum bibit.» — *defundere*] ex cado in craterem atque ex hac in pocula. — *Cuius odorem olei*] «oleum, cuius odorem cet.»; eadem attractione, qua Terentius: *Populo ut placerent quas fecisset fabulas.* — *licebit*] ut Epod. 15, 19. — *repotia*] «Postridie nuptias apud novum maritum coenatur, quia quasi reficitur potatio.» Festus et Porph. Contra Acron: «*Repotia* dicuntur septimus dies, quo nova solet nupta redire ad parentes suos.» — *albatus*] ut solebant diebus festis induere togam recens cretatam. — *cornu - bilibri*] «Cornu, quod sextarium capit. Habent enim propolae cornua, quae hanc olei tenent quantitatem.» Comm. Cr. «Non ex elegantiore aliqua ampulla olearia, sed ex vili cornu ipse, ne puer nimis fortasse olei profundat, hoc guttatim oleri infundit, contra veteris aceti, quod nullius est pretii, largus esse solet.»

64 — 66. *aiunt*] Significat esse proverbium. Aliorum *angit* est mera interpolatio. — *Mundus*] «Homo sapiens *mundus* atque *elegans* erit eatenus, qua convivis nunquam sordibus nauseam faciat; hoc sufficit; nimiam lautitiam vitabit.» Varro apud Gell. 13, 11: *Dominum convivii esse oportet non tam lautum quam sine sordibus.* — *qua* volgo depravatum in *qui* satis firmatur a Codd. Blandin. et Acrone. — *In neutram partem*] «neque in luxuriam nec in avaritiam erit *miser cultus*» (genitiv.), id est, «quod ad totam vitae externae rationem attinet;» quae constr. vv. *felix* et *miser* in exclamationibus proprie usitata (*cerebri felicem!* Sat. 1, 9, 11.)

Convivis praebebit aquam: vitium hoc quoque magnum.
Accipe nunc, victus tenuis quae quantaque secum
Afferat. In primis valeas bene: nam, variae res
Ut noceant homini, credas memor illius escae,
Quae simplex olim tibi sederit. At simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis
Coena desurgat dubia? Quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque praegravat una
Atque affigit humo divinae particulam aurae.

v. 79. *affligit* Lamb. Bentl.

hinc transiit etiam in sedatam orationem.

67 — 69. *Albuti*] Porphyrion: «Hic est Albutius, qui et avarus et elegans conviviorum apparator saevus est habitus in servos:» addit, quod utrum verum sit necne incertum est: «qui ob cupiditatem nimiam habendi *alienam* (sic: uxoremne, an *Allienam*, nom. pr.?) uxorem suam veneno necavit.» (Cfr. Sat. 2, 1, 48.) — *didit*] *didere* idem fere ac «dividere, distribuere.» «Dum servos suum quemque manus ad mensam obire iubet, quia ipsi nimis leuti videntur, desaevit eosque male mulcat; qua iracundia et sibi et convivis coenae gaudia corrumpit.» — *Naevius*] «Ex altera parte non minus offendit convivator negligens, ut Naevius, homo ignotus, *simplex*; qui propter nimiam animi bonitatem servos etiam desides ac pigros non castigat.» — *unctam*] *fettig*; in unctis s. sordidis calicibus.» Schol.

73 — 81. *sederit*] «quieverit, nullos in ventriculo tumultus excitarit, nec nauseam fecerit.» — *conchylia*] Omnes fere conchulae, teste Celso 2, 28 et 29. facile intus corrumpuntur alvumque movent. — *Lenta*], zähe. — *pituita*] trisyllabum. — *desurgat*] in prosa. or. «surgat de *coena dubia*; qui Terentianus est iocus. Phorm. 2, 2, 28: P. *Coena dubia apponitur.* G. *Quid istuc verbi est?* P. *Ubi tu dubites, quid sumas potissimum.* — *praegravat*] «onere suo deprimit.» *affigit*], «adeo ut mens hebetata suo officio fungi nequeat, rebus vilibus quasi adhaerens.» — *divinae - aurae*] Pythagoreorum et Stoicorum fuit doctrina nos *ex universa mente divina delibatos animos habere*, ut ait Cic. Cat. 21.

Alter, ubi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus praescripta ad munia surgit.
Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam;
Sive diem festum rediens advexerit annus,
Seu recreare volet tenuatum corpus: ubique
Accedent anni et tractari mollius aetas
Imbecilla volet, tibi quidnam accedet ad istam,
Quam puer et validus praesumis, mollitiem, seu
Dura valetudo inciderit seu tarda senectus?
Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus
Illis nullus erat; sed credo hac mente, quod hospes
Tardius adveniens vitiatum commodius quam
Integrum edax dominus consumeret. Hos utinam inter
Heroas natum tellus me prima tulisset!
Das aliquid famae, quae carmine gratior aurem

— *dicto citius*] «corpore brevissima coena refecto statim cubitum it neque in noctem potat.» — *praescripta*] «ad necessarias functiones ac solita vitae quotidianae officia.» Schol.

82 — 87. *quondam*] «certo tempore, suo tempore.» Virg. Aen. 2, 367: *Quondam etiam victis redit in praecordia virtus.* Alii minus accurate interpretantur: «aliquando, interdum.» — *tenuatum*] Est fere poëtarum pro pedestris or. «attenuatum, extenuatum.» — *ubique*] «et ubi.» Sine causa Bentl. Heind. *ubive;* nam hoc certum est, ad molliorem vitam in senectute transeundum esse, hypothetica vero illa, anniversarium sollemne interdum redire, aliquando corpus extenuatum esse. — *praesumis*] «ante tempus sumis, *προλαμβάνεις*.» Sic *praecipere* et *praesumere voluptatem* homonyma apud Senec. de Brev. v. 5.

89—93. *Rancidum*] Proverbium hoc veterum rusticorum Romanorum fuisse videtur, rancidam (leviter putentem) aprugnam s. suillam recenti melius sapere. — *vitiatum*] *anbrüchig* Voss. Opponitur *integer*, «recens,» non: «totus.» — *commodius*] quapropter quamdiu poterant reservabant porcinam, ut semper esset in penu, quod hospiti inexspectato apponeretur. — *Hos - - Heroas*] Festive sic vocat antiquos rusticos Romanos, ut Virg. Moret. 60. de Simulo: *Ergo aliam molitur opem sibi providus herös.*

94 — 97. *Das aliquid*] «Si fa-

Occupet humanam? Grandes rhombi patinaeque
Grande ferunt una cum damno dedecus: adde
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum,
Et frustra mortis cupidum, cum deerit egenti
As, laquei pretium. Iure, inquit, Trausius istis
Iurgatur verbis, ego vectigalia magna
Divitiasque habeo tribus amplas regibus. Ergo,
Quod superat, non est melius quo insumere possis?
Cur eget indignus quisquam te divite? quare
Templa ruunt antiqua deum? cur, improbe, carae
Non aliquid patriae tanto emetiris acervo?
Uni nimirum recte tibi semper erunt res?
O magnus posthac inimicis risus! Uterne

v. 95. *Occupat* Lamb. Mein. v. 106. *rectae* Codd. mei. Ibid. *eunt* N. Heinsius. B.

mae aliquid tribuendum esse existimas, (quae de re minime dubito), scito luxuriem tibi dedecus allaturam esse.» *Scito, sic teneto* saepe ita cogitatione supplendum est. — *quae - - occupet*] Coniunctivum praetuli, cum optime sic explicetur: «utpote quae occupet,» id est, «ideo, quod occupat.» Per indicativum fit locus communis. — *patruum*] quorum severitas in proverbio erat. Cfr. Od. 3, 12, 3: *Patruae verbera linguae.* Sat. 2, 3, 87. — *iniquum*] «tibimet ipsi exosum,» ut apud Cic. saepe *iniqui mei* mitius est nomen pro inimicis.

99—102. *As, laquei pretium*] Hoc quoque in proverbium abierat. Lucian. Tim. 20: Ἐγὼ δὲ καὶ πολλοὺς ἂν εἶπεῖν ἔχοιμί σοι χὠὲς μὲν οὐδὲ ὁβολὸν, ὥστε πρίασθαι βρόχον, ἐσχηκότας, ἄφνω δὲ τήμερον πλουσίους καὶ πολυτελεῖς. — *Trausius*] decoctor ignotus. — *vectigalia*] h. l. privati reditus, ut Od. 3, 16, 40. Cic. de Off. 2, 25. — *superat*] «superabundat tuis usibus.» Schol. Cic. Parad. 6, 3: *Uter igitur est divitior, cui deest, an cui superat?*

103—107. *indignus*] «indignus, qui egeat.» Plaut. Curc. 4, 2, 23: *Indignis si male dicitur, male dictum id esse dico.* — *Templa ruunt*] quippe quae per bella civilia diu neglecta sint. — *nimirum*] ut δηλονότι ironiam significat. — *recte tibi - erunt res*] Haec lectio praestat. Sat. 2, 3, 163: *Recte est igitur* (aeger)? Cic. ad Fam. 9, 9: *rectissime sunt apud te omnia.* — *Uterne*].

Ad casus dubios fidet sibi certius? hic qui
Pluribus adsuerit mentem corpusque superbum,
An qui contentus parvo metuensque futuri
In pace ut sapiens aptarit idonea bello?
Quo magis his credas, puer hunc ego parvus Ofellam
Integris opibus novi non latius usum
Quam nunc accisis. Videas metato in agello
Cum pecore et gnatis fortem mercede colonum,
Non ego, narrantem, temere edi luce profesta
Quidquam praeter olus fumosae cum pede pernae.
Ac mihi seu longum post tempus venerat hospes,

v. 118. *At mihi* Codd. aliq. Mein.

*ne* superadditur interrogationi, ut Sat. 2, 4, 317: *Quantane-?*

108—115. *casus dubios*] «vitae calamitates,» ut Od. 4, 9, 38. — *assuerit*] «assuefecerit.» Cfr. Sat. 1, 4, 105. — *superbum*] refertur etiam ad v. *mentem*. — *In pace*] «in rebus secundis sese praeparavit adversis.» — *puer*] certe a. u. c. 712.; hoc enim vel sequente Triumvirorum proscriptione Ofella fundum suum amiserat. Eadem autem condicio Ofellae atque Lycidae Virgiliani Ecl. 9, 4. *(advena nostri agelli* dixit:) «*Haec mea sunt: veteres migrate coloni.*» — *non latius*] «non largius, non profusius.» Opponitur *angustius*. Caes. B. C. 3, 16: *rem frumentariam, qua anguste utebatur.* — *metato in agello*] «quem metator assignarat Umbreno veterano.» Sic Valerius Cato Dir. 45: *Pertica quae nostros metata est impia agellos.* — *fortem*] «navum, opus rusticum strenue facientem, etsi nunc potius novo domino quam sibimet ipsi agrum colit.» — *mercede colonum*] Coloni enim aut partiarii erant, ut Italorum *massari*, aut nummis locupletium agros colebant. Plin. Epp. 9, 37: *Non nummis, sed partibus locem*, (ita ut dimidia vel tertia proventus pars coloni sit, reliqua domini; Ofellae certa pensio assignata erat. Colum. 1, 7.)

116—122. *Non temere*] «non facile, raro.» — *Ac mihi*] *vie denn auch.* — *pensilis uva*] Plin. H. N. 14, 3: *Durant aliae* (uvae) *per hiemem pensili concameratae nodo* cet. — *duplices ficu*] «bifida.» Schol. Pallad. R. R. 4, 10, 35: *Subinde ficus, sicut est divisa, vertatur, ut ficorum coria siccentur et pulpae tunc duplicatae in cistellis serventur aut loculis.*

123. *Post hoc*] Ex antiquo more demum post cibos sumptos potabant, luxuriosi contra inter edendum. Seneca Ep. 122: *Post prandium aut coenam bibere vulgare*

Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus, bene erat non piscibus urbe petitis,
Sed pullo atque haedo; tum pensilis uva secundas
Et nux ornabat mensas cum duplice ficu:
Post hoc ludus erat culpa potare magistra;
Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractae seria frontis.
Saeviat atque novos moveat Fortuna tumultus,
Quantum hinc imminuet? quanto aut ego parcius aut vos,
O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit?
Nam propriae telluris herum natura neque illum

v. 123. *cuppa* Lamb. coni. *cupa* (= *copa*) B. coni. v. 129. *proprie* Mein.

*est: hoc patres familiae rustici faciunt et verae voluptatis ignari.* — *ludus erat*] «Post hoc eo modo ludebamus, ut certa inter nos potandi lege dicta, is, qui non obtemperasset, sequente vice uno poculo multaretur, atque culpa commissa quasi potandi magistra omnibus esset.» Volgo ita explicant: «qui culpam qualemcunque in bibendo commiserat, ita puniebatur, ut illico poculum unum prae ceteris exsiccare deberet, quae quidem poena convivis risum movebat, quia praemium potius erat:» vel ut Heindorfius, magis etiam ad nostros, non ad rusticorum Romanorum mores: «Post coenam ad ludum aliquem nos conferebamus (talorum puta vel similem); quique in eo errorem commiserat, poculum ebibere debebat.»

124. 125. *Ac venerata*] passiv. eodem significatu atque Plaut. Rud. 5, 2, 62: *Venus, veneror te, ut omnes miseri lenones sient.* Carm. sec. 49: *quaeque vos bobus veneratur albis* cet. Votum convivarum erat cum libationibus Cererem adorantium: «*ita surgat alto culmo.*» Inscripti. Lat. N. 4751: *ita valeas.* Plaut. Aul. 2, 1, 27: *ita di faxint.* Hand Turs. 3. p. 494. — *contractae*] «rugosae propter sollicitudines.» Plaut. Amph. Prol. 52: *Quid contraxisti? frontem?*

127—129. *hinc*] «ex iis commodis, quibus nunc ut antea fruimur.» — *nituistis*] «pingues ac validi fuistis.» — *O pueri*] «*Pueri* aut filii aut servi.» Acr. Tu interpretare de filiis. — *ut*] «ex quo tempore.» — *incola*] Significanter *incolam*, non *dominum* dicit veteranum *advenam possessorem agelli.* — *propriae*] «in perpetuum ab uno possidendae.» Sic Lucil. 27, 32: *Cum sciam Nihil esse in vita proprium mortali datum.* Corn. Nep. Thras. 4, 2: *parva munera diutina, locupletia non propria*

Nec me nec quemquam statuit: nos expulit ille;
Illum aut nequities aut vafri inscitia iuris,
Postremum expellet certe vivacior heres.
Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofellae
Dictus, erit nulli proprius, sed cedet in usum
Nunc mihi, nunc alii. Quocirca vivite fortes
Fortiaque adversis opponite pectora rebus.

# SATIRA III.

Sic raro scribis, ut toto non quater anno
Membranam poscas, scriptorum quaeque retexens,

v. 134. *Dictus erat: nulli* Mein. Ibid. *cedit* B. v. 136. *Martiaque* Sanadonus.

Sat. III. v. 1. *Si raro scribes* e Codd. B. Mein.

*esse consuerunt.* Sat. 2, 6, 5: *ut propria haec mihi munera faxis.* — *herum*] Hoc voc. proprie ad mancipia refertur, hic ad fundum.

131 — 136. *nequities*] «Aut profusione aut lite aliqua, quam propter legum atque edictorum inscientiam perdet, nova possessione rursus expelletur.» — *vafri*] Sat. 2, 5, 34: *ius anceps.* — *Umbreni*] Homo diversus sane ab eo, quem memorat Sal. Cat. 40. — *nulli proprius*] Cum vi repetit vocab. v. 129. «In sempiternum nullius erit proprius.» (*eigenthümlich.*) — *fortes*] «constantes atque strenui.» Egregie repetit statim v. *fortia; Martia* de pacificis colonis prope ridiculum fuisset. Ad totum locum cfr. Anthol. Pal. II. 27: Ἀγρὸς Ἀχαμανίδου γενόμην ποτέ, νῦν δὲ Μενίππου· Καὶ πάλιν ἐξ ἑτέρου βήσομαι εἰς ἕτερον. Καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔχειν μέ ποτ' ᾤετο, καὶ πάλιν οὗτος Οἴεται· εἰμὶ δ' ὅλως οὐδενός, ἀλλὰ Τύχης.

III. Haec satira colloquium continet poëtae cum Damasippo, ridiculo homine, qui cum per mercaturam rem familiarem consumpsisset, nihil iam aliud agebat, quam ut Stoica barba et abolla superbiens circumforaneus philosophus ubique sectae suae formulas a Stertinio, importuno aretalogo, sibi traditas decantaret. Hunc igitur Damasippum inducit poëta ipsis Saturnalibus in villam Sabinam irruentem et acerbissima sua vel potius Stertinii magistri oratione totum genus humanum, Stoicis sapientibus exceptis, stultitiae, atque adeo ex Stoicae philosophiae

**Iratus tibi, quod vini somnique benignus**
**Nil dignum sermone canas. Quid fiet? Ab ipsis**
**Saturnalibus huc fugisti. Sobrius ergo**
**Dic aliquid dignum promissis: incipe. Nil est.**
**Culpantur frustra calami, immeritusque laborat**
**Iratis natus paries dis atque poëtis.**

v. 4. *At ipsis* e Codd. B. Mein. v. 5. *fugisti sobrius. Ergo* B. Mein.

rationibus, insaniae arguentem. ZELL ex HEINDORFIO. (Scripta esse videtur a. u. c. 722., cum Horatius XXXIII. annos natus esset.)

1. *Sic raro scribis*] Damasippus primum exprobrat Horatio intolerabilem negligentiam; deinde brevi, sed acri interrogatione ipsi expendendum proponit, quid mali ex tali desidia oriturum sit. Optime sibi respondent *Sic raro - ut*, cum in media clausula perquam dura sit omissio part. *adeo*.

2 — 4. *Membranam*] «in quam ex tabellis cereis vel etiam palimpsesto transcribas scripta tua.» — *retexens*] pr. «telam resolvens,» id est, «quae minus recte scripsisse tibi videris, delens ac denuo elimans.» — *Iratus*] «Tibimet ipsi succensens, quod nimis genio indulgens, potans atque in diem dormiens, nihil iam componas dignum, de quo homines loquantur.» (*οὐδὲν λόγου ἄξιον*). — *Ab ipsis*] *Ab ipsis S.* non est «inde ab ipsis S.», sed dicitur, ut *fugere a patria, ab hoste* pro *fugere patriam, hostem*. Quod autem BENTLEIUS quaerit: «Quomodo ab Saturnalibus fugere potuit? quid, malum, nonne tam ruri quam in urbe dies Saturnaliorum erant?» — facile solvitur; ruri, ut volebat, summum per otium vivere poterat Horatius, in urbe non item, ubi conviviis interesse debebat.

5. *Saturnalibus*] Saturnalia, *Κρόνια*, celebrabantur a. d. XVI. Kal. Ian. (17. m. Decembr.) usque ad XIV. Kal. Ian. in memoriam priscae hominum vitae, ubi omnes liberi, omnes inter se aequales fuerant; continuo igitur epulabantur, ludebant, dona sibi invicem mittebant, domini servis ioci causa apparebant ad mensas. — *Sobrius*] «Cum qui in urbe vivunt nunc luxurientur et plerumque ebrii sint, tu in hac solitudine sobrius manens dic» cet.

6 — 10. *promissis*] ut A. P. 46: *promissi carminis auctor*. — *Nil est*] «Nihil habes; frustra a te exspectamus magni aliquid et praeclari.» — *calami*]. «Arguit eorum stultitiam, qui cum sententiarum aut verborum inopia urgentur, in innocentes parietes quasi minus commodos irascuntur.» COMM. CRUQ. — *laborat*] quatenus poëta eum exsecratur vel etiam pugnis caedit. Pers. 1, 106: *Nec pluteum caedit nec demorsos sapit ungues.*

Atqui voltus erat multa et praeclara minantis,
Si vacuum tepido cepisset villula tecto.
Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro,
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?
Invidiam placare paras virtute relicta?
Contemnere miser: vitanda est improba Siren
Desidia, aut quidquid vita meliore parasti,
Ponendum aequo animo. Di te, Damasippe, deaeque
Verum ob consilium donent tonsore. Sed unde

v. 12. *Archilocho* B. Fea. *adducere* Fea.

Comicum est illud *παρὰ προσδοκίαν atque poëtis.* — *minantis*] promittentis, (ut *ἀπειλεῖν*) de rebus maioribus. — *si*] h. l. de tempore, «ubi primum.» — *vacuum*] «otiosum in hoc secessu.»

11. 12. *Quorsum*] «Quem ad finem, quo tandem consilio compegisti et in vehiculo artasti horum libros?» Iam, quibus maxime delectari solitus sit, nominat praeter Platonem, summum dialogi et Socraticae *εἰρωνείας* magistrum (*Socraticas chartae* A. P. 310.), Archilochum, iambici carminis principem, poëtas priscae et novae comoediae. — *educere*] v. propr. de iis, quos nobiscum ex urbe rus ducimus. Cic. ad Q. Fr. 3, 3: *Si nobiscum eum rus aliquo eduximus.* — *tantos*] «tam praestantes atque egregios.»

13—16. *Invidiam*] «Credisne minus invidorum iniquorumque te habiturum, ubi virtutem, id est, industriam, deserueris? Immo, et merito quidem, contemptui habebere.» — *Siren*] «blanda, sed impudens conciliatricula» (Cic. pro Sestio 9.) — *meliore*] «magis industriosa.» — *Ponendum*] «Hoc missum faciendum est sine animi dolore; quod ipsum hominis est desidis ac vilis.» — *di*] Pontificum formula est *di deaeque* vel *sive deus sive dea* nec ridiculi quidquam quaerendum in v. *deaeque.* — *Damasippe*] Licinius Damasippus tamquam statuarum et hortorum venditor memoratur iam a Cicerone ad Fam. 7, 23. ad Att. 12, 29 et 33.

17—20. *tonsore*] «qui immani barba te liberet;» quasi maius beneficium Damasippo di quoque impertire non possent. Stoicorum praecipue et Cynicorum erat mos barbam, quo magis a popello suspicerentur, promittere. — *Postquam*] «Postquam aere alieno conflato fortunarum naufragium feci, philosophus factus sum et *excussus*, a creditoribus eiectus ex possessionibus meis, adeo ut nihil earum curandum mihi restet, nunc in aliorum negotia me ingero,

**Tam bene me nosti? Postquam omnis res mea Ianum**
**Ad medium fracta est, aliena negotia curo,**
**Excussus propriis. Olim nam quaerere amabam,**
**Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus aere,**
**Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset:**
**Callidus huic signo ponebam milia centum;**
**Hortos egregiasque domos mercarier unus**
**Cum lucro noram; unde frequentia Mercuriale**
**Imposuere mihi cognomen compita. Novi:**
**Et miror morbi purgatum te illius. Atqui**

identidem quaerens, quomodo eos a stultitia dehorter atque ad veram sapientiam perducam.» — *Ianus*] Cfr. Epp. 1, 1, 54. Cic. de Off. 2, 25: *de quaerenda, de collocanda, pecunia, vellem etiam de utenda commodius a quibusdam optimis viris ad Ianum medium sedentibus quam ab ullis philosophis ulla in schola disputatur*; ubi ZUMPT: Sedebant feneratores et argentarii maxime ad (prope) Ianum medium in tabernis ad forum Romanum. Viae in forum deducentes Ianis transitoriis *(Durchgänge)* superstructae erant, qui trés commemorantur, summus, imus, medius.

21—26. *Sisyphus*] Aeoli filius, conditor Corinthi. Il. ζ, 153: Σίσυφος, - - ὃ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν. Ridicule fingit illum iam Corinthio vase pedes lavisse. Solebant autem talium rerum amatores gloriari se tabulas pictas, signa, vasa, partim summorum quorumque artificum, partim antiquissima, ut *catillum Euandri manibus tritum* (Sat. 1, 3, 91.) domi habere. — *infabre*] «minus artificiose.» — *fusum durius*] «rigidius, ita ut capilli, tori, artus veram corporis humani naturam minus recte imitarentur.» «Artis peritus,» inquit, «huic signo statuebam pretium centum milium sestertium, alii aliud; praeter ceteros item excellebam in amoenis hortis pulchrisque domibus emendis rursusque cum lucro vendendis, unde homines in compitis s. triviis, ubi auctiones fiebant, per circulos congregati alterum Mercurium me praedicare soliti erant.»

27. *morbi purgatum*] In orat. soluta dicendum foret *morbo purgatum* s. liberatum; sed Graecam constructionem καθαρθῆναι τῆς νόσου h. l. praetulit. «Sed mirum in modum novus morbus veterem illum mercandi mihi expulit, ei successit, ut pleuritis interdum transit in cardialgiam.» Loquitur non de philosophia Stoica per se spectata, ut volt Comm. Cruq., sed de fervido illo studio ex hac

Emovit veterem mire novus, ut solet, in cor
Traiecto lateris miseri capitisve dolore:
Ut lethargicus hic cum fit pugil et medicum urget.
Dum ne quid simile huic, esto ut libet. O bone, ne te
Frustrere; insanis et tu stultique prope omnes,
Si quid Stertinius veri crepat, unde ego mira
Descripsi docilis praecepta haec, tempore quo me
Solatus iussit sapientem pascere barbam
Atque a Fabricio non tristem ponte reverti.
Nam male re gesta cum vellem mittere operto
Me capite in flumen, dexter stetit, et, Cave faxis
Te quidquam indignum: pudor, inquit, te malus angit,
Insanos qui inter vereare insanus haberi.
Primum nam inquiram, quid sit furere: hoc si erit in te

philosophia orto, quo nunc aliena negotia curet, quae πολυπραγμοσύνη aliis forsitan videatur novus morbus.

28—31. *cor*] ut interdum καρδία, h. l. os ventriculi. Cfr. v. 161. — *traiecto*] Proprie; ita enim medici dicunt. (μεθίστασθαι, μετάστασις.) PORPH. — *miseri*] Quod Graeci τὸν τόπον πεπονθότα dicunt, Latini miserum locum, id est, morbo affectum. Plaut. Poen. 5, 2, 43: *miseram esse praedicat buccam sibi: Fortasse medicos nos esse arbitrarier.* — *hic*] «quem nosti.» Comicum exemplum morbi subito mutati: homini a veterno oppresso medicus consilium dederat, ut pugilatum exerceret: cui consilio illico obtemperaturus aegrotus medicum ipsum pugnis aggressus est. Iam huius pugilis gesticulationem cum imitaretur Damasippus, Horatius, «quidvis aliud,» inquit, «tibi permittens, hoc unum deprecor, ne male me mulcare incipias.» — *simile*] in me fiat, *esto* (tertiae personae), *ut libet*, *mag es sein, was da will.*

32—40. *stultique*] Stulti et insani sunt Stoicis, quicunque ab eorum disciplina abhorrent. Cic. Parad. Stoic. 4: ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται. — *prope omnes*] ἅπαντες, ὡς ἔπος εἰπεῖν. — *Stertinius*] Cfr. Epp. 1, 12, 20., ubi SCHOL.: «Stertinius philosophus ducentos et viginti libros Stoicorum Latine scripsit.» — *sapientem*] «quae sapientiae speciem atque opinionem conciliat.» — *a Fabricio - ponte*] «Hic pons Fabricius

Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
Quem mala stultitia et quemcunque inscitia veri
Caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex
Autumat. Haec populos, haec magnos formula reges,
Excepto sapiente, tenet. Nunc accipe, quare
Desipiant omnes aeque ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere. Velut silvis, ubi passim
Palantes error certo de tramite pellit,
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit; unus utrique
Error, sed variis illudit partibus: hoc te
Crede modo insanum, nihilo ut sapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat. Est genus unum
Stultitiae nihilum metuenda timentis, ut ignes,
Ut rupes fluviosque in Campo obstare queratur:

dictus est a Fabricio consule conditore, qui nunc Lapideus nominatur, iunctus insulae Tiberinae.» Comm. Cr. Nunc *ponte di quattro capi*. — *male re*] «familiari administrata, cum decoxissem.» — *operto - capite*] ut solebant interdum moribundi. — *dexter*] propitius, velut θεὸς σωτήρ. — *Cave*] «Notandum *VE* syllabam brevem esse, quamquam secundae est coniugationis, ut Persius (1, 108:) *vide* brevem posuit.» Acr. — *pudor - malus*] falsus, ὑνσωπία.

41 — 48. *porticus*] στοὰ ποικίλη Athenis, in qua Zeno eiusque successores docuerunt. — *autumat*] «affirmat, dicit;» non: «opinatur, censet,» Cfr. Gell. 15, 3. — *formula*] pr. carmen legis, h. l. definitio, κανών. — *tenet*] «κατέχει, amplectitur.» — *Insano*] Ut olim nominabatur *Mercurius*, sic nunc inops factus *insanus*. Cfr. v. 297.

51 — 56. *partibus*] «Uterque pariter errat, sed in eo dumtaxat discrepant, quod diversas in partes a recto tramite abeunt;» sine imagine: «diverso quidem modo, sed aeque errant stulti omnes.» — *hoc te - modo*] refertur ad v. *velut*. — *caudam trahat*] non: «tamquam bos,» ut exponit Acron et Fea; sed: «Solent pueri petulantes nescientibus (maxime hominibus fatuis) a tergo caudam suspendere, ut velut pecus caudam trahant.» Porph. — *ignes, - rupes fluviosque*] modus proverbialis, ut Sat. 1, 1, 39. Epp. 1, 1, 46. — *huic varum*] Solitus Horatio discrepantiae dativus, ut Sat. 1, 4,

**Alterum et huic varum et nihilo sapientius ignes**
**Per medios fluviosque ruentis. Clamet amica**
**Mater, honesta soror cum cognatis, pater, uxor:**
**Hic fossa est ingens, hic rupes maxima! serva!**
**Non magis audierit quam Fufius ebrius olim,**
**Cum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis,**
**«Mater, te appello,» clamantibus. Huic ego volgus**
**Errori similem cunctum insanire docebo.**
**Insanit veteres statuas Damasippus emendo;**
**Integer est mentis Damasippi creditor? Esto:**

vv. 57. 58. *amica*, *Mater* Fea. Mein.

48. 1, 6, 92. Epp. 1, 18, 4. — *varum*] «contrarium, oppositum.» «Pedes in diversum flexos habentes *varos* dicimus et distortas venas *varices*.» Schol.

57 — 59. *amica Mater*] «Haec composite proferenda sunt.» Comm. Cr. Est Il. ζ, 251: ἠπιόδωρος μήτηρ. Minus recte alii distinguunt *amica* (meretrix), *Mater*. — *serva*] *gib Acht*. Sic Plaut. Pers. 5, 2, 29: *hem serva rursum*. Item Ter. Adelph. 2, 1, 18.

60. 61. *Fufius*] Fufium Phocaeum (?) vocat Porph. Histrio hic, cum Ilionam ab umbra Deiphili filii expergefaciendam ageret ebrius, re vera somno oppressus crapulam edormivit, ita ut Catienus, qui Deiphili partes agebat, eum expergefacere nequiret. — *edormit*] perfectum. Porph. In oratione soluta: «edormiret.» Hyginus Fab. 109: «Priamo Polydorus filius ex Hecuba cum esset natus, Ilionae filiae suae dederunt eum educandum, quae Polymestori, regi Thracum, erat nupta, quem illa pro filio suo educavit. Deiphilum autem, quem ex Polymestore procreaverat, pro suo fratre educavit, ut si alteri eorum quid foret, parentibus praestaret. Sed cum Achivi Troia capta prolem Priami exstirpare vellent, - - ad Polymestorem legatos miserunt, qui ei Agamemnonis filiam nomine Electram pollicerentur in coniugium et auri magnam copiam, si Polydorum, Priami filium, interfecisset. Polymestor legatorum dicta non repudiavit Deiphilumque, filium suum, imprudens occidit, arbitrans se Polydorum, filium Priami, interfecisse cet.» — Iam apud Pacuvium Deiphili umbra dormienti Ilionae cum appareret, his versiculis eam alloquebatur: *Mater, te appello, quae curam somno suspensam levas, Neque mei te miseret: surge et sepeli natum!* (Cic. Tusc. 1, 44.) Illa autem experrecta haec proloquebatur: *Age, adsta, mane, audi, iteradum eademmet ista mihi!* (Acad. 2, 27.)

64. *veteres*] Horatii tempore

**Accipe quod nunquam reddas mihi, si tibi dicam,**
**Tune insanus eris, si acceperis? an magis excors,**
**Reiecta praeda, quam praesens Mercurius fert?**
**Scribe decem a Nerio; non est satis: adde Cicutae**
**Nodosi tabulas centum, mille adde catenas:**
**Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.**
**Cum rapies in ius malis ridentem alienis,**
**Fiet aper, modo avis, modo saxum et, cum volet, arbor.**
**Si male rem gerere insani est, contra bene, sani:**
**Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli,**

sculptores nihil fere novi inveniebant, sed eo contenti erant, ut antiquissima exemplaria quam accuratissime imitarentur. Quocirca fiebat, ut veterum artificum usque ad Alexandri M. aetatem opera ipsa in dies studiosius quaererentur.

68 — 70. *praesens*] «propitius.» Mercurius omnis lucri dator, χερδῷος. — *Scribe*] «Cura scribendas tibi a debitore decem tabulas, id est, syngraphas (*Schuldverschreibungen*), quales a Nerio, famoso illius temporis feneratore, morte coniugum locupletato, dictari solent debitoribus, plenae cautionum.» — *a Nerio*] commodatas, ut Cic. ad Att. 16, 7: *edictum legi a Bruto* (acceptum.) Formula autem haec erat: *L. Titius scripsi me accepisse a P. Maevio quindecim mutua numerata mihi de domo.* — Perillius, cui propter asperitatem et amaritudinem cognomen erat *Cicutae*, fenerator cautior etiam Nerio, quapropter vocatur *nodosus*, «qui optime callet nodos et laqueos legum ac formularum iuris civilis.»

71. 72. *sceleratus*] Petita est imago ex Odyss. δ, 455., ubi Menelaus Proteum vinculis tandem iniectis vaticinari sibi adigit. — *Rapere in ius* collo obtorto licebat in publicis viis debitorem, qui iudicium deserebat, cautionem datam subterfugiens. — *malis - alienis*] Odyss. υ, 345: μνηστῆρσι δὲ Παλλὰς Ἀθήνη Ἄσβεστον γέλον ὦρσε, παρέπλαγξεν δὲ νόημα· Οἱ δ' ἤδη γναθμοῖσι γελοίων ἀλλοτρίοισιν — ὅσσε δ' ἄρα σφέων Δακρυόφιν πίμπλαντο· γόον δ' ὠΐετο θυμός. Verum Horatius diversam proverbio significationem tribuit: «ita ridere, ac si quis ad ridendum uteretur bucca non sua, sed aliena;» id est, «effuse ridere.»

74 — 76. *male rem gerere*] etiam apud Cic. Cat. 7. dicuntur ii, qui patrimonium suum prodigunt. — *Perillius*] idem qui supra ridiculo cognomine *Cicuta*. — *dictantis*] debitori cautionis formulam, quam servavit Comm. Cruq.: *SCRIBE*

Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.
Audire atque togam iubeo componere, quisquis
Ambitione mala aut argenti pallet amore,
Quisquis luxuria tristive superstitione
Aut alio mentis morbo calet; huc propius me,
Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.
Danda est ellebori multo pars maxima avaris;
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.
Heredes Staberi summam incidere sepulcro:
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria atque epulum arbitrio Arri,
Frumenti quantum metit Africa. Sive ego prave,
Seu recte, hoc volui; ne sis patruus mihi. Credo
Hoc Staberi prudentem animum vidisse. Quid ergo
Sensit, cum summam patrimoni insculpere saxo
Heredes voluit? Quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium et cavit nihil acrius, ut, si

*CAUTIONEM PRO EA PECUNIA.* — *rescribere*] *abschreiben;* per argentarium debitum solvere, h. e. scriptum debiti liberare.

77—81 *togam*] componunt in plicas discipuli, qui considerent in subselliis vel cathedris, attentas aures magistro praebituri. — *omnes, vos ordine*] «Vos, qui variis vitiis laboratis, omnes, sed certo quodam ordine huc adeste, ut unum post alterum ego castigem atque corrigam.»

82. 83. *ellebori*] Elleborum nigrum s. veratrum alvi purgandae causa dabatur melancholicis. — *Nescio an*] «puto prope;» *ich weiss nicht, ob nicht.* — *Anticyram*] in Phocide. Strabo 9, 3: Ἀντίκυρά, ὁμώνυμος τῇ κατὰ τὸν Μαλιακὸν κόλπον καὶ τὴν Οἴτην. Καὶ δή φασιν ἐκεῖ τὸν ἑλλέβορον φύεσθαι τὸν ἀστεῖον, ἐνταῦθα δὲ σκευάζεσθαι βέλτιον κτλ. — *ratio*] «vera sapientia, medicae munere fungens.» — *destinare*] v. proprium de medicamentis, «praescribere.»

84—87. *Staberi*] Quintil. 7, 9, 9: *Heres meus* (uxori meae) *dare damnas esto.* Hinc apud Horatium *damnati*, obligati. — *epulum*] populo dandum ex famosi nepotis arbitrio. Q. Arrii epulum funebre memoratur a Cicerone in Vatin. 12.; cuius filii ut prodigi carpuntur mox v. 243. — *quantum*

**Forte minus locuples uno quadrante perisset,**
**Ipse videretur sibi nequior: omnis enim res,**
**Virtus, fama, decus, divina humanaque, pulchris**
**Divitiis parent; quas qui construxerit, ille**
**Clarus erit, fortis, iustus. Sapiensne? Etiam, et rex,**
**Et quidquid volet. Hoc, veluti virtute paratum,**
**Speravit magnae laudi fore. Quid simile isti**
**Graecus Aristippus? qui servos proicere aurum**
**In media iussit Libya, quia tardius irent**
**Propter onus segnes. Uter est insanior horum?**
**Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit.**
**Si quis emat citharas, emptas comportet in unum,**
**Nec studio citharae nec Musae deditus ulli;**
**Si scalpra et formas non sutor, nautica vela**
**Aversus mercaturis, delirus et amens**
**Undique dicatur merito. Qui discrepat istis**

v. 93. *periret* Codd. aliq.

*metit Africa*] Est quasi proverbium. Od. 1, 1, 10.

88—91. *Seu recte*] Cfr. Od. 3, 12, 3: *patruae verbera linguae.* Sat. 2, 2, 97. — *Quid ergo*] «Quae ergo ratio eum induxit?» — *Quoad*] monosyllabum, ut *dehinc*, et *deinde* bisyll.

96. 97. *construxerit*] «ut struem coacervarit;» sic Sat. 1, 1, 44: *constructus acervus.* — *Sapiensne?*] Noli cum nonnullis hoc tribuere Horatio; Damasippus enim ex Stoicorum more se ipse interrogat.

100—103. *Graecus*] In prosa or. fortasse dixisset *Graeculus*; nam levitati hominis significandae inservit hoc attributum minime otiosum. — *Nil agit*] Ipse iam Stertinius sese revocat ab incepta comparatione inter Staberium, avaritiae specimen, et Aristippum, nimium pecuniae contemptorem, memor praecepti logici a Stoicis traditi, nullam controversiam contrariis exemplis dirimi, sed talia anquirenda esse, quae etsi primo aspectu diversa, tamen re accuratius pensitata veluti per inductionem verum in clara luce collocent.

104—121. *emptas*] Non est simpliciter «easque,» sed: «statim, postquam eas emisset;» — *scalpra*] *Kneifen, Schuhahlen.* — *formas*] *Leisten.* — *mercaturis*] dat. ut Od. 2, 4, 19: *lucro aversam.* — *Undique*] in prosa or. «ab omni-

Qui nummos aurumque recondit, nescius uti
Compositis metuensque velut contingere sacrum?
Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste, neque illinc
Audeat esuriens dominus contingere granum,
Ac potius foliis parcus vescatur amaris;
Si positis intus Chii veterisque Falerni
Mille cadis, nihil est, tercentum millibus, acre
Potet acetum; age, si et stramentis incubet, unde-
Octoginta annos natus, cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulae, putrescat in arca:
Nimirum insanus paucis videatur, eo quod
Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.
Filius aut etiam haec libertus ut ebibat heres,
Dis inimice senex, custodis? Ne tibi desit?
Quantulum enim summae curtabit quisque dierum,
Ungere si caules oleo meliore caputque
Coeperis impexa foedum porrigine? Quare,

bus.» — *foliis - - amaris*] ut cichorei, intubi. — *iactatur*] Motus febricitantium violenti significantur. Cels. 2, 4: *Mali morbi testimonium est - - iactare brachia et crura.*

123 — 129. *Dis inimice*] θεοῖς ἐχθρέ, «cui omnes di irati sunt.» — *curtabit*] absumet. — *impexa*] *verzottelt* Voss. — *porrigine*] πιτυριάσει, *Kleiengrind.* — *periuras*] in soluta or. molliore pronuntiatione *peierare.* — *surripis*] clanculum, *aufers* vi. — *caedere*] volnerare. — *tuo quos aere*] Est coni. T. Fabri firmata a Feae Codd. aliq. Ad v. *tuos* nihil attinebat adiungere, *quos aere pararis.* «Ideo quod mea pecunia servos emi, eos quocunque modo mihi placet tractare, meo iure caedere, possum.»

132. *Quid enim?*] «dicis?» Idem prope ac *quidni? quippini?* «Sane poteris mihi obiicere, ego solita et nunc frequentia haec facinora cum feci, minime aequiparandus sum tragico illi Oresti, qui ferro, non ut apud nos fit, laqueo aut veneno, Clytaemnestram occidit, neque Argis, urbe a tragicis identidem

Si quidvis satis est, periuras, surripis, aufers
Undique? tun sanus? Populum si caedere saxis
Incipias servosque, tuo quos aere pararis,
Insanum te omnes pueri clamentque puellae:
Cum laqueo uxorem interimis matremque veneno,
Incolumi capite es? Quid enim? Neque tu hoc facis Argis
Nec ferro ut demens genitricem occidis Orestes.
An tu reris eum occisa insanisse parente;
Ac non ante malis dementem actum Furiis, quam
In matris iugulo ferrum tepefecit acutum?
Quin, ex quo est habitus malè tutae mentis Orestes,
Nil sane fecit, quod tu reprehendere possis;
Non Pyladen ferro violare aususve sororem est
Electram: tantum male dicit utrique vocando
Hanc Furiam, hunc aliud, iussit quod splendida bilis.
Pauper Opimius argenti positi intus et auri,
Qui Veientanum festis potare diebus

v. 129. *servosque tuas*, *quos* volgo. v. 132. *Quidni? Neque enim hoc facis Argis* B.

memorata et, si ita dicere licet, poëtica, sed in media urbe Roma, venefiis referta, matrem e medio sustuli.»

137 — 144. *male tutae mentis*] insanus. «Immo postea sanioris prope mentis fuit Orestes quam illo puncto temporis, quo matrem trucidavit. Etenim in eo dumtaxat deliquit aliquantulum, quod interdum sorori atque amico male dixit;» ut in Euripidis Oreste v. 264: *Μέδεις· μὶ' οὖσα τῶν ἐμῶν Ἐρινύων, Μέσον μ' ὀχμάζεις, ὡς βάλῃς ἐς Τάρταρον.* — *splendida bilis*] Bili morbose condensatae et propterea asphalti specie splendescenti a medicis tribuebatur *μελαγχολία*. — *Opimius*] «Homo ignotus, qui quamvis dives esset auri et argenti domi in arca conditi, nihilominus *pauperem* se esse ducebat et pro inopi se gerebat, ita ut *Veientanum rubellum* (Pers. 5, 147.), vinum acidum, quale provenire solebat Veiis, festis diebus, profestis vappam, vinum prorsus corruptum vel multa aqua dilutum biberet ac trulla uteretur, non argentea nec murrhina (ut solebant ditiores), sed tantum

Campana solitus trulla vappamque profestis,
Quondam lethargo grandi est oppressus, ut heres
Iam circum loculos et claves laetus ovansque
Curreret. Hunc medicus multum celer atque fidelis
Excitat hoc pacto: mensam poni iubet atque
Effundi saccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum: hominem sic erigit; addit et illud,
Ni tua custodis, avidus iam haec auferet heres.
Men vivo? Ut vivas igitur, vigila: hoc age. Quid vis?
Deficient inopem venae te, ni cibus atque
Ingens accedit stomacho fultura ruenti.
Tu cessas? agedum, sume hoc ptisanarium oryzae.
Quanti emptae? Parvo. Quanti ergo? Octussibus. Eheu!
Quid refert, morbo, an furtis pereamque rapinis?

fictili, quales conficiebantur in Campania.»

146—156. *ovans*] Ut *triumphare* dicuntur, qui gaudio exsultant, sic etiam *ovare*. — *hoc age*] In auspiciis et sacrificiis incipiendis *hoc age* a praecone inclamabatur, quo omnes essent intenti rei divinae neque quidquam aliud mentibus agitarent. — *inopem*] «extenuatum, viribus corporis privatum.» — *venae*] «quatenus corpus sanguine alunt viresque reficiunt; sanguine exhaurientur.» — *ptisanarium*] πτισάνη, a πτίσσω, pinso, sorbitio ex aqua fervente et hordeo plerumque, hic oryza, confecta. — *Octussibus*] Dicebant *octusse* et *octussibus*, *sentusse* et *centussibus*.

157. *Quid refert*] In pedestri or.: «Quid refert, morbone peream, an furtis rapinisque?»

158—163. *Quisnam*] «Omnis, qui non est stultus, sanus. Avarus autem non stultus solum, verum etiam insanus. Nec tamen ex eo, quod quis non sit avarus, continuo colligi potest eum sanum atque integrae mentis esse. Aliis enim vitiis idem fortasse deturpatur, quae quo minus eum pro sano habeamus vetant. Ab omnibus ergo vitiis liber sit oportet, quem nos Stoici sanum vocamus.» — *Cur, Stoice?*] Se ipse interrogat Stertinius. In prosa or. «Cur, ex mea disciplina Stoica dicam.» *Καρδία* non solum cor, sed etiam os ventriculi significat; qui huius infirmitate laborat, *καρδιακός*. — *Crateruni*] illustrem illorum temporum medicum, quo iam Atticus

**Quisnam igitur sanus? Qui non stultus. Quid avarus?**
**Stultus et insanus. Quid? si quis non sit avarus,**
**Continuo sanus? Minime. Cur, Stoice? Dicam.**
**Non est cardiacus (Craterum dixisse putato)**
**Hic aeger: recte est igitur surgetque? Negabit,**
**Quod latus aut renes morbo tentantur acuto.**
**Non est periurus neque sordidus; immolet aequis**
**Hic porcum Laribus: verum ambitiosus et audax.**
**Naviget Anticyram. Quid enim differt, barathrone**
**Dones quidquid habes, an nunquam utare paratis?**
**Servius Oppidius Canusi duo praedia, dives**
**Antiquo censu, gnatis divisse duobus**
**Fertur et haec moriens pueris dixisse vocatis**

v. 163. *tententur* Codd. boni.

usus erat. Cic. ad Att. 12, 14. — *Recte est*] Cic. ad Att. 1, 7: *apud matrem recte est.* — *tentantur*] «laborant aut pleuritide aut renum morbo, ut nos ipsi videmus.» — *acuto*] ὀξείᾳ νόσῳ. Cels. 3, 1: *Morbi quidam breves acutique sunt, qui cito vel tollunt hominem vel ipsi cito finiuntur.* His opponuntur *longi.*

164. 165. *immolet*] «Concedo aliquem sceleribus non coopertum, non periurum esse neque adeo sordidum, ut propterea fidem laedat ac furetur; concedo eum idcirco Laribus aequis, id est, non iratis, porco facere posse: at eundem, si sit ambitiosus et, quo ambitioni satisfaciat, audacter multa moliatur, a quibus abstineat homo modestus, insanum esse censeo, ac propterea ei praecipiam, ut Anticyram naviget ad elleborum sumendum.»

166 — 169. *barathrone*] «profundae ac taetrae voragini,» quales erant eae, in quas capitis damnatos solebant detrudere Athenis et Lacedaemone. «Quod si quis ambitione actus omnes suas facultates largitionibus profundit, quo auram popularem captet honoresque adipiscatur, non minus insanit quam si pecuniam suam omnem in barathrum deiiciat; neque vero minus insanit, qui partis nunquam utitur, immo necessaria quoque sibi denegat.» — *Canusi*] Apuliae oppidum, haud procul a Venusia. Sat. 1, 5, 91. — *antiquo censu*] «iam pater maioresque eius ex censu publico divites habebantur.» — *divisse*] populari licentia pro *divisisse.*

**Ad lectum: Postquam te talos, Aule, nucesque**
**Ferre sinu laxo, donare et ludere vidi,**
**Te, Tiberi, numerare, cavis abscondere tristem;**
**Extimui, ne vos ageret vesania discors,**
**Tu Nomentanum, tu ne sequerere Cicutam.**
**Quare per divos oratus uterque Penates,**
**Tu cave ne minuas, tu, ne maius facias id,**
**Quod satis esse putat pater et natura coërcet.**
**Praeterea ne vos titillet gloria, iure**
**Iurando obstringam ambo: uter aedilis fueritve**
**Vestrum praetor, is intestabilis et sacer esto.**
**In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,**
**Latus ut in Circo spatiere et aëneus ut stes,**

v. 172. *et perdere* B. coni.

172 — 178. *sinu laxo*] «Nucibus cum ludere vellet Aulus, eas ferebat sinu laxo s. *soluto*, ut ait Sen. de Benef. 4, 24., quod ipsum negligentiae signum erat, ninniumque facilis erat in donando collusoribus.» — *tristem*] «severo voltu in locis *cavis*,» *Löchern.* — *Nomentanum*] prodigum ac luxuriosum. Sat. 1, 1, 102. — *natura coërcet*] «certis finibus circumscribit; iudicat, vobis et iustum esse et sufficere.»

181. *intestabilis*] «cui propter delicta vel prodigalitatem interdictum est iure testimonium dicendi apud iudices, testamenti etiam faciendi et testamento quid ab alio accipiendi.» — *sacer*] «qui leges sacratas, quibus innitebantur plebis iura, violarat, is plebiscito in comitiis tributis rogato sacer dis inferis iudicabatur.» Festus: «neque fas est hominem sacrum immolari, sed qui occidit, parricidii non damnatur; nam lege tribunitia prima cavetur: *SI QUIS EUM, QUI EO PLEBISCITO SACER SIT, OCCIDERIT, PARRICIDA NE SIT.* Ex quo quivis homo malus atque improbus *sacer* appellari solet.» *(ehrlos und verflucht.)*

182. 183. *In cicere*] Ludos significat, quorum editio propter gladiatores exhibendos, forum statuis, circum tensis ornandum, maiores utique impensas aedilibus ac praetoribus contrahebat quam; quod cum iis coniunctum erat, ut infimae plebeculae distribueretur cicer, faba, lupini. — *Latus*] «cubitis late distenta toga,» ut

Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis;
Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu,
Astuta ingenium vulpes imitata leonem.
Ne quis humasse velit Aiacem, Atrida, vetas cur?
Rex sum. Nil ultra quaero plebeius. Et aequam
Rem imperito: ac si cui videor non iustus, inulto
Dicere, quod sentit, permitto. Maxime regum,
Di tibi dent capta classem deducere Troia!
Ergo consulere et mox respondere licebit?
Consule. Cur Aiax, heros ab Achille secundus,
Putescit, toties servatis clarus Achivis,
Gaudeat ut populus Priami Priamusque inhumato,
Per quem tot iuvenes patrio caruere sepulcro?

v. 188. *quaere* B. e Cld. Bland. v. 191. *redducere* Codd. boni.

Epod. 4, 7: *bis trium ulnarum toga.* — *ut stes*] «ut tibi decernatur statua aerea; sed hac gloriola abreptus interea rem tuam familiarem disperdes. Verum adeone stultus tu eris, ut speres unquam fore, ut tamquam alteri Agrippae tibi populus plaudat?» In primis autem apta est huius mentio, quia Agrippa consul a. u. c. 721. sponte aedilitate suscepta, ludis et spectaculis magnificentissimis populi plausum tulerat.

187 — 191. *humasse*] aoristi significatione. — *Rex sum*] «Sic volo, sic iubeo; stat pro ratione voluntas.» Demisse respondet miles, unde rex partic. *et*, quia nihil obiectum fuerat, orationem continuat. — *inulto*] «ita ut impunitus maneat;» in prosa or. «impune.» — *Di tibi dent*] Iliad. α, 18: Ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες Ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν, εὖ δ' οἴκαδ' ἱκέσθαι. — *deducere*] «domum ducere,» ut *decedere de provincia*, «in Urbem redire.»

192 — 195. *consulere*] comice, quasi rex esset ICtus. Formulam servavit Cicero pro Mur. 13: *Et vestrum illud: LICET CONSULERE? — ab Achille*] Iliad. β, 768: Ἀνδρῶν αὖ μέγ' ἄριστος ἔην Τελαμώνιος Αἴας, Ὄφρ' Ἀχιλεὺς μήνιεν· ὁ γὰρ πολὺ φέρτατος ἦεν. — *Putescit*] «insepultus est.» Odyss. α, 162: Ἀνέρος, οὐ δή που λεύκ' ὀστέα κύδεται ὄμβρῳ. — *Gaudeat*] Iliad. α, 255: Ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες, Ἄλλοι τε Τρῶες μέγα κεν κεχαροίατο θυμῷ.

Mille ovium insanus morti dedit, inclitum Ulixen
Et Menelaum una mecum se occidere clamans.
Tu cum pro vitula statuis dulcem Aulide natam
Ante aras spargisque mola caput, improbe, salsa,
Rectum animi servas? Quorsum? Insanus quid enim Aiax
Fecit, cum stravit ferro pecus? Abstinuit vim
Uxore et gnato, mala multa precatus Atridis,
Non ille aut Teucrum aut ipsum violavit Ulixen.
Verum ego, ut haerentes adverso litore naves
Eriperem, prudens placavi sanguine divos.
Nempe tuo, furiose. Meo, sed non furiosus.
Qui species alias veris scelerisque tumultu
Permixtas capiet, commotus habebitur, atque,
Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira.
Aiax cum immeritos occidit, desipit, agnos?
Cum prudens scelus ob titulos admittis inanes,

v. 208. *veri* Libri plerique. Mein. Al. *vero*.

197 — 205. *Mille ovium*] Cfr. Gell. 1, 16. *Mille* in hac constr. est nomen, χιλιάς. — *improbe*] λιτότης pro impio, scelesto. *Liebloser* Voss. — *Rectum animi*] «rectam mentem, rectum animi statum.» — *Quorsum? Insanus quid*] Agamemno: «Quorum haec, quae dicis, spectant?» Miles: «Quid tandem nimis perversi fecit Aiax, etiam cum insaniret pecoraque trucidaret? Abstinuit tamen cet.» — *Uxore*] Tecmessa. — *gnato*] Eurysace. — *ipsum*] «vel ipsum Utixem, tam sibi exosum.» — *Verum ego*] Respondet Agamemno. — *adverso*] «mihi inimico» propter id ipsum, quod naves in eo haerebant neque in altum provehi poterant.

208. 209. *species alias veris*] «*species*, φαντασίας, opiniones animo conceptas, *Vorstellungen*, alias a veris, falsas et confusas ea exagitatione mentis et conturbatione, quae oritur ex scelerum conscientia.» Sic Epp. 1, 16, 20: *alium sapiente bonoque*. Epp. 2, 1, 240: *alius Lysippo*. — *commotus*] «cerritus, mente captus,» *verrückt*.

212 — 222. *titulos*] «tibi ponendos plenos laudum tuarum, qui nomen tuum apud posteros aeternent,» i. e., «ob vanam gloriae cupiditatem.» — *Stas animo*]

Stas animo, et purum est vitio tibi cum tumidum est cor?
Si quis lectica nitidam gestare amet agnam,
Huic vestem, ut gnatae, paret ancillas, paret aurum;
Rufam aut Pusillam appellet fortique marito
Destinet uxorem; interdicto huic omne adimat ius
Praetor et ad sanos abeat tutela propinquos.
Quid? si quis gnatam pro muta devovet agna,
Integer est animi? Ne dixeris. Ergo, ubi prava
Stultitia, hic summa est insania: qui sceleratus,
Et furiosus erit; quem cepit vitrea fama,
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
Nunc age luxuriam et Nomentanum arripe mecum:
Vincet enim stultos ratio insanire nepotes.
Hic simul accepit patrimoni mille talenta,
Edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius ac Tusci turba impia vici,

recto; «tibi ipse constas sanaque es mente?» — *cor*] *Verstand*, ut: *Egregie cordatus homo Catus Aeliu' Sextus.* — *Rufam aut Pusillam*] Haec nomina haud raro in Inscriptt. reperiuntur. — *interdicto*] Ulp. Fr. 12, 2: *Lex XII tabularum furiosum itemque prodigum, cui bonis interdictum est, in curatione* (pro quo voc. proprio Horatius v. *tutela* utitur:) *iubet esse agnatorum.* — *vitrea*] «falso splendore nitens.»

223 — 224. *Hunc circumtonuit*] Quod attonitus, ἐμβρόντητος, a deo aliquo homo esset, insanum factum interdum credebant, ut *cerritum* a Cerere, *lymphatum* a Nymphis. — *Bellona*] Sacerdotum genus significat, quod ex infima plebe erat; qui furiosorum in morem saltantes destrictis gladiis sese cruentabant, ut Galli, Magnae Matris deum Idaeae sacerdotes. Illi autem vocabantur *fanatici ex aede Bellonae.* — *cruentis*] «rebus s. spectaculis, cruore.» — *arripe*] «ut eum reprehendas aeque acriter atque ego eum meo iure vitupero.»

227 — 233. *Edicit*] quasi praetor; sed hoc volt: «per praeconem privatum vel etiam servulum omnibus notum facit.» — *Tusci*] Tusci aliquando ab Aricinis pulsi contulere se Romam et vicum, qui nunc Turarius dicitur, insederunt

Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum,
Mane domum veniant. Quid tum? Venere frequentes.
Verba facit leno: Quidquid mihi, quidquid et horum
Cuique domi est, id crede tuum et vel nunc pete vel cras.
Accipe, quid contra iuvenis responderit aequus:
In nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum
Coenem ego: tu pisces hiberno ex aequore verris;
Segnis ego indignus qui tantum possideam: aufer!
Sume tibi decies; tibi tantumdem; tibi triplex,
Unde uxor media currit de nocte vocata.
Filius Aesopi detractam ex aure Metellae,
Scilicet ut decies solidum absorberet, aceto
Diluit insignem baccam: qui sanior, ac si
Illud idem in rapidum flumen iaceretve cloacam?

v. 230. *qui cum venere* B. coni. Mein. v. 235. *vellis* Codd. multi. Fea. v. 240. *absorberet* B. Mein. *exsorberet* Lamb.

eique suum nomen dederunt. Comm. Cr. Ibi lenones habitabant, homines periuri atque infames. — *fartor*] qui insicia, farcimina, lucanicas, hillas vendit. — *Velabro*] ad radices Aventini olim palus, ubi lintribus vehebantur *(vehelabrum)*, ubi prostabant omnia, quae ad victus rationem atque delicias pertinebant. Comm. Cr. — *Quid tum? venere*] «Quid porro factum est? Brevi dicam: Venere.» — *aequus*] «benignus,» κατ' εἰρωνείαν.

234. 235. *dormis*] «humi te sternis, ut, si forte possis, somnum capias.» Cfr. Sat. 1, 1, 71. — *verris*] everriculo; id quod fieri poterat, etiam procelloso mari, non solum tranquillo.

239. 240. *Aesopi*] tragici actoris celebratissimi et Ciceronis amici, cuius filius nepos luxuriosissimus fuit. Caecilia autem Metella uxor P. Cornelii Lentuli Spintheris, qui cum ea divortium fecit a. u. c. 709. propter Dolabellae amores. Huic Aesopi filius iocabundus inaurem detraxit, largis postea muneribus compensaturus. *solidum*] integram summam decies sestertium. (82214 Flor. Rhen. s. 129584 Franc. Helvet.) — *absorberet*] ut Sat. 2, 8, 24: *absorbere placentas*, i. e. cum impetu et aviditate sorbere, ut dicitur *obducere*, *obligurire*.

241 — 245. *baccam*] unionem, margaritam. Similem rem narrat Plin. H. N. 9, 59. — *Q. Arri*] Cfr.

**Quinti progenies Arri, par nobile fratrum,**
**Nequitia et nugis, pravorum et amore gemellum,**
**Luscinias soliti impenso prandere coëmptas,**
**Quorsum abeant? sanin creta, an carbone notandi?**
**Aedificare casas, plostello adiungere mures,**
**Ludere par impar, equitare in arundine longa,**
**Si quem delectet barbatum, amentia verset.**
**Si puerilius his ratio esse evincet amare,**
**Nec quidquam differre, utrumne in pulvere, trimus**
**Qualę prius, ludas opus, an meretricis amore**
**Sollicitus plores: quaero, faciasne, quod olim**
**Mutatus Polemo? ponas insignia morbi,**
**Fasciolas, cubital, focalia, potus ut ille**
**Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,**

v. 246. *notati* B. e Codd.

v. 86. — *nobile*] κατ' εἰρωνείαν, «famosum et amore rerum pravarum simillimum par.» — *Luscinias*] trisyllabum. — *impenso*] pretio, magno. «Hi autem Arrii iam in *prandiis* luscinias apponere soliti, quid tandem in *coenis* fecerint consentaneum est?»

246 — 254. *sanin creta*] Est quasi proverbium. Pers. 5, 109: *Illa prius creta, mox haec carbone notasti? — verset*] in prosa or. «agitet.» — *amare*] meretrices. Sal. Cat. 11: *Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare. — ludas opus*] «opus serium ludendo imiteris, ut pueruli aedificant domos, molas cet.» — *faciasne*] «nonne facere debeas?» — *Polemo*.] «Iuvenis fuit Atheniensis perditae luxuriae. Is cum ebrius incederet per urbem, fertur audisse e propinquo Xenocratis vocem disputantis, deinde introisse coronatus et unguentatus ad eum deridendum. Senex autem perseveravit et invectus in luxuriam coëgit Polemonem poenitere sui et coronas abiicere; qui postea tantus in philosophia (Academica) exstitit, ut dignus existimatus sit, qui Xenocrati succederet.» Comm. Cr. — *insignia morbi*] «depone instrumenta luxuriae.»

255 — 259. *Fasciolas*] tegumentum crurum, pro nostris baxiis. — *cubital*] *Armpolster*. — *focalia*] a v. *faux*, *Halsbinde*. — *impransi*] sobrii. — *correptus*]

Postquam est impransi correptus voce magistri?
Porrigis irato puero cum poma, recusat:
Sume, catelle; negat: si non des, optet: amator
Exclusus qui distat, agit ubi secum, eat, an non,
Quo rediturus erat non arcessitus, et haeret
Invisis foribus? Ne nunc, cum me vocat ultro,
Accedam? an potius mediter finire dolores?
Exclusit; revocat: redeam? Non, si obseeret. Ecce
Servus non paullo sapientior: O here, quae res
Nec modum habet neque consilium, ratione modoque
Tractari non volt. In amore haec sunt mala, bellum,
Pax rursum: haec si quis tempestatis prope ritu
Mobilia et caeca fluitantia sorte laboret
Reddere certa sibi, nihilo plus explicet, ac si
Insanire paret certa ratione modoque.

v. 262. *Nec nunc* Codd. multi. Ibid. *vocet* Codd. multi.

«acriter reprehensus.» — *catelle*] ὑποκοριστικόν, quod in usu mansit usque ad tempora Hieronymi. Ep. ad Eustochium, Paulae filiam, 22, 29. parasita ad matronam: *Mi* (sic etiam Vallarsius) *catella, rebus tuis utere et vive dum vivis.* Voss. h. l. *Wieselchen.*

260—270. *Exclusus*] Non habendus est hic locus pro mera imitatione Terentiana (Eunuchi initio), sed lepide sequitur rationem Stoicorum, qua tragoediarum et comoediarum locos omnibus notos suam in rem convertebant. Tres autem personae sunt Phaedria, Parmeno, Thais. — *Ne nunc*] supple: «quidem;» — *explicet*] «ea, quae intricata sunt;» «nihil expediet, proficiet.»

272—274. *Picenis*] In Piceno optima pira et poma proveniebant. Sat. 2, 4, 70. — *percusti*] ut supra *divisse* cet. Ioci causa amantes pomorum semina uda duorum primorum digitorum compressu et impulsu ideo in altum agebant, ut inde, si semina illa ad *cameram* (conclavis laquear) usque exsiluissent, faustum amoris sui augurium caperent. Pollux 9, 128. — *feris*] «cum iam vetulus balba, ut solent amatores, verba profers.» «Feriuntur quasi verba, cum a palato repercutiuntur hacque pronuntiatione affectata sonus eorum debilitatur.»

275. 276. *Adde cruorem*] «Adde stulto tuo amori rixas cruentas, quales inter rivales oriri solent.» — *ignem gladio*] Pythagoricum:

Quid? cum Picenis excerpens semina pomis,
Gaudes, si cameram percusti forte, penes te es?
Quid? cum balba feris annoso verba palato,
Aedificante casas qui sanior? Adde cruorem
Stultitiae atque ignem gladio scrutare modo, inquam.
Hellade percussa Marius cum praecipitat se,
Cerritus fuit? an commotae crimine mentis
Absolves hominem et sceleris damnabis eundem,
Ex more imponens cognata vocabula rebus?
Libertinus erat, qui circum compita siccus
Lautis mane senex manibus currebat et, Unum,
Quid? tam magnum? addens, unum me surpite morti,
Dis etenim facile est, orabat; sanus utrisque
Auribus atque oculis; mentem, nisi litigiosus,

v. 276. *scrutare. Modo, inquam* B. v. 283. *Quiddam magnum addens* Lamb.

πῦρ μαχαίρᾳ μὴ σκαλεύειν; quo symbolo Horatius negatione sublata ita utitur, quasi dicat: «turba et permisce omnia; insanos concita tumultus.» — *scrutare modo, inquam.*] «tumultuare modo, et brevi experiere, quid mali inde seculorum sit.» *Inquam* autem exprimit indignationem, qua exardeat ille ipse, qui cum amara εἰρωνείᾳ haec praecipit, *adde modo* cet.

277 — 280. *Hellade*] De hac puella eiusque interfectore nihil afferunt Scholiastae, quod non insit in ipsis poëtae verbis. — *Ex more*] «ex volgari consuetudine loquendi.» — *cognata*] ex Stoicorum doctrina homonyma.

281 — 283. *compita*] ubi Lares Praestites positi erant, a Curio voti, restaurati ab Augusto. (Ovid. Fast. 5, 129.) Ibi quotidie mane stolidus ille libertinus circumcursabat. — *siccus*] «nequaquam ebrius, ita ut probe sibi conscius esset, quid vellet.» — *Lautis*] quemadmodum solebant precaturi. — *Quid? tam magnum? addens*] *Quid?* num hoc est tam magnum donum?» — *surpite*] «surripite;» sic nunc in Ennii loco apud Cic. de Off. 1, 12. Zumpt recepit *acpite* (accipite) pro volg. *accipe*.

284 — 287. *Dis etenim*] Theognis v. 11: Ἄρτεμι, - - Εὐχομένῳ μοι κλῦθι, κακὰς δ' ἀπὸ κῆρας ἄλαλκε. Σοὶ μὲν τοῦτο, θεά, μικρόν, ἐμοὶ δὲ μέγα. — *litigiosus*] «nisi lites amaret, statim diceret empturienti hominem istum

**Exciperet dominus, cum venderet. Hoc quoque volgus**
**Chrysippus ponit fecunda in gente Meneni.**
**Iuppiter, ingentes qui das adimisque dolores,**
**Mater ait pueri menses iam quinque cubantis,**
**Frigida si puerum quartana reliquerit, illo** 290
**Mane die, quo tu indicis ieiunia, nudus**
**In Tiberi stabit. Casus medicusve levarit**
**Aegrum ex praecipiti, mater delira necabit**
**In gelida fixum ripa febrimque reducet.**
**Quone malo mentem concussa? Timore deorum.** 295
**Haec mihi Stertinius, sapientum octavus, amico**
**Arma dedit, posthac ne compellarer inultus.**
**Dixerit insanum qui me, totidem audiet atque**
**Respicere ignoto discet pendentia tergo.**

mente captum esse.» «Qui vendunt mancipia, solent hoc adiicere: *SANUS CORPORE ET ANIMO.*» PORPH. — *Meneni*] homo insanus, tunc omnibus bene notus. Meneniae ineptiae in proverbium abierant, teste PORPHYR.

289—295. *cubantis*] «aegrotantis,» ut Sat. 1, 9, 18. Loquitur autem de muliercula *σεβομένῃ*, *metuente dei*, (ut sese vocitabant) id est, proselyta superstitionis Iudaicae, vel etiam Isiacum cultum amplexa. — *illo Mane die*] die igitur Iovis, quo homines orientales, Iudaei, Aegyptii ieiunium servare et in fluminibus expiandi se et purgandi causa lavari solebant. — *Casus*] «Etsi fortasse casus medicusve puerum ex vitae periculo eripuerit.» — *ex praecipiti*] Sic volgo etiam loquebantur, nec quidquam inest poëtici sermonis. — *Quone*] duplex interrogatio, ut Sat. 2, 2, 107: *uterne*. — *Timore deorum*] (*δεισιδαιμονίᾳ*) utique reiiciendo, cum laudetur *metus deorum*, ut Livius 20, 4. de Hannibale; *nullus deum metus, nullum ius iurandum, nulla religio*.

296—299. *octavus*] comice, ut Iuven. 2, 40: *Tertius e caelo decidit Cato;* grata contra hyperbola Sappho Graecis est decima Musa. — *compellarer*] «ne iniuriosis verbis me adorirentur iniqui mei.» — *totidem*] «quot ille mihi ingesserit verba insaniam significantia: insane, delire, cerrite cet., totidem rursus regeram. Sic eum docebo sua ipsius vitia respicere atque agnoscere.» Nota est fabella Aesopia, duas peras s. manticas nobis esse datas, unam e pectore, alteram e tergo suspensam; in illa aliena vitia, in hac propria asser-

Stoïce, post damnum sic vendas omnia pluris,
Qua me stultitia, quoniam non est genus unum,
Insanire putas? ego nam videor mihi sanus.
Quid? caput abscissum manibus cum portat Agave
Gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur?
Stultum me fateor, liceat concedere veris,
Atque etiam insanum; tantum hoc edissere, quo me
Aegrotare putes animi vitio? Accipe: primum
Aedificas, hoc est, longos imitaris, ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis, et idem
Corpore maiorem rides Turbonis in armis
Spiritum et incessum: qui ridiculus minus illo?
An quodcunque facit Maecenas, te quoque verum est

v. 301. *Quam me stultitiam* B. Mein.

vari. — *ignoto*] «quod nunquam videmus.»

300. 301. *sic*] «Opto verum mihi dicas; sic, ubi hoc feceris, contingat tibi, ut post rei familiaris naufragium, rursus lucrum facias in vendendis hortis, tabulis, signis, et quidem maius etiam quam antea, quo iactura illa cito compensetur.» — *pluris*] «quam priusquam decoxisti;» — *Qua me stultitia*] «Propter quam stultitiam (nam aliqua laborare me concedo) tua ex doctrina me insanis adnumeras? quod quidem mihi nimis severum iudicium videtur.»

303—305. *abscissum*] Hygin. F. 184: *Pentheus, Echionis et Agaves filius, rex Thebarum, Liberum negavit deum esse nec mysteria eius accipere voluit. Ob hoc eum Agave mater cum sororibus Ino et Autonoë per insaniam a Libero obiectam membratim laniavit.* Male alii *abscisum* (ferro.) De eadem re Ovid. Met. 3, 732: (Agave) *Avolsumque caput digitis complexa cruentis, Clamat Io.* — *veris*] ut supra v. 223. *cruentis*, v. 244. *pravorum et amore*, Sat. 2, 8, 83: *fictis rerum.*

308—315. *longos*] *langleibige* Voss. «Divites aemulatus in villula tua domum vel porticus nunc ipsum exstruis, id quod curtae tuae rei parum convenit, nec minus ridiculum est quam si tu, prope pumilio, longos statu atque incessu imitari velis.» «*Turbo* gladiator fuit exiguo corpore, sed animosus pugna.» Porph. — *Spiritum*] (*Feuer im Antlitz* potius quam *Athem:* Voss.) *maiorem corpore*, quam convenire videtur homini tam pusillo. — *verum est*] «rectum et iustum est facere te quoque tam dissimilem et tanto

Tantum dissimilem et tanto certare minorem?
Absentis ranae pullis vituli pede pressis,
Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Belua cognatos eliserit. Illa rogare:
Quantane? num tantum, sufflans se, magna fuisset?
Maior dimidio: Num tantum? Cum magis atque
Se magis inflaret; Non, si te ruperis, inquit,
Par eris. Haec a te non multum abludit imago.
Adde poëmata nunc, hoc est, oleum adde camino:
Quae si quis sanus facit, et sanus facies tu.
Non dico horrendam rabiem. Iam desine. Cultum
Maiorem censu. Teneas, Damasippe, tuis te.
Mille puellarum, puerorum mille furores.
O maior tandem parcas, insane, minori.

v. 318. «*Maior dimidio.*» *Num tantum?* Volgo. v. 323. *fecit, sanus facis et tu* B.

minorem s. inferiorem *certare* i. e. in certando cum Maecenate?» — *denarrat*] «ordine et plene narrat.»

317. 318. *num tantum, sufflans se, magna fuisset*] v. *sufflare* hac in re usitatissimum erat. Plaut. Stich. 5, 4, 42: *Suffla celeriter tibi buccas.* — Vv. *Maior dimidio* si cum plerisque pro pulli responso habeas, nihil aliud profecto significat quam: «dimidio tuo corpore, mater, vitulus te maior erat:» quod sane perversum est neque ulla vel hyperbola vel εἰρωνείᾳ defendi potest. Quocirca aliter distinxi cum Waddelio et Kirchnero Obss. p. 56. «*Maior dimidio* iam se sufflando facta mater rursus pullum interrogat: *Num tantum?*

320—326. *abludit*] «abhorret, discrepat.» — *Adde*] «Aliam nimio aedificandi studio» (quod videlicet poëta in semet ipso per εἰρωνείαν dumtaxat reprehendit:) «adiungis insaniam, poëmata componendo; sicque malum auges, quasi ignem oleo exstinguere velles.» — *sanus*] Cic. de Divin. 1, 37: *Negat sine furore Democritus quemquam poëtam magnum esse posse; quod idem dicit Plato.* A. P. 290: *excludit sanos Helicone poëtas Democritus.* — *rabiem*] praesertim in servos negligentiores. Epp. 1, 20, 25: *Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.* — *Teneas tuis te*] «Contine te iis, quae ad te pertinent; cura temet ipsum; alios missos fac.» — *furores*] «vehementes amores.» — *maior - - insane*] «magis insane parce minus insano.»

# SATIRA IV.

**Unde et quo Catius? Non est mihi tempus aventi**
**Ponere signa novis praeceptis, qualia vincant**
**Pythagoran Anytique reum doctumque Platona.**

v. 2. Al. *vincunt*, *vincent*.

IV. De Catio, quem sibi Horatius fingit artis culinariae et mensae struendae praecepta summa cum gravitate et tamquam ex tripode tradentem, Comm. Cruq. haec nobis refert: «Sub persona Catii risurus est poëta Epicureos, ut in proxime superiore risit Stoicos. Fuit autem M. Catius Epicureus, qui quattuor libros scripsit de rerum natura et de summo bono, quod cum Epicurei in voluptate ponerent, hoc est, in gulae et corporis libidine, - - rogat Catium Horatius, ut sibi dicat coenae parandae et ordinandae magistrum eiusque praecepta.» Sane Catium Insubrem, Epicureum, ut scriptorem nuper admodum mortuum commemorat Cicero Epp. ad Fam. 15, 16. (a. u. c. 709.) cfr. Quintil. 10, 1, 124: *In Epicureis levis quidem, sed non iniucundus tamen auctor est Catius.* Sed nemo Interpretum praeter Dacierium animadvertit, quod tradit Comm. Cruq. ad v. 46: «Irridet eum, quod de opere pistorio in suo libro scribit de se ipso: *Haec primus invenit et cognovit Catius Miltiades:*» id quod prorsus convenit cum v. 74., ubi cum magno sui amore repetit *Primus et invehior*. Fuerit igitur Catius Miltiades, libertus Catii a Cicerone memorati, scriptor de arte coquinaria, persona ridicula per totam Urbem nota.

1—3. *Unde et quo*] Cfr. Sat. 1, 9, 62. — *Ponere signa*] haec vv. referenda sunt ad artem mnemonicam, qua utebantur et oratores et philosophi antiqui. Festinat igitur Catius *ponere*, referre, *signa*, voc. proprio *imagines* sententiarum suarum in *locis* a se captis. Cfr. Script. ad Herenn. 3, 16—24. Cic. de Or. 2. 86., ubi §. 359. ipse quoque utitur verbo *ponere: Rerum memoria propria est oratoris: eam singulis personis bene positis notare possumus, ut sententias imaginibus, ordinem locis comprehendamus.* Eo salsior autem est locus, quod artificiali memoriae parum aut nihil tribuisse Horatium veri simile est. — *vincant*] Athenaeus 7, 36: Ἀλαζονικόν ἐστι πᾶν τὸ τῶν μαγείρων φῦλον. — *Anytique reum*] Socratem accusatum a Melito huiusque subscriptoribus (συνηγόρους) Anyto et Lycone, Plat. Apol. Socr. p. 23. E.

Peccatum fateor, cum te sic tempore laevo
Interpellarim; sed des veniam bonus oro.
Quod si interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox,
Sive est naturae hoc sive artis, mirus utroque.
Quin id erat curae, quo pacto cuncta tenerem,
Utpote res tenues tenui sermone peractas.
Ede hominis nomen, simul et Romanus an hospes.
Ipsa memor praecepta canam, celabitur auctor.
Longa quibus facies ovis erit, illa memento,

4—9. *laevo*] Oppositum Sat. 2, 1, 18: *dextro tempore.* — *bonus*] Non est pro vocativo, sed: «pro animi tui bonitate, optime mihi nota.» — *interciderit*] «excideritе memoria propter interpellationem meam.» — *artis*] «memoriae artificialis a Simonide inventae,» propter quam scientiam a Catio affectatam malitiose eum irridet Horatius. — *Quin id*] Gaudet Catius occasione insperato sibi oblata novae sapientiae praecepta cum Horatio communicandi, hocque ipso modo ea memoriae affigit.» — *tenues*] h. l. «λεπτάς, subtiles atque subtili sermone accurate expositas.»

11. *Ipsa*] Sic *praecepta* opponuntur *auctori* multo melius, quam si legas *ipse.* — *canam*] quasi alter Empedocles, vel etiam Pythagoras: *Magna - - Quaeque diu latuere canam.* (Ovid. Met. 15, 146.) — *auctor*] haud prorsus improbabile est, quod tradit Comm. Cr., Catium ipsum in libro suo significasse pleraque se debere viro alicui conspicuo simulque artis coquinariae peritissimo, cuius nomen tamen celandum fuerit, ne dignitas eius quoquo modo minueretur.

12—14. *Longa*] «Bene ab ovis incipit, id est, ab initio coenae, ut alibi (Sat. 1, 3, 7:) ab ovo usque ad mala.» Sch. — *succi melioris*] non tam *grattoris saporis*, ut h. l. intellexit iam Plinius H. N. 10, 74., quam «εὐχυμότερα, quae facilius concoquuntur salubriusque nutrimentum praebent.» Celsus 2, 20: *Boni succi sunt - - cucumis, cucurbita, ovum sorbile.* — *alba*] Ipse Bentleius cum sentiret coni. suam *alma* («alibilia, nutrientia, *nahrhaft*) respui a sermone quotidiano (etsi *almus ager, almae vites, alma ubera* locum habent in sermone epico et didasealico), in Curis novissimis rediit ad librorum lect. *alba* rectequе rettulit ad vitelli (non albuminis) colorem albicantem, cum recentia sunt, oppositum subrufo, qui oritur, ubi ova putrescere incipiunt. — *marem*] Utique ex opinione rusticorum Romanorum. Colum. 8, 5, 11: *Cum quis volet quam plurimos mares excludi, lon-*

**Ut succi melioris et ut magis alba rotundis,**
**Ponere; namque marem cohibent callosa vitellum.**
**Caule suburbano, qui siccis crevit in agris,**
**Dulcior; irriguo nihil est elutius horto.**
**Si vespertinus subito te oppresserit hospes,**
**Ne gallina malum responset dura palato,**
**Doctus eris vivam musto mersare Falerno;**
**Hoc teneram faciet. Pratensibus optima fungis**

v. 13. *alma* de Bentl. coni. ab ipso reiecta Mein. v. 19. *musto*] Bentl. Libri *mixto*.

*gissima quaeque et acutissima ova subiiciet; et rursus cum feminas, quam rotundissima.* Contrarium tradit Aristot. H. A. 6, 2, 2. ἔστι δὲ τὰ μὲν μακρὰ καὶ ὀξέα τῶν ᾠῶν θήλεα, τὰ δὲ στρογγύλα καὶ περιφέρειαν ἔχοντα κατὰ τὸ ὀξὺ ἄῤῥενα. — *cohibent*] «circumdant, et propter id ipsum, quod *callosa* sunt, haud facile cum albumine misceatur vitellus.» — *callosa*] «spissae ac firmae materiae;» intellige de vitello, non cum albis de putamine.

15. 16. *Caule*] *broccoli*. — *suburbano*] Quia in hortis suburbanis praeter piscinas rivi et euripi amoenitatis causa inducti nimis humectant solum, unde brassica fit insipida. Contraria sane est doctrina Palladii 3, 24, 5: *caules - - argillam et glaream timent, sabulone et arenis non delectantur, nisi perennis unda succurrat.* — *irriguo*] D. Heinsius volebat: *irrigui nihil est elutius* (magis fatuum) *horti* caule; quod merito reiecit Bentl., etsi Batavus falsa coni. recte hunc locum interpretatus est.

17 — 19. *oppresserit*] «impasatum occupaverit.» Cic. ad Att. 13, 38: *vereor maxime, ne in Tusculano opprimar.* — *malum responset*] Comparari potest Od. 2, 19, 6: *turbidum laetatur;* Od. 3, 27, 67: *perfidum ridens;* Epp. 2, 2, 9: *canet indoctum.* Esset igitur, ut ait Bothius, concise dictum, pro eo quod est: «malum dare palato dure responsando.» Cum tamen in v. *responsare* (aspere ac ferociter respondere, adversari et reluctari) per se insit malae contumaciae notio, habet, quo se commendet Iacobsii distinctio: *Ne gallina, malum! r. d. p.*, ut v. 82: *flagitium ingens!* Epp. 1, 6, 22: *indignum! — Doctus eris*] verbum, non adiect. «Docebere, docetor a me.» — *musto*] Mustum dulce conservabant usque in annum, ita ut quovis mense praesto esset coquo. Cato RR. 120. Colum. 12, 29.

20. 21. *Pratensibus*] Ac sane morchella edulis, agaricus deliciosus, lycoperdon tuber in pratis, contra nocentissimus ille agaricus muscarius in silvis aliisque locis

**Natura est: aliis male creditur. Ille salubres**
**Aestates peraget, qui nigris prandia moris**
**Finiet, ante gravem quae legerit arbore solem.**
**Aufidius forti miscebat mella Falerno,**
**Mendose; quoniam vacuis committere venis**
**Nil nisi lene decet; leni praecordia mulso**
**Prolueris melius. Si dura morabitur alvus,**
**Mitulus et viles pellent obstantia conchae**
**Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo.**
**Lubrica nascentes implent conchylia lunae;**
**Sed non omne mare est generosae fertile testae.**
**Murice Baiano melior Lucrina peloris,**

opacis reperitur. — *aliis*] in silvis ac paludibus natis. *Inutiles* vocat Celsus 5, 27, 12.

22. 23. *prandia*] Proprie accipe, non de gustatione initio coenae. — *ante gravem*] «mane igitur, ne nimis a sole cocta aestum moveant, sed potius stomachum salubriter refrigerent.»

24—27. *Aufidius*] Utrum sit M. Aufidius Lurco, qui primus pavones saginare instituit (Plin. H. N. 10, 20, 23.) necne, nobis parum compertum est. — *mella Falerno*] Loquitur de promulside. Plinius 22, 53: *Semper mulsum ex vetere vino utilissimum facillimeque cum melle concorporatur, quod in dulci nunquam evenit.* — *vacuis - venis*] coenae initio. — *praecordia*] intestina, in primis ventriculum. Epod. 3, 5. — *prolueris*] Sat. 1, 5, 16: *Multa prolutus vappa.*

28—30. *Mitulus*] Athen. 3. p. 83. e: *τὴν τελλίναν - ἣν Ῥωμαῖοι μίτλον ὀνομάζουσι*, conchula esculenta. Celsus 2, 29: *Alvum movent - - cochleae - - ostrea, peloridis, echini, musculi et omnes fere conchulae maximeque ius earum.* — *lapathi*] rumicis, *Sauerampfer.* — *brevis herba*] «humilis.» — *Coo*] Etiam Celsus l. l. ad alvum movendam commendat *vinum dulce vel salsum.* Plin. 14, 10: *Coi marinam aquam largiorem miscent* (vino): - - *idque translatum in album mustum leucocoum appellatur.* — *Lubrica*] Intellige de succo et pulpa, *(schleimig).* — *nascentes*] «Luna crescens.» Plin. 2, 41: *Lunari potestate ostreorum conchyliorumque et concharum omnium corpora augeri ac rursus minui - - exquisivere diligentiores.*

32—34. *Murice*] *Stachelschnecke.* — *peloris*] *Gienmuschel.* — *Circeiis*] oppido et promontorio Latii. Plin. 32, 21: *Circeiensibus ostreis neque dulciora ne-*

**Ostrea Circeiis, Miseno oriuntur echini,**
**Pectinibus patulis iactat se molle Tarentum.**
**Nec sibi coenarum quivis temere adroget artem,**
**Non prius exacta tenui ratione saporum.**
**Nec satis est cara pisces avertere mensa,**
**Ignarum quibus est ius aptius et quibus assis**
**Languidus in cubitum iam se conviva reponet.**
**Umber et iligna nutritus glande rotundas**
**Curvat aper lances carnem vitantis inertem:**
**Nam Laurens malus est, ulvis et arundine pinguis.**
**Vinea submittit capreas non semper edules.**

v. 37. *averrere* Bentl. Mein. v. 41. *Curvet* Bentl. Mein.

*que teneriora esse ulla compertum est.* — *Miseno*] oppido et promontorio Campaniae. — *Pectinibus*] *Kammmuscheln.* — *patulis*] *ἀναπτύχοις*, quae facile conchas aperiunt et claudunt.» — *molle Tarentum*] Cfr. Epp. 1, 7, 45: *imbelle Tarentum.*

35 — 39. *Nec*] ut interdum etiam in prosa or. pro *nec vero, nec tamen.* — *exacta*] «explorata.» Virg. Aen. 1, 309: *sociisque exacta referre.* — *tenui*] Pers. 6, 24: *tenuem turdarum nosse salivam.* — *avertere*] «a mensa piscatoria carissimos quosque pisces cupide et quovis pretio auferre atque celeriter aliis praeripere emptoribus.» — *Ignarum quibus est*] «semper in omnibus conviviis;» hinc indicativus. — *ius aptius*] «qui elixi apponendi sunt,» quos *patinarios* vocat Plaut. Asin. 1, 3, 28. — *quibus assis*] dativ., non ablat. — *Languidus - - reponet*] «prope satur suavitate condimenti ad edendum revocabitur.» Comm. Cr. Cubito sinistro innixi et paullum se attollentes, cum comedebant, in toro se fulciebant; saturi in cervical se reclinabant.

41. 42. *Curvat*] Catii igitur magister praeferebat apros in Umbria, maxime in Apennini saltibus ilicis glandibus (*Steineichkernen* Voss.) pastos illis, qui in paludibus Laurentinis ad mare Tuscum inter Ardeam et ostia Tiberis capiebantur, quia horum caro *iners*, insipida et fatua esset. — *ulvis*] *Kolbenschilf*, *Kolben.* Voss. De his Virg. Aen. 10, 709: *quem - Defendit - palus Laurentia - - silva Pastus arundinea.*

43. 44. *Vinea*] «Propter foliorum vitis amaritudinem caprearum his pastarum caro non semper placet palato; quocirca quaerendae potius capreae in saltibus captae, quae gramen ac segetes depascuntur.» — *submittit*] «suppeditat.» — *Fe-*

Fecundae leporis sapiens sectabitur armos.
Piscibus atque avibus quae natura et foret aetas,
Ante meum nulli patuit quaesita palatum.
Sunt, quorum ingenium nova tantum crustula promit.
Nequaquam satis in re una consumere curam;
Ut si quis solum hoc, mala ne sint vina, laboret,
Quali perfundat pisces securus olivo.
Massica si caelo suppones vina sereno,
Nocturna, si quid crassi est, tenuabitur aura
Et decedet odor nervis inimicus; at illa
Integrum perdunt lino vitiata saporem.
Surrentina vafer qui miscet faece Falerna

v. 44. *Fecundi* Codd. multi.

*cundae*] Explicant fere «praegnantis,» sed sine exemplo. Tu proprie accipe pro ἐπιδέτῳ leporis naturam significante, utpote quae ex veterum atque etiam recentiorum nonnullorum doctrina superfetet. — *sapiens*] «peritus γαστρονομίας; conviva non temere aliud leporis frustum seliget nisi *armos* (*Schultern*), quippe qui optimi sint saporis.» Acron et Fea explicant «lumbos» contra consuetudinem Latinam.

51 — 56. *Massica*] ex Campania, tertii ordinis vinum teste Plinio 14, 8, 3. — *crassi*] «spissi et propterea bibenti minus grati. — *tenuabitur*] Plin. 14, 27: *Campaniae vina nobilissima exposita sub dio in cadis verberari sole, luna, imbre, ventis aptissimum videtur.* — *odor nervis inimicus*] «vis illa vini aromatica (*bouquet*), quae nimis cito potorem ebrium reddit.» Hoc igitur modo Massica extenuanda sunt, neutiquam ut, cum ex doliis in cados diffunduntur, per saccum lineum colentur. — *Surrentina*] Surrentum, oppidum Campaniae in sinu Puteolano; haec leviora erant nec facile ante annum XV. probabantur; Plin. 14, 8, 3: *Ad tertiam palmam venere - - Surrentina - - convalescentibus maxime probata propter tenuitatem salubritatemque.* — *faece Falerna*] ut eius saporem combibat. Colum. 12, 30: *Si qua vina erunt duriora aut minus bona, - - sumito faecem vini boni et panes facito et in sole arefacito et coquito in igne, postea terito et pondo quadrantem amphoris singulis infricato et oblinito.* — *limum*] «Ubi faex illa melius reddiderit vinum Surrentinum, hoc ovo columbino rursus defaecato, quoniam vitellus materias alienas secum ad dolii fundum devolvit.»

58 — 62. *squillis*] quas Graeci καρίδας nominant aut καρμίφους.

Vina, columbino limum bene colligit ovo,
Quatenus ima petit volvens aliena vitellus.
Tostis marcentem squillis recreabis et Afra
Potorem cochlea; nam lactuca innatat acri
Post vinum stomacho; perna magis ac magis hillis
Flagitat immorsus refici; quin omnia malit,
Quaecunque immundis fervent allata popinis.
Est operae pretium duplicis pernoscere iuris
Naturam. Simplex e dulci constat olivo,
Quod pingui miscere mero muriaque decebit,
Non alia quam qua Byzantia putuit orca.

v. 61. *in morsus* Lamb. et plerique ante Feam. Ibid. *mavolt* Bentl. v. 65. *At pingui* B. e Cod. Bosii.

Comm. Cr. *Squillenkrebs.* — *cochlea*] Dioscor. 2, 11: κοχλίας χερσαῖος εὐστόμαχος - - ἄριστος δὲ ὅ τε ἐν Σαρδῶνι καὶ Λιβύῃ. — *lactuca*] Rursus contra Romanorum consuetudinem pugnat, qua lactuca cum aceto coenas claudebant, ut vini vim frangerent. Virg. Moret. 76: *Grataque nobilium requies lactuca ciborum.* — *innatat*] «supernatat, non subsidet *stomacho acri*, aestuanti,» ut Seneca Ep. 95: *nivem rodunt, solatium stomachi aestuantis.* — *hillis*] *hilla* deminutive dicta ab *hira*, quod est intestinum ieiunum, (*Leerdarm*) farciminis genus. (*Knackwurst* Voss.) — *immorsus*] «vellicatus, excitatus.» Loquitur de iis gulae irritamentis, quae *pervellunt stomachum:* Sat. 2, 8, 9. — *malit*] βούλοιτ' ἄν. — *immundis*] ut erant Romae haec infimae plebeculae receptacula. Epp. 1, 14, 21: *uncta popina.* Mart. 7, 60: *nigra popina.* — *fervent*] «Tunc (quod alias vix faceret immundam praeparationem nauseans,) appetit conviva vile aliquod ferculum, sed bene piperatum salsumque et fumans, qualia plebeii sibi ex popinis afferri iubent.» Sic prorsus faciebat Vitellius Suet. Vit. 13: *ne - in itinere quidem ullo temperavit, quin - - manderet circa viarum popinas fumantia opsonia.*

63 — 66. *duplicis iuris*] «duorum iurium, simplicis et compositi.» — *pingui*] *klebricht*; opponitur tenui, estque idem, quod Celso 1, 6: *plenius.* — *muria*] «liquamen praecipue thynnorum, ut garum, scombrorum.» *Lake.* — *non alia*] Optima habebatur, quae ex thynnis ad Byzantium captis praeparabatur. Athen. 3, 84: Θύννων ὡραίων Βυζάντιον ἔπλετο μήτηρ. — *putuit*] «cujus gravi odore imbuta est orca Byzantia, ὕρχη, vas fictile, salsamentis servandis aptum.»

**Hoc ubi confusum sectis inferbuit herbis**
**Corycioque croco sparsum stetit, insuper addes**
**Pressa Venafranae quod baca remisit olivae.**
**Picenis cedunt pomis Tiburtia succo;**
**Nam facie praestant. Venucula convenit ollis,**
**Rectius Albanam fumo duraveris uvam.**
**Hanc ego cum malis, ego faecem primus et allec,**
**Primus et invenior piper album cum sale nigro**
**Incretum puris circumposuisse catillis.**
**Immane est vitium dare milia terna macello**
**Angustoque vagos pisces urgere catino.**
**Magna movet stomacho fastidia, seu puer unctis**

67. 68. *Hoc ubi*] Simplex igitur ius constabat ex oleo, vino, muria: compositum autem ex hoc, quod *simplex* vocat, decocto cum herbis odoriferis (rore marino, thymo, croco); deinde, ubi steterat, rursus admiscebatur oleum Venafranum frigidum, optimum illud ex Campania. Od. 2, 6, 15. — *Corycio*] Plin. 21, 17: *Primu nobilitas Cilicio (croco) et ibi in Coryco monte. — stetit*] «per aliquantum temporis desiit fervere atque intepuit.»

70—75. *Picenis*] Iam ad secundas mensas transit. *Tiburtina pomaria* nota iam ex Od. 1, 7, 14. — *Venucula*] Plin. 14, 2, 34: *Veniculam* (uvam) *ollis* (vasis, in quibus condebantur) *aptissimam Campani malunt sirculam vocare, alii staculam.* — *fumo duraveris*] «servaveris.» Comm. Cr. Plin. 14, 3: *Aliis* (uvis) *gratiam, qui et vinis, fumus affert fabrilis.* — *Hanc ego*] «Uvam Albanam passam comedere institu. cum malis recentibus, quo utriusque sapor prorsus diversus, iam permixtus, palatum titillaret.» — *faecem*] Est *faecula Coa* (Sat. 2, 8, 9.) *gebrannter Weinstein.* — *allec*] *Caviar.* Plin. 31, 8, 44: *Vitium gari est alex, imperfecta nec colata faex. Transiit in luxuriam; pervenit ad ostreas, echinos - - mullorum iecinora, innumerisque generibus ad saporem gulae coepit sal tabescere.* — *piper album*] Plin. 12, 7, 14. *candidum* vocat, *lenius nigro.* — *sale nigro*] Opponitur Tigellii *sali puro.* (Sat. 1, 3, 14.) Plin. 31, 7, 40: *Quicunque ligno confit sal, niger est.* Videtur *salsissimus* (Plin. l. l. §. 41.) fuisse. — *Incretum*] «per incerniculum s. cribrum permixtum,» ut mirus inde nasceretur color quasi cinereus, in aliis mensis nunquam visus. — *puris*] «ideoque elegantiam grato sapori addentibus.» — *circumpo-*

**Tractavit calicem manibus, dum furta ligurit;**
**Sive gravis veteri craterae limus adhaesit.**
**Vilibus in scopis, in mappis, in scobe quantus**
**Consistit sumptus? neglectis, flagitium ingens.**
**Ten lapides varios lutulenta radere palma,**
**Et Tyrias dare circum inluta toralia vestes,**
**Oblitum, quanto curam sumptumque minorem**
**Haec habeant, tanto reprehendi iustius illis,**
**Quae nisi divitibus nequeant contingere mensis?**
**Docte Cati, per amicitiam divosque rogatus,**

v. 79. *frusta* Fea. Mein. v. 84. *illota* volgo.

*suisse*] «circum mensam rotundam convivis apposuisse, vel singulis, vel binis.»

76—80. *milia terna*] «in singula convivia impendere tria milia nummum, 611 Franc. Gall., 407 Fr. Helv. — *macello*] in foro piscario. — *vagos*] «in catino quoque ut in mari libere natare cupientes.» *movet*] absolute et impersonaliter. *Mächtig empört es den Magen.* Voss. — *unctis*] «quas ungit, dum furtim ius aliquod deglutit.» — *gravis*] «nauseam faciens.» — *veteri craterae*] «etiam propter formam obsoletam parum elegantis atque diutino usu attritae.»

81. 82. *mappis*] *Quehlen*, voc. Punicum. Quinctil. 1, 5, 57. T. Faber volebat *mattis*, storeis scirpeis. «Praeterea *scopis* et *scobe* purgamenta coenae a pavimento everrenda sunt;» cfr. ad v. 37. Plin. 36, 25, 60: *Sosus Pergami stravit quem vocant ἀσάρωτον οἶκον, quoniam purgamenta coenae in pavimento quaeque everri solent veluti relicta, fecerat parvis e testulis tinctisque in varios colores.* — *flagitium*] «Maximum dedecus haec in rebus vilissimis negligentia tibi afferet.»

83. 84. *lapides varios*] «pavimentum λιθόστρωτον, tessellatum, vermiculatum, sectile.» — *palma*] «scopis e palmarum foliis confectis.» SCHOL. Martial. 14, 82: *In pretio scopas testatur palma fuisse, Otia sed scopis nunc analecta (ἀναλέκτης) dabit.* — *toralia*] Construe: *dare inluta toralia circum Tyrias vestes, Polstergedeckum tyrischen Purpur.* Longae perpetuaeque mappae sunt *toralia* Isidoro Or. 19, 26. *Tyriae vestes* autem purpura, qua cervicalia torique tomentis farti erant cooperti. Cfr. Sat. 2, 4, 102. Epp. 1, 5, 21:

Ducere me auditum, perges quocunque, memento.
Nam quamvis memori referas mihi pectore cuncta,
Non tamen interpres tantumdem iuveris. Adde
Voltum habitumque hominis, quem tu vidisse beatus
Non magni pendis, quia contigit; at mihi cura
Non mediocris inest, fontes ut adire remotos
Atque haurire queam vitae praecepta beatae.

## SATIRA V.

Hoc quoque, Tiresia, praeter narrata petenti
Responde, quibus amissas reparare queam res
Artibus atque modis. Quid rides? Iamne doloso

v. 3. *dolose* Bentl. e C1d.

91—94. *interpres*] quasi ὑποφήτης Sapientis illius ignoti (v. 10.) — *tantumdem*] «quam ipse praeceptor tuus.» — *habitumque*] «omnis praeter voltum forma exterior atque cultus.» — *fontes*] Festiva est παροιδία Lucretiani illius 1, 926: *iuvat integros accedere fontes Atque haurire.*

V. Aucta in dies morum corruptela, tandem factum est, ut fortasse in nullo alio populo magis quam apud Romanos hoc testamentorum captandorum studium ab heredipetis tamquam singularis quaedam ars et proprius quaestus exerceretur. Cfr. Hor. Epp. 1, 1, 77. Cicero Parad. 5, 2. Seneca de Benef. 6, 38. Epist. 68. Plin. H. N. 14. Prooem. Iuvenal. Sat. 12. Petron. Sat. 124. et crebro apud Lucianum, ut Dial. Mort. 6. Contra hos igitur, qui vocabantur, captatores haec Satira conscripta est, omnes dolos, artificia, insidias describens, quibus homines isti uti solebant. Ex festiva autem παροιδίᾳ Homerica, in quo genere apud Graecos excellebant Σίλλοι Timonis Phliasii, Ulixes pergit interrogare de vicissitudinibus futurae suae vitae, in primis de certissimo opes amissas recuperandi modo, vatis Thebani umbram, continuans quasi vv. Odyss. λ., 137. Scripta autem videtur Kirchnero a. u. c. 725.

1—3. *narrata*] «a te mihi dicta.» Acr. — *doloso*] «homini tam cato atque ingenioso.» *(Schlaukopf).*

7—11. *apotheca*] unde *bottega*,

Non satis est Ithacam revehi patriosque penates
Adspicere? O nulli quidquam mentite, vides, ut
Nudus inopsque domum redeam, te vate, neque illic
Aut apotheca procis intacta est aut pecus: atqui
Et genus et virtus nisi cum re vilior alga est.
Quando pauperiem missis ambagibus horres,
Accipe, qua ratione queas ditescere. Turdus
Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc,
Res ubi magna nitet, domino sene; dulcia poma
Et quoscunque feret cultus tibi fundus honores
Ante Larem gustet venerabilior Lare dives;
Qui quamvis periurus erit, sine gente, cruentus
Sanguine fraterno, fugitivus, ne tamen illi
Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.

*boutique*, *Bude*, cella vinaria in superiore aedium parte, supra fumarium. Colum. 1, 6, 20: *vina celerius vetustescunt, quae fumi quodam tenore praecocem maturitatem trahunt.* — *vilior alga est*] Proverbium. Cfr. Od. 3, 17, 9: *inutili - alga.* Virg. Ecl. 7, 42: *proiectá vilior alga.* — *Quando*] «Quoniam sine longa verborum circuitione, simpliciter et aperte, nullo falso pudore absterritus, paupertatem reformidare te fateris.» — *privum*] «proprium,» hinc *privilegium.* Gell. 10, 20: *Veteres priva dixerunt, quae nos singula dicimus.* «Si quid ab amico tibi donatur ea quasi condicione eoque consilio, ut tu solus eo fruare, non alius aliquis, nihilominus tu donato diviti.» — *devolet*] «cito deferatur;» metaphora sumpta a *turdo.*

13 — 18. *honores*] ut Od. 1, 17, 16: *ruris honores*, «fructus laetos.» — *Ante Larem*] «Consuetudo fuit, ut rerum primitiae dis Laribus ponerentur.» Porph. — *sine gente*] Cic. Top. 6: *Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt* (Titius, Sempronius, Cornelius); *qui ab ingenuis oriundi sunt: quorum maiorum nemo servitutem servivit; qui capite non sunt deminuti.* «Libertinus; nam sine gente libertini.» Comm. Cr. — *fugitivus*] «olim, cum servitutem serviret.» — *comes exterior*] «sinisterior, in sinistra parte positus.» Acr. Iuven. 3, 131: *Divitis hic servi claudit latus ingenuorum Filius:* ubi Schol.:

Utne tegam spurco Damae latus? Haud ita Troiae
Me gessi certans semper melioribus. Ergo
Pauper eris. Fortem hoc animum tolerare iubebo;
Et quondam maiora tuli. Tu protinus, unde
Divitias aerisque ruam, dic augur, acervos.
Dixi equidem et dico: captes astutus ubique
Testamenta senum, neu, si vafer unus et alter
Insidiatorem praeroso fugerit hamo,
Aut spem deponas aut artem illusus omittas.
Magna minorve foro si res certabitur olim,
Vivet uter locuples sine gnatis, improbus, ultro

v. 22. *eruam* Codd. aliq. *struam* Schrader.

«in sinistra ambulat.» — *Utne tegam*] in prosa or. «egone ut tegam?» Terent. Andr. 1, 5, 28: *Eine ego ut advorser? — Damae*] (*Δημόδωρος, Δημᾶς*·) «homini alicui vili ac perdito, qualem tu descripsisti.» Non videtur persona certa quae tunc in vivis fuerit, sed nomen commune hominis servilis loci atque indolis, ut mox v. 161. et apud Persium 5, 79. «*eine verworfene Sclavenseele.*»

20 — 25. *hoc*] «paupertatis incommodum.» — *tolerare*] *παρῳδία* Homerica, Odyss. *υ*, 18: *Τέτλαθι δὴ κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης·* quo quasi proverbio in scholis utebantur. — *ruam*] «propere mihi parem.» Virg. Aen. 11, 211: *et confusa ruebant* (celeriter colligebant) *Ossa focis.* — *praeroso - hamo*] Lucian. D. M. 6, 4. heredipeta de sene: *τοσοῦτόν μοι δέλεαρ καταπιών, ἐφεστήκει ἁπτομένῳ πρώην ἐπιγελῶν.*

27 — 37. *si res certabitur*] Cfr. Sat. 2, 1, 49. Liv. 25, 3: *multae certandae dies.* — *olim*] aliquando, certo tempore. — *Vivet - - improbus*] Refertur praesertim ad litium iniustarum calumniarumque studium. — *puta*] adverb., ultima brevi. Cfr. Colum. 5, 2, 3: *Sin cuneatus ager fuerit, ut, puta, longus pedes centum* cet., ubi paullo ante est *exempli causa*. In prosa orat. primum repperi apud Celsum Prooem. Lib. 1. cet. — *praenomine*] Praenomen civi libero proprium et inter cognatos familiaresque usitatum. — *molles*] «quae blanditiis permulceri amant et, si non permulcentur, offenduntur.» — *Ius anceps*] «plerumque controversum.» — *Eripiet*] Terent. Phorm. 7. (al. 8,) 96: *Vel oculum exsculpe; est ubi vos ulciscar probe.* — *cassa nuce*] «re vel vilissima.» Sic Itali usurpant *fico*. Ita autem vocabant *nuces inanes, sine medulla ventosas*, ut ait Petron.

Qui meliorem audax vocet in ius, illius esto
Defensor; fama civem causaque priorem
Sperne, domi si gnatus erit fecundave coniux.
Quinte, puta, aut Publi, (gaudent praenomine molles
Auriculae) tibi me virtus tua fecit amicum:
Ius anceps novi, causas defendere possum;
Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te
Contemptum cassa nuce pauperet; haec mea cura est,
Ne quid tu perdas, neu sis iocus. Ire domum atque
Pelliculam curare iube; fi cognitor ipse;
Persta atque obdura, seu rubra canicula findet
Infantes statuas, seu pingui tentus omaso

137. — *pauperet*] «spoliet, privet.» — *iocus*] «aliis ludibrio.»

38. *Pelliculam curare*] «corporis sui habere curam.» Acr. — *fi cognitor ipse; Persta*] Sic interpungendum: «nemini alii, ut hoc officio erga Publium fungatur, concedito.» *Cognitor est, qui defendit alterum in iudicio, si praesentis causam novit, et sic tuetur ut suam.* Pseudascon. in Cic. Divin. §. 11. *Cognitor est qui litem alterius suscipit coram eo, cui datus est.* Festus. Postquam autem in locum domini litis substitutus erat cognitor, ille in iudicio non iam comparere necesse habebat. Cfr. Gaium 4, 97.

39—41. *seu rubra*] Salsissime hic irridet triplici, ut mihi saltem videtur, παρῳδίᾳ M. Furium Bibaculum, quem *turgidum Alpinum* appellat Sat. 1, 10, 36. Is igitur, ut ait Comm. Cruq. Pragmatiam (narrationem) belli Gallici (a Iulio Caesare gesti) hoc versu exorsus erat: *Iuppiter hibernas cana nive conspuit Alpes.* Iam Iovi festive irrisor substituit Furium ipsum; tota reprehensio autem cadit in unam illam *duram et a longinqua similitudine ductam*, ut ait Quinctil. 8, 6, 17., immo putidam metaphoram *conspuit;* nam *canas pruinas* ipse dixit Od. 1, 4, 4. et *hibernas Alpes* Tacit. Hist. 1, 70. De hoc igitur constat: iam vel ipsae particulae *seu - seu* satis demonstrant Furii fuisse etiam illa aeque inepta *rubra Canicula findit Infantes statuas.* Praeterea perquam inconcinne Horatii ipsius imagini (ut plerique arbitrantur) *rubra* cet. opponeretur παρῳδία Furiana: *Furius conspuet Alpes.* Ridet igitur duo illa mira ἐπίθετα *rubra* pro *fervens, ignea, flagrans* (Od. 3, 13, 9.) et statuas *infantes* dictas, quo, Furius exprimere voluerat omnium statuarum ποιότητα et, cum in proverbio esset *statua taciturnior* (Epp. 2, 2, 83.) miri-

**Furius hibernas cana nive conspuet Alpes.**
**Nonne vides (aliquis cubito stantem prope tangens**
**Inquiet) ut patiens, ut amicis aptus, ut acer?**
**Plures adnabunt thunni et cetaria crescent.**
**Si cui praeterea validus male filius in re** 45
**Praeclara sublatus aletur, ne manifestum**
**Caelibis obsequium nudet te, leniter in spem**
**Adrepe officiosus, ut et scribare secundus**
**Heres et, si quis casus puerum egerit Orco,**
**In vacuum venias: perraro haec alea fallit.** 50
**Qui testamentum tradet tibi cunque legendum,**
**Abnuere et tabulas a te removère memento,**
**Sic tamen, ut limis rapias, quid prima secundo**

fice se loqui opinatus erat, ubi *infantes*, *ἀγλώττους*, mutas illas denominasset. Cumulus autem accedet parodiae, ubi statuerimus etiam tertium illud *pingui tentus omaso* (*voll von feisten Kaldaunen* Voss.) Furii fuisse.

42—47. *cubito stantem prope*] Pers. 4, 34: *Est prope te ignotus, cubito qui tangat.* — *thunni*] catervatim natant. Oppian. Hal. 3, 631: *Πολλὴ δ' ἔκπαγλός τε παρίσταται ἰχθυβόλοισιν Ἄγρη, ὅτ' εἰαρινὸς θύννων στρατὸς ὁρμήσωνται.* His igitur comparat senes stultos, qui heredipetae veluti hamo capiuntur: qua imagine usus est etiam Lucian. Tim. 22: *αὐτοὺς* (captatores) *ὁ θύννος ἐκ μυχοῦ τῆς σαγήνης διέφυγεν, οὐκ ὀλίγον τὸ δέλεαρ καταπιών.* — *cetaria*] *κητεῖαι*, receptacula prope litus maris, ubi thunni vere capti saliebantur. — *sublatus*] Patres, si filios sibi natos alere vellent, eos humi iacentes in genua tollere et complecti solebant; si nollent, exponi iubebant. — *nudet*] «destituat, astutias tuas aperiens, tuque excludare.» — *in spem*] «heredandi.» Tac. Ann. 1, 8: *Augustus in spem secundam nepotes proneposque, tertio gradu primores civitatis scripserat.*

48—54. *Adrepe*] «sensim et caute in sēnis familiaritatem te insinua.» — *ut et scribare*] Duplici *et* duplex optatum captatoris recte distinguitur, alterum, ut ante omnia secundus heres scribatur, alterum, ut puer moriatur. — *egerit Orco*] Od. 1, 24, 18: *Nigro compulerit Mercurius gregi.* — *in vacuum*] «ut in possessionem vacuam herede succedas et ex asse heres fias.» Est ICtorum verbum; *vacans* et *vacua possessio* aliquoties reperitur apud Gaium, ut 2, 51.

Cera velit versu; solus multisne coheres,
Veloci percurre oculo. Plerumque recoctus
Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem,
Captatorque dabit risus Nasica Corano.
Num furis? an prudens ludis me obscura canendo?
O Laërtiade, quidquid dicam, aut erit aut non:
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.
Quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede.
Tempore quo iuvenis Parthis horrendus, ab alto
Demissum genus Aenea, tellure marique
Magnus erit, forti nubet procera Corano

vv. 59. 60. *aut erit, aut non Divinare mihi magnus donavit Apollo* Eichstadius.

4, 131. — *limis*] «obliquis oculis raptim legas.» Acr. — *prima - Cera*] V. *cera* ut homonymum v. *tabulae* coniungebatur in nuncupatione testamenti. Gaius 2, 104. «Lege occulte, quid scriptum sit secundo versu inde *ab* initio testamenti;» nam primo versu cum nominatus esset testator, plerumque continuo ad heredis institutionem transibant.

55 — 58. *Plerumque*] «Persaepe accidit aliis quoque idem illud, quod nuper Nasicae, (cuius calamitas tunc videtur derisui fuisse civitati; ac fortasse eadem induxit Horatium ad describendos hac satira heredipetas.) — *recoctus*] *Recoquere* saepius usurpatur pro «in alios formare usus,» ut Flor. 3, 20: *e ferro ergastulorum recocto gladios ac tela fecerunt:* est igitur, ut nos dicimus *umgeschmolzen*, *umgeformt*, »mutata priore condicione factus quaesticuli causa scriba ex quinqueviro.»

59 — 60. *aut erit aut non*] Salsissima dilogia utitur poëta; nam ex una parte simpliciter atque optima fide dicere videtur: «prout dixero fore aliquid, erit, non fore, non erit; divinare enim pariter ea quae evenient ut ea quae non evenient Apollo mihi concessit.» Ex altera vero parte eadem verba hoc quoque significant: «vaticinia mea, ut assolet, aut eventum habebunt aut eo carebunt; artem enim divinandi» (quae semper coniecturalis atque fallax est, ex Horatii certe sententia:) «mihi donavit Apollo.»

61 — 63. *iuvenis*] Octavianus natus a. u. c. 691. a. u. c. 725. annum trigesimum quartum agebat. — *Demissum genus*] Tacit. Ann. 12, 58: *Nero Romanum Troia demissum et Iuliae stirpis*

Filia Nasicae, metuentis reddere soldum.
Tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit atque
Ut legat orabit; multum Nasica negatas
Accipiet tandem et tacitus leget, invenietque
Nil sibi legatum praeter plorare suisque.
Illud ad haec iubeo: mulier si forte dolosa
Libertusve senem delirum temperet, illis
Accedas socius; laudes, lauderis ut absens.
Adiuvat hoc quoque, sed vincit longe, prius ipsum
Expugnare caput. Scribet mala carmina vecors:
Laudato. Scortator erit: cave te roget; ultro
Penelopam facilis potiori trade. Putasne?
Perduci poterit tam frugi tamque pudica,
Quam nequiere proci recto depellere cursu?

*auctorem Aeneam aliaque haud procul fabulis vetera facunde exsecutus.*

64—69. *metuentis*] «qui propter angustias domesticas nolebat restituere aes alienum, *solidum*, integram illam summam, quam a Corano mutuam sumpserat.» — *praeter plorare*] *χωρὶς τοῦ κλαίειν, οἰμώζειν.* «Nihil omnino cum iis legasset, eos exheredavit maloque affecit.»

70—77. *mulier*] concubina. — *temperet*] «ad arbitrium suum regat.» Comm. Cr. — *laudes*] «praesentes, ut tibi benevoli fiant.» — *vincit*] «*κρατεῖ*, longe praestat, prae concubina et liberto senem ipsum tibi conciliare; tunc enim minus necesse erit ab illis quoque adiuvari.» — *caput*] quasi regni, divitem ipsum blanditiis atque obsequio. — *potiori*] «tibimet ipsi praeferendo.» Od. 3, 9, 2. — *Perduci*] verbum proprium de iis, qui mulieres ad stupra atque adulteria corruptas ad moechos ducunt. — *frugi*] «*brav.*» Voss.

79—83. *Venit*] «Pudica adhuc est, fateor; nam proci, qui domum tuam venerunt, id quisque causatus se eam in matrimonium ducere velle, propter nimiam parcimoniam minime propensi sunt ad eam magnis donis corrumpendam cet.» — *magnum donandi*] Mundum muliebrem ei sane obtulerant (Odyss. *σ*, 290.), «munuscula tamen,» inquit Tiresias, «haud sufficientia ad conciliandam sibi tuam uxorem.» — *Ut canis*] Lucian. ἀδν. Indoct. 25: *οὐδὲ γὰρ κύων ἅπαξ παύσαιτ' ἂν σκυτοτραγεῖν μαθοῦ-*

Venit enim, magnum donandi parca, iuventus,
Nec tantum veneris, quantum studiosa culinae.
Sic tibi Penelope frugi est, quae si semel uno
De sene gustarit tecum partita lucellum,
Ut canis a corio nunquam absterrebitur uncto.
Me sene, quod dicam, factum est: anus improba Thebis
Ex testamento sic est elata: cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit heres;
Scilicet elabi si posset mortua; credo,
Quod nimium institerat viventi. Cautus adito,
Neu desis operae, neve immoderatus abundes.
Difficilem et morosum offendet garrulus: ultro
Non etiam sileas. Davus sis comicus atque
Stes capite obstipo, multum similis metuenti.

v. 79. *Venit enim (indignum) donandi* Bentl. coni. vv. 90. 91. *offendes garrulus ultro. Non* Bentl.

σα. — *uncto*] adipe videlicet, non oleo, ut alii supplent. «Nunquam, dicit, ab impenso illo hereditatum captandarum studio deduci poterit.»

84—89. *improba*] *Hier von boshafter Schalkheit, bösartig.* Heind. — *Thebis*] Videtur hoc Romae factum esse; nisi vero ex mimo petitum est. Afferunt Eumolpi testamentum apud Petron. 141: *Omnes qui in testamento meo legata habent, praeter libertos meos, hac condicione percipient, quae dedi, si corpus meum in partes conciderint et adstante populo comederint.* — *Scilicet*] ὀηλονότι, «hoc tentans, an fortasse posset elabi, quo facto, heres molestus excidisset hereditate.» — *abundes*] «prope nimia facias.»

90—92. *Difficilem*] Etiam Cic. Orat. 29. iungit *difficiles* (δυσκόλους) *ac morosos; difficilis*, cui vix quidquam placet omnisque comitas deest; *morosus*, qui pro lubitu ac fastidiose modo hoc, modo illud volt, iubet, vetat. — *ultro Non etiam sileas.*] Sic iunge: «neque vero tu alio tempore, cum ille tecum colloqui volet, sine ulla causa taciturnus sis, quasi taedio affectus aut ira percitus.» *Non* cum imperativis etiam A. P. 460. Epp. 1, 18, 72. — *Davus*] Servi comici instar, qui summum erga herum obsequium simulat timideque cum eo loquitur. — *obstipo*] «*Obstipus*, stipitis instar, sive rigida immotaque ratione aliquo inclinatus, h. l. in anteriorem partem deflexus.» Forcell. Significat τὸ ἀνελεύθερον καὶ δουλοπρεπές,

Obsequio grassare; mone, si increbuit aura,
Cautus uti velet carum caput; extrahe turba
Oppositis humeris; aurem substringe loquaci.
Importunus amat laudari: donec Ohe iam!
Ad caelum manibus sublatis dixerit, urge et
Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.
Cum te servitio longo curaque levarit,
Et certum vigilans, Quartae esto partis Ulixes,
Audieris, heres: Ergo nunc Dama sodalis
Nusquam est? unde mihi tam fortem tamque fidelem?
Sparge subinde et, si paullum potes, illacrimare; est
Gaudia prodentem voltum celare. Sepulcrum
Permissum arbitrio sine sordibus exstrue; funus
Egregie factum laudet vicinia. Si quis
Forte coheredum senior male tussiet, huic tu

— *multum*] equidem iungo cum v. *similis*, «prorsus similis;» alii cum v. *metuenti*.

93. 94. *Obsequio grassare*] *Verfahre* (pr. *schreite ein*) *stets mit (der grössten) Gefälligkeit gegen ihn*. Liv. 3, 44: *se iure grassari, non vi;* 10, 14: *consilio grassari*. — *increbuit*] «gliscit, augescit,» ut Virg. Ge. 1, 359: *increbrescere murmur*.

95—98. *substringe*] pr. *unterbinde; substringere* est aliquid inferiore parte sic ligare, ut superior arrigatur acutiorque fiat, idem fere igitur h. l. atque «arrige,» «*aure sublata* (Epod. 6, 7.) ausculta.» — *Importunus*] «Si quovis loco et tempore etiam minus apto laudes captat, adeo ut ei, quocum loquitur, perquam molestus fiat.» — *Ohe iam*] Sat. 1, 5. 12: *Ohe! Iam satis est*.

100 — 104. *certum vigilans*] «ὕπαρ, οὐκ ὄναρ, pro certo, adeo ut ne minimo quidem dubio iam locus sit.» — *Audieris*] «vel ipse alta voce legens vel testamento per puerum a manu recitato.» — *unde mihi tam fortem*] «petam, parabo?» Sat. 2, 7, 116: *Unde mihi lapidem?* — *Sparge subinde*] «Frequenter, passim dicito.» Acr. — *illacrimare*] Sane est imperativ. v. deponentis, qua forma usus est etiam Cic. de N. D. 3, 33. — *est*] «licet; facile est nec multam artem requirit, tunc ipsum, cum inibi est, ut voltus gaudium prodat, verum affectum celare.»

105—110. *arbitrio*] Inscriptio Nolana apud Marcellium Opp. I.

Dic, ex parte tua seu fundi sive domus sit
Emptor, gaudentem nummo te addicere. Sed me
Imperiosa trahit Proserpina; vive valeque.

## SATIRA VI.

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi et tecto vicinus iugis aquae fons
Et paullum silvae super his foret. Auctius atque
Di melius fecere. Bene est. Nil amplius oro,
Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis.
Si neque maiorem feci ratione mala rem
Nec sum facturus vitio culpave minorem;
Si veneror stultus nihil horum: O si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum!

p. 347: C. CVRIATIO. L. F. FLAMINI. DIVI. AVGVSTI. - - ARBITRATV. HYACINTHI. LIB. — *sit Emptor*] «ex quarta parte tibi legata, si quid emere cupiat, libenter te ei donaturum.» — *nummo*] imaginaria emptionis summa, qua utebantur coram testibus, ubi inter vivos aliquid donabant, quo minus ea ex donatione lites orirentur. Cic. pro Rab. Post. 17: *Ecquis est ex tanto populo, qui bona C. Rabirii Postumi nummo sestertio sibi addici velit?*

VI. Scripta videtur Satira a. u. c. 723., quo anno Sabinum ei donavit Maecenas.

1—5. *in votis*] «in optatis.» (Cic. ad Fam. 2, 13.) — *modus*] de agri spatio s. mensura etiam Plaut. Aul. Prol. 13: *Agri reliquit eii non magnum modum.* — *iugis aquae*] Sic iunge, non cum aliis *iugis fons aquae*, id quod consuetudini repugnat. — *silvae*] Od. 3, 16, 29. collatis Epp. 1, 16, 5. et 18, 104. — *super his*] »ἐπὶ τούτοις, praeter haec.» — *Maia nate*] Invocat Mercurium lucri datorem, κερδῷον, ἐριούνιον. — *propria*] «stabilia.» Cfr. Sat. 2, 2, 129.

6—12. *Si*] «hac condicione exaudi preces meas» cet., frequenti in precando formula. — *vitio*] luxuria, libidine, prodigentia. — *culpa*] negligentia praesertim. — *veneror*] «deos venerans ab iis precor.» Cfr. Carm. sec. 49. Sat. 2, 2, 124. — *denormat*] «denormem, inaequalem reddit, adeo ut contra agrimensorum regulas

O si urnam argenti fors quae mihi monstret ut illi,
Thesauro invento qui mercenarius agrum
Illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule! Si, quod adest, gratum iuvat, hac prece te oro:
Pingue pecus domino facias et cetera praeter
Ingenium, utque soles, custos mihi maximus adsis.
Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi,
Quid prius illustrem satiris musaque pedestri?
Nec mala me ambitio perdit nec plumbeus Auster
Autumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.

quadratus non sit.» — *fors quae*] Construe: *si quae* (aliqua) *fors*.

13—15. *Hercule*] h. l. ut Pers. 2, 11. *κλουτοδόντης*. «Ut Mercurius apertis lucris et negotiationi praeerat, sic Hercules opertis lucris sive thesauris. Schol. — *gratum iuvat*] «ita iuvat, ut gratum sit animo meo.» — *Pingue*] Iocatur in ambiguo significatu v. *pingue*, quod ad ingenium relatum significat «crassum, tardum.» — *custos*] *Ἑρμῆς λόγιος*, poëtarum semper custos, unde hos vocat *viros Mercuriales* Od. 2, 17, 29.

16—19. *montes*] Sabinos et in villam meam, *arcem*, quia in loco edito aedificata erat. — *Quid prius*] Scripsit haec aut scripsisse se fingit ruri, quocirca hoc dicit: «Nunc cum in Sabinum meum ex Urbe me recepi, Satirae, quam componere fert animus, argumentum longe aptissimum id erit, ut laeto animo praedicem rusticationis insignia bona;» eaque statim enumerat: «Hic enim nec prava ambitio me vexat» cet. — *Musaque pedestri*] Cfr. Sat. 1, 4, 47. Od. 2, 12, 9. Epp. 2, 1, 250: *Sermones repentes per humum.* — *plumbeus Auster*] *(Scirocco)* «aestu suo corpus aggravans, viresque ita extenuans, ut nihil moliri possim neque studiis vacare.» — *gravis*] «pestilentiam secum afferens.» *Letiferum* nominat Iuven. 4, 56. — *Libitina*] funerum dea Italica modo cum Proserpinae modo cum Veneris numine a doctioribus coniuncta, in cuius templum pro quoque funere nummus inferebatur; item, quaecunque ad funera pertinebant, ibi locabantur et vendebantur; igitur, quo plures moriebantur, eo maior et ipsius deae et libitinariorum, qui funera curabant, quaestus erat.

20—24. *Matutine pater*] Descriptionem incommodorum vitae urbanae scite orditur ab invocatione Iani, qui omnia initia fortunat, vitae, anni, h. l. negotio-

Matutine pater, seu Iane libentius audis,
Unde homines operum primos vitaeque labores
Instituunt, sic dis placitum, tu carminis esto
Principium. Romae sponsorem me rapis. Eia,
Ne prior officio quisquam respondeat, urge.
Sive Aquilo radit terras seu bruma nivalem
Interiore diem gyro trahit, ire necesse est.
Postmodo quod mi obsit, clare certumque locuto
Luctandum in turba et facienda iniuria tardis.
Quid vis, insane, et quas res agis? improbus urget

Sat. VI. v. 29. *Quid tibi vis, insane, et quam rem agis?* Bentl.

rum per singulos dies capessendorum. — *audis*] «ἀκούεις, κλύεις, appellaris.» — *Unde*] «a quo,» ut Od. 1, 12, 17. — *Romae*] «Cum Romae sum, mane me rapis sponsum in Forum:» (Epp. 2, 2, 67: *Hic sponsum vocat*:), i. e. Romae necessitatem mihi impositam sentio pro hoc vel illo amico confestim spondendi, nisi insuavis et negligentior haberi velim.» — *Eia - urge*] His vv. se ipse hortatur Horatius: »ἔπειγε, propera, ne quis in hoc officio recipiendo te praeveniat.»

25. 26. *Aquilo radit*] «flat, terrae superficiem *radens*, perstringens,» ut *radere litus*. — *Interiore - gyro*] «solstitium hiemale lente ducit diem, qui iam breviorem horarum, quibus sol lucet, circulum describit;» ut inter plures circulos, quibus idem est centrum, interiores semper brevius spatium circumscribunt.

27. 28. *Postmodo*] «Cum pronuntiaro sponsionis formulam, quae fortasse, ubi creditori a me satisfaciendum erit, si debitor ipse solvendo non fuerit, mihi postmodo noxam afferet:» ex Biantis illa γνώμῃ, quae in proverbium abiit: Ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα. — *clare certumque*] Est hoc ex formularum sermone, ex quo apud ICtos *certa verba* eadem sunt ac sollemnia et legitima: utrumque autem v. ita iungitur in formula apud Liv. 1, 18: *Iuppiter, - - tu signa nobis certa adclarassis;* et prorsus ut h. l. apud Senec. Lud. 1: *quaecunque audivi, certa claraque affero.* — *Luctandum*] «summo labore penetrandum est per turbam, ita ut in tardiores impingam eosque pulsem, atque adeo etsi invitus iniuria eos afficiam.»

29—31. *Quid vis, insane*] Vv. haec quasi in formulam transierant. Cic. de Or. 2, 67. *Quid tibi vis, insane?* itemque apud Propert. 1, 5, 3. — *improbus urget*] est: «sine ullo pudore ac modo me insectatur diris imprecationibus.»

Iratis precibus, tu pulses omne quod obstat,
Ad Maecenatem memori si mente recurras.
Hoc iuvat et melli est, non mentiar. At simul atras
Ventum est Exquilias, aliena negotia centum
Per caput et circa saliunt latus. Ante secundam
Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras.
De re communi scribae magna atque nova te
Orabant hodie meminisses, Quinte, reverti.
Imprimat his, cura, Maecenas signa tabellis.

— *tu pulses*] «Quomodo, malum, (inquit pulsatus), audes impingere in omnes qui tibi obstant eosque de via deturbare?» — *si - recurras*] «ubi ex Foro ad Maecenatem, quasi apud eum habitares, festinanter redeas.»

32—35. *Hoc iuvat*] «saepe invisere Maecenatem.» — *non mentiar*] «libere fatebor.» Est sermonis quotidiani. Cic. ad Fam. 3, 4: *Quod scribis - - id mihi, ne mentiar, gratum est.* — *atras*] quia olim fuerat plebis infimae sepulcretum; tunc vero turris Maecenatiana cum horto ibi exstructa erat. Sat. 1, 8, 14. — *centum*] «sexcenta negotia ab omni parte me vexant et quasi *circumvallant*.» (Ter. Ad. 3, 2, 4.) — *secundam*] nobis ex variis anni temporibus vel sexta vel septima, Horatio utique satis incommoda; argentarii contra tunc negotiis vacare incipiebant. Cic. pro Quintio 6. — *Roscius orabat*] Verba sunt servi Roscii; imperfectum autem, quod praesentis vice fungi dicunt, potius sic explica: «*orabat* eo temporis puncto, quo me hoc tibi nuntiare iussit.» — *Puteal*] Duplex erat *Puteal* in Foro Romano, alterum in Comitio, quo Atti Navii cos et novacula defossa erat (Cic. de Div. 1, 17.), alterum, de quo hic loquitur, prope arcum Fabianum, *Puteal Libonis* (Epp. 1, 19, 8. Pers. 4, 49.) PVTEAL SCRIBONIANUM in denariis gentis Scriboniae (Eckhel D. N. 5. p. 301.), forma exhibetur. «Ad eum locum conveniebant feneratores.» ACR. — *adesse*] non *advocatum* in iudicio, sed *sponsorem* apud argentarium, ut Cic. pro Quintio 6.

36. 37. *De re*] Ecce Roscii puero supervenit illico scribarum nuntius. Etenim post aciem Philippensem Horatius, quo se patrimonio maxima ex parte spoliatum sustentaret, scriptum quaestorium compararat; verum ab hoc quaesticulo, ut videtur, circiter a. u. c. 717. iam sese removerat. Nihilominus scribae poëtam collegae loco habere pergentes eum interdum advocabant, ubi de rebus ad se pertinentibus consultarent, quo postulata sua, illo apud Maecenatem intercedente, facilius obtinerent. — *reverti*] «rursus adesse

**Dixeris, Experiar: Si vis, potes, addit et instat.**
**Septimus octavo propior iam fugerit annus,**
**Ex quo Maecenas me coepit habere suorum**
**In numero, dumtaxat ad hoc, quem tollere rheda**
**Vellet iter faciens et cui concredere nugas**
**Hoc genus: Hora quota est? Threx est Gallina Syro par?**
**Matutina parum cautos iam frigora mordent.**
**Et quae rimosa bene deponuntur in aure.**
**Per totum hoc tempus subiectior in diem et horam**

in collegio, ubi de re gravi atque inexspectata» (videlicet scribis, cum Horatio, ut re vera erat, levis atque exigua videretur, sibi tamen molesta:) «quaeque ad ipsum quoque cum ceteris pertineret, consultandum esset.»

38. 39. *Imprimat*] Hoc rogat tertius aliquis homo negotiosus. Maecenas autem circa tempus pugnae Actiacae a. u. c. 723. Italiae praefectus Caesaris Octaviani anulum signatorium habuit. Dio Cass. 51, 3. — *Tabellae* quae fuerint, divinare non possumus: fuitne diploma, quod dicebant (Tacit. Hist. 2, 54 et 65.), quod ut ratum fieret, a Maecenate obsignandum erat? Ea certe a principe, tunc ab eius tamquam vicario, signabantur. Cfr. Suet. Oct. 50.

40—43. *Septimus*] Cum Horatius a. u. c. 716. in Maecenatis familiaritatem receptus sit, ex hoc loco apparet hanc Satiram scriptam esse exeunte a. 723. In seqq. consulto extenuat suam cum potente amico necessitudinem, significans se ab ambitione longe remotum esse neque unquam negotiis civilibus ab illo administrandis sese ingerere solitum. — *dumtaxat*] «μέχρι τούτου, non amplius nec minus.» — *tollere rheda*] «reciperecomitem in rhedam.»

44—46. *Gallina*] nomen gladiatoris per se ridiculum, qui *Threx* erat (sic enim pronuntiabant, ubi ars, non natio significaretur, non *Thrax*:), id est, parma Threcidica et gladio incurvo (ἅρπῃ) armatus componi solebat in arena cum *Syro* mirmillone, id est, gladiatore armatura Gallica induto et piscis (μορμύλου s. μορμύρου) imaginem in galea habente. — *parum cautos*] «paenulis et lacernis non satis munitos laedunt frigora.» — *rimosa*] «quae nihil secreti retinet, sed in huiusmodi sermonibus sane sine ullo incommodo aut periculo alterius:» ex Terentiano illo Eun. 1, 2, 25: *Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.*

47—49. *Noster* comice pro *ego*, *unser Mann*. Plaut. Rud. 4, 7, 19: *minime istuc faciet noster Daemones*, quasi excepto vocabulo *noster* ex ore servorum,

Invidiae noster. Ludos spectaverat una,
Luserat in campo: Fortunae filius, omnes.
Frigidus a Rostris manat per compita rumor:
Quicunque obvius est, me consulit: O bone, nam te
Scire, deos quoniam propius contingis, oportet,
Num quid de Dacis audisti? Nil equidem. Ut tu
Semper eris derisor! At omnes di exagitent me,
Si quidquam. Quid? militibus promissa Triquetra
Praedia Caesar, an est Itala tellure daturus?
Iurantem me scire nihil mirantur ut unum
Scilicet egregii mortalem altique silenti.

v. 48. *Invidiae. Noster ludos* Lamb. Fea. Ibid. *spectaverit — Luserit* B. Mein.

h. l. ex ore volgi Horatium sibi consociantis. Plusquamperfecta in *spectaverit* et *luserit* mutare nihil attinebat, cum sit velut species interrogationis directae pro hypothetico *si quando spectarat*, prorsus ut Sat. 2, 7, 68: *Evasti* pro *si evasisti*.

50 — 54. *Frigidus*] «Si sinister aliquis ac formidolosus rumor per singula bivia spargitur a Rostris in urbe media sitis, unde primum emanavit, omnes me verum scire opinantur, utpote qui principibus viris proximus sim.» — *Dacis*] Cum his M. Antonii sociis, ipso illo anno 723., quo haec Satira composita est, bellum gerebatur; ad quod a. 724. M. Crassus, illius, qui a Parthis occisus est, filius, missus est. — *derisor*] εἴρων. Sal. Cat. 5: *cuiuslibet rei simulator ac dissimulator*. Mixta videtur constructio ex his duabus; «Semperne *eris* derisor?» et: «Ut tu semper *es* derisor!» — *di exagitent*] Formula solita. Tac. Ann. 6, 6. in Tiberii Epistola: *di me deaeque peius perdant, quam perire me quotidie sentio, si scio.*

55 — 59. *militibus promissa*] Hic quoque eodem tempore (a. u. c. 723. exeunte) quotidianus civitatis sermo erat. Quo tempore haec scripsit, etiamtunc ambigebatur, utrumne in Sicilia, an in Italia veteranis tumultuantibus Caesar agros daturus esset. — *Triquetra* antiquiore sermone pro *triangula* dicta est Sicilia a forma triangulari, tribus promontoriis, Pachyno, Lilybaeo, Peloro finita. Cfr. Quinctil. 1, 6, 30. — *unum*] «praecipuum omnium, quotquot sunt.» Ut Cicero: *unus gladiator M. Antonius*, Catullus: *unus caprimulgus*.

61 — 64. *veterum*] scriptorum

**Perditur haec inter misero lux non sine votis:**
**O rus, quando ego te adspiciam? quandoque licebit**
**Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis**
**Ducere sollicitae iucunda oblivia vitae?**
**O quando faba Pythagorae cognata simulque**
**Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo?**
**O noctes coenaeque deum! quibus ipse meique**
**Ante Larem proprium vescor vernasque procaces**
**Pasco libatis dapibus. Prout cuique libido est,**
**Siccat inaequales calices conviva solutus**
**Legibus insanis, seu quis capit acria fortis**
**Pocula seu modicis uvescit laetius. Ergo**
**Sermo oritur, non de villis domibusve alienis,**

ante Alexandrum M. — *somno*] meridiano, *siesta*, quod Varro R. R. 1, 2. dicit: *aestivum diem diffindere insititio somno.* — *inertibus horis*] *quel dolce far niente.* — *Ducere*] ἕλκειν, quasi vinum obsorbere, haurire. Virg. Aen. 6, 714: *Securos latices et longa oblivia potant.* — *faba Pythagorae cognata*] «Dubitabat enim Pythagoras, an in eo corpore lateret anima patris sui an alterius propinqui, qua de re ridet eum Horatius et eius sequaces.» COMM. CR. Quocirca, ut aiunt, Pythagoreis interdictum erat, ne κυάμοις vescerentur; alii alias causas afferunt. Hoc igitur dicit: «Nobile illud legumen, quod volgus quidem spernere solet, sed pro cognato sibi habuit vel ipse Pythagoras.» — *Uncta satis*] Sic iunge, non *satis pingui*.

65 — 67. *O - coenae*] «aeque securae et iucundae, ac si *conviva deorum* essem (Od. 1, 28, 7.), in noctem usque productae!» — *meique*] non «servi», sed ut patet ex seqq. et ex v. 41: *suorum*, «amici atque familiares, qui in lectis mecum accumbunt, et quidem ex rusticorum more, ante Lares in foco collocatos, dum servi domi meae nati nutritique, alacres, ut solent et petulantes mensam circumstant, et mox coena peracta reliquias ciborum a nobis quantum libet degustatorum comedunt.»

68 – 72. *Siccat*] «Suo quisque arbitratu ebibit pocula minora aut maiora, liber a molestis illis legibus, quas συμποσιάρχης (rex bibendi) de numero ac mensura poculorum alias convivis dictat.» — *capit*] «sumit, eligit,» — *acria*] «grandia:» *Acres potores* similiter Sat. 2, 8, 36. — *uvescit*] «paullatim *uvidus* fit, (Od. 4, 5, 39.)

Nec male necne Lepos saltet; sed quod magis ad nos
Pertinet et nescire malum est, agitamus: utrumne
Divitiis homines, an sint virtute beati;
Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos;
Et quae sit natura boni summumque quid eius.
Cervius haec inter vicinus garrit aniles
Ex re fabellas. Si quis nam laudat Arelli
Sollicitas ignarus opes, sic incipit: Olim
Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum;
Asper et attentus quaesitis, ut tamen artum
Solveret hospitiis animum. Quid multa? neque ille
Sepositi ciceris nec longae invidit avenae,
Aridum et ore ferens acinum semesaque lardi
Frusta dedit, cupiens varia fastidia coena
Vincere tangentis male singula dente superbo;

bene potus;» gloss. est *humescit* Codd. aliq. — *Lepos*] «insignis saltator, archimimus, Octaviano gratus, qui *lepide* semper saltabat, unde ei nomen inditum.» SCHOL.

73—78. *Pertinet*] «Sed Socratici generis nostri sunt sermones.» — *summumque*] «τὸ τέλος τῶν ἀγαθῶν, ἡδονὴ ἢ ἀρετή,» perpetua illa controversia inter Stoicos et Epicureos nos quoque agitat.» — *Cervius*] lepidus ac facetus Horatii vicinus; *Arellius* contra avarus, item in vicinia habitans. — *garrit*] «comiter narrat fabellas Aesopias *aniles*,' omnibus iam per nutricum narrationes inde a puericia notas, nec tamen unquam iniucundas, si facete narrentur.» — *Ex re*] «pro re nata, ut res fert et sermonis forte orti occasio.»

79—83. *Olim*] *Olim* et *quondam* frequens fabellarum et exemplorum initium, nostrum *einmal*. *attentus*] «parcus,» ut Ter. Ad. 5, 8, 31: *Nimium ad rem in senecta attenti sumus*. — *ut tamen*] «ita tamen, ut animum alias contractum ac prope anxium laxaret *hospitiis*» (dativ., «se exhilararet interdum hospites invitando.» — *ille*] «ut qui tam benignus esset.»

84—87. *invidit*] cum genitivo, ut φθονεῖν τινί τινός. — *longae*] «Habet enim glumam (grani folliculum) longam.» COMM. CR. — *acinum*] uvae passae. — *tangentis*

Cum pater ipse domus palea porrectus in horna
Esset ador loliumque, dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc: Quid te iuvat, inquit, amice,
Praerupti nemoris patientem vivere dorso?
Vis tu homines urbemque feris praeponere silvis?
Carpe viam, mihi crede, comes; terrestria quando
Mortales animas vivunt sortita neque ulla est
Aut magno aut parvo leti fuga: quo, bone, circa,
Dum licet, in rebus iucundis vive beatus;
Vive memor quam sis aevi brevis. Haec ubi dicta
Agrestem pepulere, domo levis exsilit: inde
Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
Moenia nocturni subrepere. Iamque tenebat
Nox medium caeli spatium, cum ponit uterque
In locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos,

*male*] «vix et fastidiose manducantis.»

88—92. *Cum pater*] Non sine festiva stili gravitate patremfamilias facit stratum esse in palea hornotina atque edere cibos longe viliores, *ador (Spelt)* et *lolium, (Taumellolch.)* — *patientem*] «χαρτεροῦντα, dum parcam ac duram vitam agis.» Virg. Ecl. 10, 52: *Certum est in silvis, inter spelaea ferarum Malle pati.* — *Vis tu*] Exhortantis est, ut hoc consilium capiat; *vin tu* simplex esset interrogatio.

93—100. *terrestria quando*] Mus urbanus philosophum Epicureum agit, omnibus terrestribus (animalibus) fato contingere animas mortales docens. — *pepulere*] impulerunt, commoverunt.» — *aventes*] «cupientes, quo tempore nemo eos animadverteret nec disturbaret, rependo moenia subire ac per aperturam aliquam clanculum intrare.»

101—103. *Nox*] dea caelum curru pervehitur, ut Aurora et Sol. — *coccum*] *scarlatto, Scharlach*, nomine mire corrupto ex *Galatia*, qua ex regione optimum coccum *(Kermes, Schildlaus)* importabatur. — *candere*] rarissime de alio quam albo colore, excepto ferro, carbone, favilla *candente*, in quibus notioni fulgoris rutilantis accedit notio ardoris. — *vestis*] stragula. Cfr. Sat. 2, 4, 84.

Multaque de magna superessent fercula coena,
Quae procul exstructis inerant hesterna canistris.
Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit
Agrestem, veluti succinctus cursitat hospes
Continuatque dapes nec non verniliter ipsis
Fungitur officiis, praelambens omne quod affert.
Ille cubans gaudet mutata sorte bonisque
Rebus agit laetum convivam, cum subito ingens
Valvarum strepitus lectis excussit utrumque.
Currere per totum pavidi conclave, magisque
Exanimes trepidare, simul domus alta Molossis
Personuit canibus. Tum rusticus: Haud mihi vita
Est opus hac, ait, et valeas; me silva cavusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo.

v. 109. *praelibans* B. Fea.

105 — 109. *procul*] «prope.» Gloss. Cod. Sangall. Sane *procul* cum distantiam nulla mensura definitam significet, interdum explicari debet *iuxta*, vel accuratius: «exigua distantia.» Sic Epp. 1, 7, 32. Virg. Ecl. 6, 16: *Serta procul, tantum capiti delapsa, iacebant.* — *canistris*] ut primo mane a servis amoverentur purgareturque triclinium. — *succinctus*] ut solebant esse structores, coenae ministri. — *Continuat*] «unum post alterum cibum assidue apponit.» — *verniliter*] «ipse, cum servos non haberet, in modum vernae alacris et prompti ministrat.» — *praelambens*] Aptum v. de mure pro eo, quod de homine esset *praegustans*, «ut alteri significet, quam lauti sint cibi.»

111 — 117. *agit*] «praebet se hilarem convivam.» — *subito ingens*] Cogitandum de servis, qui sub diluculum conclave scopis spongiisque purgaturi erant; quorum strepitu simul excitantur molossi, domus custodes. — *valeas*] «in perpetuum: ego enim huc rediturus nunquam sum.» — *ervum*] leguminis genus, Graece ὄροβος, nobis *Kichererbse* vel *Erve*.

# SATIRA VII.

**Iamdudum ausculto et cupiens tibi dicere servus**
**Pauca reformido. Davusne? Ita, Davus, amicum**
**Mancipium domino et frugi quod sit satis, hoc est,**
**Ut vitale putes. Age, libertate Decembri,**

VII. Virtus comica huius Satirae in eo maxime cernitur, quod fingit Davi servi Saturnaliorum licentia abutentis sermonem Stoicum magnam partem Crispini aretalogi ianitori sublectum esse. Iam quid exspectandum erat, ubi Crispiniana sapientia a servo traderetur? Verum ecce summa cum elegantia ac festivitate tractatur *παράδοξον* Stoicum homines voluptarios, luxuriosos, siguorum tabularumque pictarum cupiditate abreptos, avaros, adulatores, non minus servos esse, quam qui proprie sic dicantur, et propterea ex iure saltem naturae non minoribus nequitiae ac stultitiae poenis teneri sive *μικροδούλους* sive *μεγαλοδούλους*. (Arrian. Epict. 4, 1, 55.)

Nihilominus, dum in semet ipsum opprobria larga manu ingerere videtur, hominum volgo atque in primis inimicis suis significat, talium de se iudicia partim iniquiora, partim prorsus falsa minime distare ab iis, quae a quovis servulo fieri et possint et soleant; indignos igitur esse suos obtrectatores, quibus directo respondeat, omnique confutatione longe praestare lepidam stultorum derisionem. — Scripta videtur a. u. c. 725.

1. 2. *Iamdudum ausculto*] «Iamdiu auribus capto et veluti venor opportunitatem loquendi.» Gesn. — *reformido*] memor sane proverbii apud M. Antonin. 11, 30: *Δοῦλος πέφυκας, οὐ μέτεστί σοι λόγου.* — *Ita*] «In colloquiis unum *ita* totam sententiam affirmat responsione: *ja.*» Hand Turs. 3. p. 493. — *amicum*] «domini studiosum eique fidum.»

3—7. *frugi*] «*χρηστός*, frugale atque obedientiae plenum, ab omnique furto abstinens, *brav;*» saepe de servis. Opponitur *nequam*. Cic. Tusc. 3. §. 16. — *ut vitale*] «In tantum sum frugi, quam satis sit pro captu ac modulo servulorum; gloriari enim non est meum, neque talem me haberi postulo, cui prae immodicis virtutibus metuant homines, ne cito moriatur.» Ovid. Am. 2, 6, 39: *Optima prima fere Manibus rapiuntur avaris.* — *libertate Decembri*] (adi., ut omnia nomina mensium: male igitur Codd. aliq. *Decembris*.) In perpetuo illo quasi bello inter dominos ac servos, hi, ut ait Ar-

Quando ita maiores voluerunt, utere; narra.
Pars hominum vitiis gaudet constanter et urget
Propositum; pars multa natat, modo recta capessens,
Interdum pravis obnoxia. Saepe notatus
Cum tribus anellis, modo laeva Priscus inani,
Vixit inaequalis, clavum ut mutaret in horas;
Aedibus et magnis subito se conderet, unde
Mundior exiret vix libertinus honeste;
Iam moechus Romae, iam mallet doctus Athenis
Vivere, Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.
Scurra Volanerius, postquam illi iusta cheragra
Contudit articulos, qui pro se tolleret atque

v. 13. *doctor* Fea.

rian. Epict. 4, 1, 58., Saturnalibus ἀνοχὰς (inducias) habebant. Horatii temporibus celebrabantur a. d. XVI. Kal. Ian. (17. Dec.) Cfr. Sat. 2, 3, 5. — *urget*] «naviter persequitur.» Tib. 1, 9, 8. *terrae rusticus urget opus.* — *natat*] «titubat, huc atque illuc fertur.»

9. 10. *Priscus*] homo ignotus, ordinis tamen senatorii. Iam, qui huic occurrebant, mirabantur eum modo tres anulos gestare, modo nullum omnino. Trium autem Horatii temporibus iam nimius numerus erat, qui postea semper crevit. — *inaequalis*] Cfr. Sat. 1, 3, 9 et 18. — *clavum*] «Modo ut senator erat indutus tunica laticlavia, modo ut eques Ro. cum angusto (purpurae) clavo prodibat.»

13. 14. *doctus*] «philosophus,» qui comice opponitur *moecho*. — *Vertumnis*] Vertumnus, maxime olim ab Etruscis cultus, inde Romam translatus, deus anni fertilitatisque variae per temporum vices, deinde generatim deus omnium invertendarum rerum, omnium mutationum ac vicissitudinum. Cfr. Propert. 4, 2. — *quotquot sunt*] «quotquot habet simulacra, quorum unum quodque symbolum est perpetuae inconstantiae.» Irati autem sunt Prisco Vertumni, quatenus poenam ei imposuerunt in singulas prope horas et mores et habitum ridiculum in modum mutandi.

15—20. *Volanerius*] Nihil de hoc homine tradunt Scholiastae. — *iusta cheragra*] «nequitiam ejus merito puniens;» Pers. 5, 60: *cum lapidosa cheragra Fregerit articulos.* Utrobique metri causa scribendum est *cheragra*, non *chiragra*. — *Contudit*] «debi-

Mitteret in primum talos, mercede diurna
Conductum pavit; quanto constantior isdem
In vitiis, tanto levius miser ac prior illo,
Qui iam contento, iam laxo fune laborat.
Non dices hodie, quorsum haec tam putida tendant,
Furcifer? Ad te, inquam. Quo pacto, pessime? Laudas
Fortunam et mores antiquae plebis, et idem,
Si quis ad illa deus subito te agat, usque recuses,
Aut quia non sentis, quod clamas, rectius esse,
Aut quia non firmus rectum defendis et haeres,
Nequicquam coeno cupiens evellere plantam.
Romae rus optas, absentem rusticus urbem

v. 17. *pyrgum* Lamb. v. 19. *ac prior illo* Codd. aliq. B. Mein.

litavit nodis in digitorum articulis contractis.» — *Mitteret*] e fritillo, pyxide lignea, in qua tali manu agitabantur, deinde ex ea in primum coniiciebantur, adeo ut duobus his instrumentis omnis fraus arceretur. *Primus* autem turricula erat (Martial. 14, 16.) sive pyrgus, cylindrus cavus qui trochleatim effictus erat tertiosque habebat intus gradus excisos, ex quibus fundebantur tali in alveolum sive tabulam lusoriam, in cuius media parte statuebatur turricula. — *levius miser*] Minus usitate sic dixit, cum frequentissimus sit positivus *lebitet saucius* cet. — *ac prior illo*] «prope praestantior et felicior homine inconstanti.» — *Qui iam contento*] Imago ἀμετρίας in utramque partem, desumpta a nautis modo ita funes contendentibus, ut periculum sit, ne rumpantur, modo nimis laxantibus, ita ut vela concidant. Lucian. Dial. meretr. 3, extr.: ὅρα, μὴ κατὰ τὴν παροιμίαν, ἀποῤῥήξωμεν πάνυ τείνουσαι τὸ καλώδιον.

21—31. *hodie*] pr. «antequam hic dies transeat,» id est, «illico, statim.» — *Furcifer*] Donatus ad Ter. Andr. 4, 5, 12: «*Furciferi* dicebantur, qui ob leve delictum cogebantur a dominis ignominiae magis quam supplicii causa circa vicinos furcam (V) in collo ferre subligatis ad eam manibus, et praedicare peccatum suum simulque summonere ceteros, ne quid simile admittant.» — *agat*] «adigat ad priscam maiorum nostrorum vitam sequendam.» — *defendis*] non tam adversus alios, quam «pro virili tua parte in temet ipso servas et tueris.» — *et haeres*] i. «intricatus remanes in priore pravitate.» — *ab-*

Tollis ad astra levis. Si nusquam es forte vocatus
Ad coenam, laudas securum olus ac, velut usquam
Vinctus eas, ita te felicem dicis amasque,
Quod nusquam tibi sit potandum. Iusserit ad se
Maecenas serum sub lumina prima venire
Convivam: Nemon oleum feret ocius? ecquis
Audit? cum magno blateras clamore fugisque.
Mulvius et scurrae tibi non referenda precati
Discedunt. Etenim fateor me, dixerit ille,
Duci ventre levem, nasum nidore supinor,
Imbecillus, iners, si quid vis, adde, popino.
Tu, cum sis quod ego et fortassis nequior, ultro
Insectere velut melior verbisque decoris
Obvolvas vitium? Quid, si me stultior ipso

v. 35. *furisque* Cruq. Mein.

*sentem*] «a te relictam.» — *securum olus*] «caenulam ab omni sollicitudine liberam.» — *usquam*] cum verbis motus est *irgendwohin; usque*, «semper,» hic locum non habet. — *Vinctus*] «quasi vinculis oneratus et in carcerem pertractus ad coenas eas, cum contra libentissime omnes invitationes accipias.» — *amasque*] ut Sat. 1, 2, 54. «tecum contentus es idque praedicas.» Cic. ad Att. 4, 16: *in eo me valde amo.*

33—35. *sub lumina prima*] «Post vesperam prima fax.» (Macr. Sat. 1, 3.) Graeci περὶ λυχνῶν ἀφάς. — *Nemon oleum feret ocius*] «oleum lucernae, qua uti volt nocturno tempore ad amicum properans;» non; «quo unctus et lotus abeat coenatum.» (Comm. Cr.) — *blateras*] «stulte et percupide loqui.» Festus. H. l. «cum trepidatione et furore verba effutis.» — *fugisque*] Longe festivius hoc quam aliorum *furisque*, quod et ταυτολογίαν sapit et a Codd. minorem habet auctoritatem. Recte Acron: «Expressit velocitatem hominis festinantis ad coenam.»

36. 37. *Mulvius*] «Iam fuga tua, id est, praeceps tuus abitus ex domo, in causa est, ut Mulvius et alii scurrae, qui venerant spe illecti fore, ut invitarentur, ab ianitore iussi abire coenaque frustrati, diras tibi imprecentur, quas nos servuli tibi referre non audemus, timentes, ne tergo eas expiare debeamus.» — *dixerit ille*]

**Quingentis empto drachmis deprenderis? Aufer**
**Me voltu terrere; manum stomachumque teneto,**
**Dum, quae Crispini docuit me ianitor, edo.**
**Te coniux aliena capit, meretricula Davum:**
**Peccat uter nostrum cruce dignus? Acris ubi me**
**Natura intendit, sub clara nuda lucerna**
**Quaecunque excepit turgentis verbera caudae,**
**Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum,**
**Dimittit neque famosum neque sollicitum, ne**
**Ditior aut formae melioris meiat eodem.**
**Tu, cum proiectis insignibus, anulo equestri**
**Romanoque habitu, prodis ex iudice Dama**
**Turpis, odoratum caput obscurante lacerna,**
**Non es, quod simulas? Metuens induceris atque**

v. 48. *incendit* volgo.

«facile suam causam adversus te ita defenderit Mulvius scurra.»

38—41. *levem*] Libere igitur fatebitur scurra, «se utpote hominem levem gulâ ad te convivatorem deduci:» «ciborum nidore nasum sibi *supinari*, (attolli, ut cupide eum olfaciat.)» «Facile patior,» inquit Mulvius, me a te nominari *imbecillum*, cupidinibus obnoxium et turpis otii appetentem; adde etiam, si vis, peiora, qui semper in popinis versetur. Verum cum tu eodem gulae vitio tenearis et sis fortasse me nequior, cur tandem *ultro*, a me non lacessitus, sed quasi tuo iure insuper mihi probra ingeris?»

43—45. *Quingentis*] = 120 Thaleris = 217 Florenis Rhen. = 315 Franc. Helvet., summa, qua viliora tantum mancipia emebantur. — *Aufer*] «abstine, noli;» ex usu quotidiano. — *stomachum*] «iram compesce.» — *ianitor*] Ex servis vilioribus erant ianitores, ostiarii, atrienses, catena interdum alligati.

51—55. *Dimittit*] «Cum ex fornice discedo, nulla me, utpote qui servus sim, mala fama sequitur, neque quidquam curo, quod alius ditior aut formosior cum eadem meretrice rem habeat; omnibus enim aeque prostat.» — *Tu cum*] «Tu cum deposito anulo equestri et toga domo prodis ex iudice selecto (quo munere tamquam eques Ro. fungeris:) factus *Dama*, vilis servus, lacerna crassa cum cucullo (militum et servorum pallio) coopertus, ne agnoscare.»

**Altercante libidinibus tremis ossa pavore.**
**Quid refert, uri, virgis ferroque necari**
**Auctoratus eas, an turpi clausus in arca,**
**Quo te demisit peccati conscia herilis,**
**Contractum genibus tangas caput? Estne marito**
**Matronae peccantis in ambo iusta potestas?**
**In corruptorem vel iustior. Illa tamen se**
**Non habitu mutatve loco, peccatve superne.**
**Cum te formidet mulier neque credat amanti,**
**Ibis sub furcam prudens dominoque furenti**
**Committes rem omnem et vitam et cum corpore famam.**
**Evasti: credo, metues doctusque cavebis:**
**Quaeres, quando iterum paveas iterumque perire**

v. 58. Al. *uri virgis, ferroque necari*

58—60. *Quid refert*] Petron. 117: *In verba Eumolpi sacramentum iuravimus, uri, vinciri, verberari ferroque necari. Uri* lamina in primis candente; non enim iungendum est *uri virgis*, sed *virgis necari*, id est, «prope ad mortem verberari.» — *eas*] ut nos: *als Gladiator einhergehn*, pro *sis*. — *turpi - - arca*] «cista, quae anxie quaerentibus, ubi te occulant, prima se obtulit, vili fortasse usui destinata.» — *demisit*] «detrusit ita, ut capite *contracto*, curvato, genua tangas.»

61—64. *Estne*] «Nonne potestas est marito necandi et uxorem et moechum in adulterio deprehensos?» Ex antiquo certe iure Romano ante legem Iuliam de adulterio latam. — *Non habitu*] «Moecha certe non habitum matronalem cum servili mutat, neque aedibus clanculum exit, ut te domi tuae conveniat, et morem tantummodo tibi gerit, dum non te init, sed muliebri patientia sese supinat tibi superne patranti.»

65. 66. *Cum te formidet*] «Eo quoque nomine illa minus est te noxia, quod tamquam mulier infirma te etsi ipsius amatorem semper formidine percita recipit, nec confidit promissis, sed timet semper, ne a te decipiatur ac mala fama primum inter sodales, mox apud volgum laedatur. Tu contra prudens ac sciens te turpissimis exponis poenis.» — *sub furcam*] «in turpissimam servitutem, adeo, ut si marito a te laeso placeret, ut mancipium nequam te sub furca vinciret ac verberaret.»

72—76. *Non sum*] Inde ab hoc v. declamandi fervore magis magisque abreptus Davus sensim obli-

Possis, o toties servus! Quae belua ruptis,
Cum semel effugit, reddit se prava catenis?
Non sum moechus, ais. Neque ego, hercule, fur, ubi vasa
Praetereo sapiens argentea: tolle periclum,
Iam vaga prosiliet frenis natura remotis.
Tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque
Tot tantisque minor, quem ter vindicta quaterque
Imposita haud unquam misera formidine privet?
Adde super dictis, quod non levius valeat: nam
Sive vicarius est, qui servo paret, uti mos
Vester ait, seu conservus; tibi quid sum ego? Nempe
Tu, mihi qui imperitas, alii servis miser atque
Duceris ut nervis alienis mobile lignum.

v. 81. Volgo *aliis*. v. 82. *signum* Bentl.

tus se ianitoris Crispini partes recitare, propius semper herum ipsum urget. — *ter vindicta*] «homo adeo servus cupiditatibus ac formidini, ut ne saepius quidem repetita manumissio per vindictam te vere liberum reddere queat.» Forma autem legitima manumissionis temporibus antiquioribus haec fuisse videtur: Comparebat coram praetore urbano dominus cum servo, amicusque domini, assertor in libertatem; dominus servum vindicta (virgula) vel festuca dicis causa percutiebat, quo suam in eum potestatem manifestaret: tum assertor in libertatem hanc formulam pronuntiabat: *Hunc hominem liberum esse aio ex iure Quiritium.* Dominus velut cedens adversario ficto: *Hunc hominem liberum esse volo:* vel: *Liber esto atque abito, quo voles;* dein eum circumagebat et manu emittebat; postea praetor edicebat, *eum hominem liberum esse ex iure Quiritium.*

78 — 80. *Adde super dictis*] «Adde insuper iis, quae dixi.» — *vicarius*] Servus vicarius is erat, quem servus ordinarius suo ex peculio ad eum finem emerat, ut vice sua fungeretur in officiis servilibus exsequendis. At cum peculium semper esset in domini potestate, etiam servi servus (ὁ τοῦ οἰκέτου οἰκέτης Theophilo:) in eadem manebat; adeoque *vicarius* simul erat *conservus* servi ordinarii. — *mos Vester*] civium Romanorum, ingenuorum, quibus se non sine certa quadam amaritudine animi opponit miserum mancipium, sine patre, sine gente, sine civitate.

81 — 88. *alii*] acerbe significat Maecenatem. — *lignum*] (*Marionetten*) «νευρόσπαστον, a

**Quisnam igitur liber? Sapiens, sibi qui imperiosus,**
**Quem neque pauperies neque mors neque vincula terrent,**
**Responsare cupidinibus, contemnere honores**
**Fortis, et in se ipso totus, teres atque rotundus,**
**Externi ne quid valeat per leve morari,**
**In quem manca ruit semper fortuna. Potesne**
**Ex his ut proprium quid noscere? Quinque talenta**
**Poscit te mulier, vexat foribusque repulsum**
**Perfundit gelida; rursus vocat; eripe turpi**
**Colla iugo; Liber, liber sum, dic age. Non quis;**
**Urget enim dominus mentem non lenis et acres**
**Subiectat lasso stimulos versatque negantem.**
**Vel cum Pausiaca torpes, insane, tabella,**
**Qui peccas minus atque ego, cum Fulvi Rutubaeque**

circulatore aliquo fidiculis in hanc vel illam partem tractum, ut quasi gesticulari videatur.» — *sibi imperiosus*] ἄρχων, ἐγκρατὴς ἑαυτοῦ, qua genit. constructione usus est Plin. 34, 8; *Tiberius - imperiosus sui*. Od. 3, 29, 41. *potens sui*. — *Responsare*] τροπεῖν, «cupiditatum illecebras aspernari.» — *in se ipso totus*] «nullius indigens, qui omnia sua in se reposuit, omnia sua in se collegit, nihil extra se sui ponit;» ut diversis locis ait Seneca. — *teres atque rotundus*] Globus perfectissima est forma ex antiquorum sententia (Plat. Tim. p. 33. B.); quae cum levis sit nullique in ea anguli emineant, nihil quod extrinsecus impingat, in ea *morari* (haerere) eamve laedere potest. — *manca*] «quasi manibus debilis, ita ut impetum in sapientem facere nequeat.»

89—92. *Quinque talenta*] «pro levissima voluptate summam ingentem.» (12240. Floren. Rhen. 16985. Franc. Helvet.) — *Liber*] Cfr. Pers. Sat. 5, 83 sqq. Arrian. Epict. 4, 1, 1 et 3: Ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν ὡς βούλεται· ὃν οὔτ' ἀναγκάσαι ἐστίν, οὔτε κωλύσαι, οὔτε βιάσασθαι. — — Οὐδεὶς ἄρα τῶν φαύλων ζῇ ὡς βούλεται· οὐ τοίνυν οὐδ' ἐλεύθερός ἐστιν. — *Non quis*] Sic apud Ciceronem constanter *non quso*, non: *nequeo*.

95—97. *Vel cum*] «exempli causa, ut ceteris omissis hoc afferam.» Epod. 12, 13. et Virg. Aen. 11, 406. — *Pausiaca*] Pausias Sicyonius floruit circiter a. ante Chr. 370. Pingebat parvas tabellas encausticas maximeque pueros. — *torpes*] Sat. 1, 4, 28: *stupet Albius aere*. — *Fulvi Rutubaeque*] Nomina gladiatorum; *Pacideianus* (sic enim

Aut Pacideiani contento poplite miror
Proelia rubrica picta aut carbone, velut si
Re vera pugnent, feriant vitentque moventes
Arma viri? Nequam et cessator Davus; at ipse
Subtilis veterum iudex et callidus audis.
Nil ego, si ducor libo fumante: tibi ingens
Virtus atque animus coenis responsat opimis?
Obsequium ventris mihi perniciosius est cur?
Tergo plector enim. Qui tu impunitior illa,
Quae parvo sumi nequeunt, obsonia captas?
Nempe inamarescunt epulae sine fine petitae,
Illusique pedes vitiosum ferre recusant
Corpus. An hic peccat, sub noctem qui puer uvam
Furtiva mutat strigili? Qui praedia vendit,

Codd. meliores apud Cic. Opt. gen. or. 6. Tusc. 4, 21. Ep. ad Q. Fr. 3, 4.) iam a Lucilio memorabatur. — *contento poplite*] Explica: «certamina, quae committunt inter se gladiatores isti contento poplite, proiecto pede;» non: «*miror contento poplite*.»

98—102. *rubrica*] Huiusmodi picturae rudes atque informes ad alliciendum popellum ante ludos exponebantur ab iis, qui munera edebant, vel etiam a lanistis. — *cessator*] «qui non statim apparet domino vocanti, vel aliquo missus sero domum redit.» Cfr. Epp. 2, 2, 14. — *veterum*] aetatis inde a Pericle ad Alexandrum M. — *callidus*] *Kunstkenner*. Sat. 2, 3, 23. — *Nil ego*] «ἐγὼ οὐδέν εἰμι, nequam audio.» — *tibi ingens*] «tantane tua est virtus, ut libenter careas coenis opiparis easque devites?»

105—108. *qui tu impunitior*] «quo tandem iure naturae minus dignus es poena quam ego, ubi sumptuosa obsonia cupidius emis? Quamquam tu quoque ex naturae lege iustas gulositatis poenas pendis, nimio cibo et cruditate debilitatus atque morbis tentatus.» — *inamarescunt*] «in ventriculo eumque corrumpunt.» Sat. 2, 2, 75: *Dulcia se in bilem vertent*. — *illusique*] «qui dum ut antea stare se posse credunt et volunt, vacillant.» — *vitiosum*] cruditate et aqua inter cutem.

109—115. *An hic peccat*] Simili denuo exemplo propositum suum, paria esse et domini et servi peccata, demonstrat. — *sub noctem*] «An cum (ut vos domini ad minimâ etiam attenti dicitis, neque ego servus nego,) hic puer peccet, qui strigilem, rem prope nihili, do-

**Nil servile gulae parens habet? Adde, quod idem**
**Non horam tecum esse potes, non otia recte**
**Ponere, teque ipsum vitas, fugitivus et erro,**
**Iam vino quaerens, iam somno fallere curam:**
**Frustra; nam comes atra premit sequiturque fugacem. 115**
**Unde mihi lapidem? Quorsum est opus? Unde sagittas?**
**Aut insanit homo aut versus facit. Ocius hinc te**
**Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.**

mino furatus, sub noctem domo herili clam egressus apud pomarium cum uva permutat, ut semel palatum oblectet, contra expers culpae servilis est, qui vel sua praedia paterna vendit, ut gulae satisfaciat?» De constr. v. *mutare, (eintauschen)* cfr. Od. 1, 17, 2. 3, 1, 47. Epod. 1, 28. 9, 28. — — *tecum esse*] «σεαυτῷ συνεῖναι· ne per unam quidem horam tranquille tecum versari et sine continua animi agitatione meditari potes sapientum praecepta.» — *erro*] Ulpian. Dig. 21, 1, 17: *Erronem sic definimus, qui non quidem fugit, sed frequenter sine causa vagatur et temporibus in rebus nugatoriis consumptis serius ad dominum redit.* — *comes atra*] Cfr. Od. 2, 16, 21. 3, 1, 39.

116—118. *Unde mihi lapidem?*] «sumam tibi iniiciendum?» Davus: «Nil opus.» — Imitatur dominum cerebrosum, in servos, ubi verum dicere audent, desaevientem. Languidissima contra fuisset viliorum confessio ac poenitentia. — *sagittas*] Quasi tragoedias movet. — *aut versus facit*] id quod ex opinione volgi et Davi alterum nec levius genus est insaniae. — *te Ni rapis*] Sic Vell. 2, 85: *cum se Canidius praecipiti fuga rapuisset ad Antonium.* In prosa or. usitatius: *te proripis.* — *Sabino*] «Mittam te tamquam ergastulo dignum in Sabinum meum, ubi cum octo aliis servis (tot igitur erant in Horatii familia rustica:) eris fossor ac caprimulgus et, quae poena tuae protervitatis erit, urbis amoenitatibus in perpetuum carebis;» solitae dominorum minae. Plaut. Mostell. 1, 1, 17: *cis hercle paucas tempestates, Tranio, Augebis ruri numero genus ferratile.*

# SATIRA VIII.

Ut Nasidieni iuvit te coena beati?
Nam mihi quaerenti convivam dictus here illic
De medio potare die. Sic, ut mihi nunquam
In vita fuerit melius. Da, si grave non est,
Quae prima iratum ventrem placaverit esca.
In primis Lucanus aper; leni fuit Austro

Sat. VIII. v. 4. *Dis* B. e Codd.

VIII. Nasidieni coenam narrat Horatio Fundanius. Illud autem quamvis summo studio ageret huius convivii dominus, ut coram Maecenate, in cuius honorem dabatur, divitias suas, magnificentiam atque elegans iudicium ostentaret, tamen operam tam misere perdidit, ut vix quidquam ineptius, agrestius, magis ridiculum cogitari posset, quam haec ipsa coena et qui eam praebuit Nasidienus ex infima fortuna, ut omnia arguunt, locuples factus; homo, ut Wielandii verbis utamur, avare prodigus, superbe submissus, arroganter credulus, elegantiam et urbanitatem ridicule affectans, sed idem ineptus, taedii plenus, stolidus, omni sensu communi, liberaliore educatione ac vitae usu destitutus. Scripta est Satira circiter annos u. c. 724—726.

1. *Ut*] in interrogatione directa etiam Epp. 1, 3, 12: *Ut valet? ut meminit nostri?* — *Nasidieni*] Pronuntia quattuor syllabis quasi *Nasidjeni*. Cfr. v. 75 et 84. Nasidienus Rufus, testibus Scholiastis, fuit eques Romanus, fortasse publicanus, ut Porcius (v. 23.), cui utilis esse poterat in his illisve negotiis adiuvandis et in conducendis vectigalibus Maecenas, quem propterea lauto, ut opinabatur, convivio excepit. — *beati*] «divitis», ut Od. 3, 7, 3. De Calvisio, homine Nasidieni perquam simili, Seneca Epp. 27: *Nunquam vidi hominem beatum indecentius.*

2 — 6. *dictus*] ex sermone quotidiano pro *dictus es.* — *De medio*] cum solita coenae hora esset nona. Plaut. Asin. 4, 2, 16: *de die potare*, et Graeci ἀφ' ἡμέρας πίνειν, inde a sexta vel septima. Iam in hoc inficeta Nasidieni luxuries ceruitur, quod ad tempestivum convivium invitarat Maecenatem. — *Da*] Videtur referre sermonem quotidianum. Cfr. v. 80: *illa Redde.* Virg. Ecl. 1, 9: *Sed tamen iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.* — *iratum*] «famelicum.» Cfr. Sat. 2, 2, 18. — *Lucanus*] Sat. 2, 3, 234. Caput coenae hoc videtur fuisse, aper integer, sed inepte primo appositus, ut coniectare licet e Coena Trimalchionis. Petron. 40. — *leni fuit Austro*] «non nimis fervido,» quo

Captus, ut aiebat coenae pater; acria circum
Rapula, lactucae, radices, qualia lassum
Pervellunt stomachum, siser, allec, faecula Coa.
His ubi sublatis puer alte cinctus acernam
Gausape purpureo mensam pertersit, et alter
Sublegit quodcunque iaceret inutile quodque
Posset coenantes offendere; ut Attica virgo
Cum sacris Cereris, procedit fuscus Hydaspes,
Caecuba vina ferens, Alcon Chium maris expers.
Hic herus: Albanum, Maecenas, sive Falernum

facile in putredinem abisset, sed *leni*, ad hoc dumtaxat sufficiente, *ut caro lassa fieret, id est, requieta*. PORPH.

7—9. *coenae pater*] ut apud Gr. *πατὴρ λόγου, δόγματος*, «coenae dominus convivis significat optimam nunc ipsum esse hanc aprugnam,» dum re vera excusare conatur eius putorem, ob eamque ipsam causam tot cinctam rebus apponit, quae quidem non coenae initio, sed lassato iam ventriculo apud alios praeberi consuessent. — *Rapula* cet.] *Radieschen, Lattich, Rettich.* — *Pervellunt*] «cum quadam delectatione pungunt, suscitant.» ACR. — *siser*] *Rapunzel.* — *allec*] *Fischlake.* — *faecula Coa*] Suidas: *φέκλη, τρυξ οἴνου κεκαυμένη*. Etiam haec stomachum excitantia nimis cumularat homo scaevus.

10. 11. *alte cinctus*] Sic Phaedr. 2, 5, 11: *Ex alticinctis unus atriensibus.* — *acernam*] «Et hoc notat eius sorditiem, quod prò divitiis non habuerit mensam citream aut vermiculatam.» COMM. CR. Plin. 16, 26: *Acer-operum elegantia ac subtilitate citro secundum.* — *Gausape*] pr. linteum villosum, *zottige Linnenquelle*.

12—17. *Sublegit*] quaecunque abiecerant convivae, ossa, putamina cet. Qui talia sublegebat, *ἀναλέκτης*, *analecta* vocabatur. Sic Calvisius (Sen. Ep. 27.) *grammaticos habebat analectas*. Ridiculum inest in mira analectarum sedulitate, cui opponitur pocillatorum lente accedentium aeque mira gravitas. — *Attica virgo*] *κανηφόρος*. — *Hydaspes*] Indos vel Aethiopes in familia urbana habere tunc pars luxuriae erat. Hic a flumine patrio nomen habet. — *Caecuba*] Ex Latio prope Campaniae fines. Videtur Nasidieni pravitas in eo versari, quod unum tantum vinum Italicum unumque Graecum afferri iusserat, non simul Falernum et Lesbium. Sordes autem ipse ridi-

Te magis appositis delectat, habemus utrumque.
Divitias miseras! Sed quis coenantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse labore.
Summus ego et prope me Viscus Thurinus et infra,
Si memini, Varius, cum Servilio Balatrone
Vibidius, quas Maecenas adduxerat umbras.
Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra,
Ridiculus totas semel obsorbere placentas.
Nomentanus ad hoc, qui, si quid forte lateret,

vv. 17. 18. *utrumque, Divitias miseras.* (Ut sint Nasidieni vv. *Div. mis.*, non Horatii.) Heindorf. v. 22. *quas* B. cum Codd. multis. v. 24. *simul absorbere* Bentl. Mein.

cule prodit vina generosa offerens dumtaxat, quae petitum non iri a Maecenate pro certo sciebat. — *maris expers*] (οὐ τεθαλασσωμένον,) cui opponitur vinum Graecum salsum. «Erat igitur nimis dulce, cum salsum praetulissent convivae.»

18. 19. *Divitias miseras*] quae possessori miserias creant ac sollicitudinem, ut Sat. 2, 6, 79: *opes sollicitae.* Arrian. Epict. 3, 22, 27: Ἴδετε τοὺς νῦν πλουσίους, ὅσης οἰμωγῆς ὁ βίος αὐτῶν μεστός ἐστιν. — *pulchre fuerit*] Cfr. Sat. 2, 2, 120. — *labore*] h. l. «cupio, aveo.»

20—24. *Summus*] Novem sunt convivae, ex solito apud Romanos more: Plaut. Stich. 3, 2, 31. Varro apud Gell. 13, 11. — *Viscus Thurinus*] Thuriis, Calabriae oppido, oriundus, quo cognomine distinguitur a Viscis fratribus, Horatii amicis. Sat. 1, 10, 83. — *Varius*] poëta. Sat. 1, 5, 40. — *Servilio*] trisyll. In nummis: *C. Servilii.* Huic, ut scurrae, volgo dabatur cognomentum *Balatro.* Cfr. Sat. 1, 2, 2. — *Vibidius*] homo ignotus. — *quas*] Haec lectio praestat alteri *quos*, ex consuetudine Latina, (Sal. Cat. 58: *Est locus in carcere, quod Tullianum dicitur:*) et facilius fem. in masc. mutabant quam contra. — *umbras*] «convivas ab ipso domino coenae non invitatos, sed quos comites secum duceret eorum aliquis, qui invitati erant.» — *Nomentanus*] Videtur idem cum nepote illo Satirae 1, 1, 103. «Decumanum» dicit Comm. Cr. — *ipsum*] ut servis Graecis αὐτὸς herus. — *Porcius*] «publicanus.» Comm. Cr. — *totas semel*, «uno haustu,» contra *plures simul.* — *obsorbere*] plerumque de liquidis usurpatur, h. l. pro *deglutire, devorare.*

25. *ad hoc*] «ad hoc aderat, ut *nomenclatorem* ageret, si cibi aliquod genus nos minus periti non agnosceremus.»

Indice monstraret digito: nam cetera turba,
Nos, inquam, coenamus aves, conchylia, pisces,
Longe dissimilem noto celantia succum;
Ut vel continuo patuit, cum passeris atque
Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi.
Post hoc me docuit melimela rubere minorem
Ad lunam delecta. Quid hoc intersit, ab ipso
Audieris melius. Tum Vibidius Balatroni:
Nos nisi damnose bibimus, moriemur inulti:
Et calices poscit maiores. Vertere pallor
Tum parochi faciem nil sic metuentis ut acres
Potores, vel quod male dicunt liberius vel
Fervida quod subtile exsurdant vina palatum.
Invertunt Allifanis vinaria tota

v. 29. *passeris assi et* B. e Codd. Lamb.

29. 30. *Ut vel*] *wie es denn gleich.* — *patuit*] «Apparuit Nomentano a patrono γαστρονομίας doctoris munus impositum esse; nam is nisi affuisset, ilia passeris non tetigissem.» — *passeris*] Est pleuronectes, hodie platesca flesus, *Flunder.* — *ingustata*] «Quae quia alibi apponi non solent, ego nunquam ante gustaram.» — *ilia*] intestina, iecur potissimum, Voss ridiculi causa: *die Kutteln.* — *rhombi*] *Butte.*

31—34. *melimela*] *Honigäpfel.* Varro R. R. 1, 59: *Quae antea mustea vocabant, nunc melimela appellant.* — *minorem*] «decrescentem.» — *damnose*] «immodice, ita ut damnum sentiat, qui convivium praebet.» Nos: *mörderisch zechen.* — *moriemur inulti*] Epica φράσις (Virg. Aen. 2, 670: *Nunquam omnes hodie moriemur inulti:*) ridicule ad potationem transfertur.

35—41. *calices - maiores*] Ex more acrium potorum. Cic. Accus. 1, 26, 66: *poscere maioribus poculis.* — *parochi*] Cfr. Sat. 1, 5, 46. Hic festive ita vocat coenae praebitorem. — *Fervida*] «Acria vina hebetant subtiliorem palati gustum, itaque convivae talis coenae delicias minus persentiscent.» — *exsurdant*] tralatio ab auditu ad gustatum. — *Invertunt*] κατὰ τῆς κεφαλῆς τρέπονται. Comm. Cr. ut nos *umstürzen.* «Inclinant *vinaria* (lagenas, Glossae: *vinarium*, οἰνοφορεῖον) ad infundendum merum in calices.» — *Allifanis*] dativ. «maioribus scyphis;» ab Al-

Vibidius Balatroque, secutis omnibus; imi
Convivae lecti nihilum nocuere lagenis.
Affertur squillas inter murena natantes
In patina porrecta. Sub hoc herus: Haec gravida, inquit,
Capta est, deterior post partum carne futura.
His mixtum ius est: oleo, quod prima Venafri
Pressit cella; garo de succis piscis Hiberi;
Vino quinquenni, verum citra mare nato,
Dum coquitur; (cocto Chium sic convenit, ut non
Hoc magis ullum aliud;) pipere albo, non sine aceto,
Quod Methymnaeam vitio mutaverit uvam.
Erucas virides, inulas ego primus amaras
Monstravi incoquere, inlutos Curtillus echinos,
Ut melius muria quod testa marina remittat.

v. 53. *quam - - remittit* Mein. et volgo.

lifis, Samnii oppido, «ubi fictiles et latiores calices fiebant.» Comm. Cr. — *imi Convivae*] Nomentanus et Porcius, Nasidieni parasiti, prudenter cavebant, ne eum offenderent largius bibendo; patronus ipse ob avaritiam sibi temperabat a potu.

42—50. *squillas*] *Krabben.* — *murena*] *Meeraal.* — *post partum*] *nach der Laichzeit.* — *mixtum ius*] Cfr. Sat. 2, 4, 63. — *prima - cella*] «eo oleo Venafrano ex Campania, quod in cellis (ubi torcularia erant) ex olivis prelo suppositis primum manavit et propterea primae notae, omnium dulcissimum ac purissimum est.» — *garo*] *Caviar.* Plin. 31, 43: *Garum nunc e scombro pisce (Makrele) laudatissimum in Carthaginis Spartariae cetariis; sociorum id appellatur, singulis milibus nummum permutantibus congias fere binos. Piscis Hiberus* igitur est scomber ad Carthaginem, Hispaniae urbem, captus. — *Methymna*, Lesbi oppidum. — *vitio mutaverit*] «acetum ex vino Lesbio confectum *vitio*, id est, fermento.»

51—53. *Erucas*] *Rauke.* — *inulas*] *Alant.* — *inlutos*] «non aqua dulci lotos, quo marinae sapor iis decaderet, echinos praestantissimo huic iuri mariae loco incoquere docuit Curtillus,» (helluo ignotus). — *Ut melius*] ὡς κρεῖσσον ὄν. — *quod testa marina remittat*] «Quia melius sit quam muria a cetario praeparata, quam alii huic iuri admiscent, id, quod testa marina, illutus echinus per

Interea suspensa graves aulaea ruinas
In patinam fecere, trahentia pulveris atri
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
Nos maius veriti, postquam nihil esse pericli
Sensimus, erigimur. Rufus posito capite, ut si
Filius immaturus obisset, flere. Quis esset
Finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum
Tolleret: Heu, Fortuna, quis est crudelior in nos
Te deus? ut semper gaudes illudere rebus
Humanis! Varius mappa compescere risum
Vix poterat. Balatro suspendens omnia naso,
Haec est condicio vivendi, aiebat, eoque
Responsura tuo nunquam est par fama labori.
Tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
Sollicitudine districtum? ne panis adustus,
Ne male conditum ius apponatur? ut omnes
Praecincti recte pueri comptique ministrent?
Adde hos praeterea casus, aulaea ruant si,

se ipse remittat, (succus eius naturalis non dilutus aqua dulci).»

54—64. *aulaea*] *περιπετάσματα*. «Consuetudo apud antiquos fuit, ut aulaea sub cameras tenderent, ut, si quid pulveris caderet, ab ipsis exciperetur.» Porph. — *erigimur*] «animum recipimus.» — *maius*] «ruinam domus metuentes.» Comm. Cr. — *posito capite*] «demisso in lectum.» — *immaturus*] «qui nondum maturus esset morti.» — *Tolleret*] «maestum consolatus esset;» pr. de eo, qui, cum humi procidit, ab alio erigitur. — *suspendens omnia naso*] «omnia irridens.»

66 — 74. *Tene — torquerier*] Infinitivus indignationis, ut Sat. 1, 9, 72. — *agaso*] «servus, qui iumenta curat.» Acr. Nasidienus, ut servorum numerum augeret, ipsum quoque agasonem, hominem adeo scaevum, ut amovens aulaea, quae ceciderant, patinam frangeret, illis aggregarat; idque Servilius odoratus erat. — *nudare*] «patefacere, detegere.»

77. 78. *soleas poscit*] Foris calceis, domi soleis utebantur viri; easdem in discumbendo deponebant; depositas servum poscit Nasidienus, ut de coena surgat iube-

Ut modo; si patinam pede lapsus frangat agaso.
Sed convivatoris uti ducis ingenium res
Adversae nudare solent, celare secundae.
Nasidienus ad haec: Tibi di, quaecunque preceris,
Commoda dent! ita vir bonus es convivaque comis.
Et soleas poscit. Tum in lecto quoque videres
Stridere secreta divisos aure susurros.
Nullos his mallem ludos spectasse; sed illa
Redde age, quae deinceps risisti. Vibidius dum
Quaerit de pueris, num sit quoque fracta lagena,
Quod sibi poscenti non dantur pocula, dumque
Ridetur fictis rerum, Balatrone secundo:
Nasidiene, redis mutatae frontis, ut arte
Emendaturus fortunam; deinde secuti
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis sparsi sale multo, non sine farre;
Pinguibus et ficis pastum iecur anseris albae

v. 82. *dentur* Lamb. v. 88. *albi* Volgo.

atque praeparari mazonomum. — *in lecto quoque*] Remoto domino coenae non solum Maecenatis comites, verum etiam imi lecti parasiti iocos de ridiculo casu in aurem proximo quisque insusurrabant; quominus in effusos risus erumperent, vetabat Maecenatis praesentia, cuius dignitas ne coram *parochi* servis periclitaretur cavendum erat.

80—87. *Redde*] «Refer mihi.» — *fictis rerum*] ut Sat. 2, 2, 25: *vanis rerum*; A. P. 49: *abdita rerum*: «fingentes nos de aliis rebus iocosis ridere». — *secundo*] tralatio a vento secundo: «praeter ceteros nos adiuvante,» — *Mazonomo*] pr. lanx ingens, ex qua *μάζα νέμεται*, puls distribuitur, h. l. etiam aliis cibis destinata. — *discerpta*] cum ex more avis integra apponenda esset, iam *discerpta* neque ex artis regulis secta affertur. — *gruis*] Tunc ciconiae praeferebantur; ergo per se quoque non satis congruum erat ferculum, mire praesertim nimio sale et farre immixto conspersum.

88—90. *Pinguibus*] Hoc significat Nasidienus convivis, anserem non volgaribus ficis, sed succi

**Et leporum avolsos, ut multo suavius, armos,**
**Quam si cum lumbis quis edit: tum pectore adusto**
**Vidimus et merulas poni et sine clune palumbes;**
**Suaves res, si non causas narraret earum et**
**Naturas dominus; quem nos sic fugimus ulti,**
**Ut nihil omnino gustaremus, velut illis**
**Canidia afflasset peior serpentibus Afris.**

v. 94. *veluti si* Bentl. coni. v. 95. *atris* B. e Codd.

melioris et abundantioris saginatum fuisse. — *albae*] praeter colorem indicatur sexus, tenerioraque esse iecinora et feminarum et albarum. Eadem subtilitate Pers. 6, 24: *turdarum salivas* dixit, non *turdorum*. — *armos*] *Schultern*. «Quia lumbi habent aliquid tetri odoris et saporis minus iucundi.» Comm. Cr. — *edit*] Coniunctivus antiquus *edim, edis, edit*, ut Epod. 3, 3.

91—95. *merulas*] Nunc certe ab Italis non comeduntur, sed tamen olim etiam Athenis. Aristoph. Av. 1081. Merulas inassatas dysentericis mederi auctor est Plinius 30, 7. Apponit igitur ferculum, quod Romae alias medicinae potius loco videtur esse functum. — *sine clune*] Quae pars optima habebatur. — *Canidia*] saga et venefica. Epod. 5 et 17. Sat. 1, 8. — *afflasset*] Credebant afflatum praesertim basilisci repentinam homini mortem afferre. C. Rabirius ed. Kreyssig p. 226: *Percutit adflatu brevis hunc sine morsibus anguis.* — *Afris*] longe teterrimis, ut Od. 3, 10, 18: *Mauris - - anguibus; atris* esset simplex ἐπίθετον ornans, ut Od. 3, 4, 17: *atris corpore viperis.*

# Q. HORATII FLACCI

# EPISTOLARUM

## LIBER PRIMUS.

---

## EPISTOLA I.

### AD MAECENATEM.

Prima dicte mihi, summa dicende Camena,
Spectatum satis et donatum iam rude quaeris,

I. Compacto sane inter Horatium et Maecenatem haec epistola scripta est, quemadmodum omnia, quae ad eorum necessitudinem pertinebant, antequam ederentur, cum Maecenate communicata esse consentaneum est. Iam cum essent non pauci, qui mirarentur atque etiam conquererentur nulla aut paucissima carmina lyrica ab Horatio componi, hic, dum philosophiae sibi placitae praecipue vacans, per hos maturiores vitae annos (circiter a. u. c. 730—746.) Epistolarum poëticarum genus novum condit, partim κατ' εἰρωνείαν, partim ex animi sententia hominibus illis prope nimis benevolis respondet. Simulat autem sese de talibus querelis quasi expostulare cum potente amico, quocum primum ea de re collocutus, deinde epistola ipsa recitata, pro vera, qua inter se utebantur, familiaritate saepius iocatus erat, in primis de salsa Stoicorum irrisione, qua totum horum disputandi genus dum facete imitatur ludit. — Scripta videtur Weicherto a. u. c. 737., Kirchnero a. u. c. 739.

1—3. *Prima*] «cuius laudes ut prioribus iam meis carminibus lyricis praedicavi, ita in posterum, dum concessa mihi erit vita, semper praedicabo.» Est velut proverbialis formula. — *Spectatum*] Verbum hoc est proprium de gladiatoribus saepe victoribus atque a populo celebratis, nota *SP.* expressum in tesseris, quae talibus honoris causa dabantur. — *rude*] Gladiatores postulante populo in amphitheatro a ludorum editore accipie-

**Maecenas, iterum antiquo me includere ludo:**
**Non eadem est aetas, non mens. Veianius, armis**
**Herculis ad postem fixis; latet abditus agro,**
**Ne populum extrema toties exoret arena.**
**Est mihi purgatam crebro qui personet aurem:**
**Solve senescentem mature sanus equum, ne**
**Peccet ad extremum ridendus et illa ducat.**
**Nunc itaque et versus et cetera ludicra pono,**

bant *rudem (Freistab* Voss.) in signum exauctorationis, si liberi erant, si servi, missionis artis gladiatoriae, vocabanturque *rudiarii*. — *ludo*] «gladiatorio, ubi quasi inclusus in cella sub lanista vivam huiusque arbitratu in arenam descendam.» Sine imagine: «Miror te aliumve denuo carmina a me postulare, cum iam et senior factus sim et ante omnia otium quaeram, in quo unice sapientiae vacem; praeterea poëmatis, quae edidi, iustis popularium meorum postulatis iam satisfecisse mihi videor.» In primis autem abhorrebat a carminibus panegyricis, qualia fortasse ab eo exspectabantur.

4. 5. *mens*] «voluntas studiumque, *γνώμη*.» — *Veianius*] «Nobilis gladiator, post multas palmas consecratis Herculi Fundano (apud Fundos in Latio culto: Inscr. m. Lat. N. 1539.) armis tandem in agellum se contulit.» Porphyr. — *latet abditus*] Summam solitudinem significat, in quam ille caussatus aliquid, velut fuga capta se abdiderit. Similiter Cicero Accus. 2, 73: *omnia ita condita fuisse atque ita abdita latuisse.*

6. *Ne - - toties*] «Ut totam rem semel transigat nec fortasse de integro in arenam revocari ipse se patiatur populi plausu vel magno auctoramento inductus.» — *extrema - arena*] stans ad crepidinem circi, s. proxime podium, ubi erant primi spectatores. — *toties*] «neque idem frustra.» Optimis enim quibusque gladiatoribus propter hanc ipsam praestantiam difficilius rudem dare popellus solebat, donec precibus fatigatus tandem vinceretur.

7. *Est mihi - qui*] Persius 5, 96: *Stat contra ratio et secretam gannit in aurem, (die innere Stimme des Rechten*, Kantiano sermone, *der kategorische Imperativ.)* — *personet*] active, ut Cic. ad Fam. 6, 18, 4: *iam tamen personare aures eius huiusmodi vocibus non est inutile.*

8—10. *Solve*] «Si sapis (*sanus*, ut Sat. 1, 5, 44.), deiunge in perpetuum a curru equum senescentem vacationemque ei da ab omni opere ac liberum (*ἄνετον*) sine pasci, ubi volt.» — *Peccet*] «ne continuo in saxa impingat aut humi prolabatur, ita ut eundem illum, cuius vigorem ac ve-

Quid verum atque decens curo et rogo et omnis in
hoc sum;
Condo et compono, quae mox depromere possim.
Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter:
Nullius addictus iurare in verba magistri,
Quo me cunque rapit tempestas, deferor hospes.
Nunc agilis fio et mersor civilibus undis,

Ep. I. v. 16. *versor* Obbarius e Codd. paucis.

locitatem olim omnes admirabantur, postremo derideant.» — *ilia ducat*] «aegre spiritum ducat,» «frequenter anhelet.» Ibycus Fr. 2. Schneidev. p. 95: Ὥστε φερέζυγος ἵππος ἀεθλοφόρος ποτὶ γήρᾳ Ἀέκων σὺν ὄχεσφι θοοῖς ἐς ἄμιλλαν ἔβα. Ennius apud Cic. Cat. 5: *Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit.* — *ludicra*] amores, iocos, convivia cet.

11—15. *verum*] Non tam spectat ad investigationem naturae eiusque cognitionem, quam ad ἠθικὴν philosophiae partem. — *decens*] «honestum.» — *omnis*] Sat. 1, 9, 2. *totus in illis.* — *Condo et compono*] «Quae collegi, quasi in horreo vel cella penaria repono et ordino, ut iis, ubi tempus requisierit, facile utar meamque in rem transferam.» — *depromere*] velut peritus ac sedulus promus condus. — *Ac ne forte roges*] «Noli autem opinari me, ut plerisque nunc mos est, certam aliquam disciplinam sequi, me esse aut merum Epicureum aut Stoicum aut Academicum.» — *Dux*, «auctor, conditor sectae alicuius.» — *Lare*] Vocc. *familia* et *domus* consuetudo Latina pro philosophorum sectis usurpabat: omnis autem *domus Larem* habet, qui *familiam* tuetur; sic Epicureus in tutela est doctrinae magistri sui. — *Nullius*] Supple cogitatione: «Scito,» «sic habeto,» me ἐκλεκτικὸν philosophum esse.» *Magister Sammitium* pro lanista familiae gladiatoriae est iam apud Cic. de Or. 3, 23. In eius verba autem iurabant, qui se auctorabant. Sat. 2, 7, 58. *Addictus* autem pr. qui ob aes alienum, cum solvendo non sit, ex praetoris edicto traditur creditori, qui in corpus eius ius habeat et tamquam servo utatur, donec solvat. *Addictus* igitur, *ut iurem*» cet. est: «obnoxius et velut vi coactus certam quandam doctrinam amplecti ac ne transversum quidem unguem ab ea discedere.» — *tempestas*] «Hospitis instar, qui certam sedem non habet, sed deverticula semper mutat, nunc hac doctrina utor, nunc illa, prout in hac illave parte maiore probabilitate me allicit et conducere mihi videtur.»

16. 17. *agilis*] Non est «facilis, mobilis, versatilis:» sed: «agendi cupidus, actuosus, πρακτικός,» ut Epp. 1, 18. iungit *agi-*

**Virtutis verae custos rigidusque satelles;**
**Nunc in Aristippi furtim praecepta relabor,**
**Et mihi res, non me rebus subiungere conor.**
**Ut nox longa, quibus mentitur amica, diesque**
**Longa videtur opus debentibus, ut piger annus**
**Pupillis, quos dura premit custodia matrum;**
**Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quae spem**
**Consiliumque morantur agendi naviter id, quod**

v. 21. *Lenta* B. e Cod. Barthii,

*lem gnavumque. — mersor civilibus undis*] Res civiles, in primis contiones et comitia, propter instabilitatem aurae popularis ac multiplices turbas crebro cum fluctibus tempestatibusque comparantur. *Mersor* autem significatione formae mediae, *βυθίζομαι, ἐμαυτὸν ἐμβάλλω*, est «prorsus absorbeor, abripior rebus civilibus,» «omnes meas curas in iis defigo.» — *Virtutis verae*] ut nunc dicunt, *idealis*, qualem Stoici informarant, quae propter se coleretur. *Custos* autem et *satelles* imagines sunt desumptae a *virtute* quasi regina.

18. 19. *in Aristippi*] Cic. Acad. 2, 42: *Eorum qui voluptatem finem bonorum esse voluerunt princeps Aristippus Cyrenaeus*; a quo Cyrenaici s. Ἡδονικοί. — *Et mihi*] «Et mihi (meae voluntati et constantiae) res externas subiungere, ὑποζευγνύναι, conor; non me rebus subiungo; in eo igitur elaboro, ut aequo animo omnes fortunae vicissitudines sustineam iisque superior sim, dum laeto, sed moderato vitae usu contentum nullae sollicitudines angunt, nullae cupiditates transversum agunt vexantque.» Recte igitur iam Comm. Cr.: «Rebus utor ita, ut eis imperem, non autem, ut eis serviam ut avarus.»

21—26. *opus debentibus*] praesertim ancillis, quibus pensum diurnum assignatum est, item mercenariis in *opere* rustico. — *custodia matrum*] Probe haec custodia distinguenda a tutela, quae a matribus aliena erat; minus proprie enim loquitur Seneca ad Marc. 24: *Filius tuus pupillus relictus sub tutorum cura usque ad decimum quartum annum: sub matris tutela* (id est, custodia) *semper, cum haberet suos penates, relinquere tuos noluit.* Itaque etiam cum *ad suam tutelam pervenissent* (Cic. de Or. 1, 39.) sive *suae tutelae facti essent* (Sen. Ep. 33.), remanebant sub matrum custodia. Praeterea cum raro fieret, ut tutores ipsi pupillorum educationi ac disciplinae domesticae invigilarent, ea cura praecipue matrum erat. «Omnis annus (non solum,

Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque,
Aeque neglectum pueris senibusque nocebit.
Restat, ut his ego me ipse regam solerque elementis:
Non possis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi;
Nec, quia desperes invicti membra Glyconis,
Nodosa corpus nolis prohibere cheragra.
Est quadam prodire tenus, si non datur ultra.

v. 28. *oculos* Lamb. Obbar.

ut alii volunt, ultimus pupillatûs) adolescentibus lascivis solet videri longus, donec severae matris custodiae *(Aufsicht)* tandem se subtrahant.» — *id quod*] «Verae sapientiae studium omni ordini atque aetati aeque prodest cet.» Propter vim sententiae, quae nullam admittit exceptionem, ter *aeque* repetitur.

27. *Restat*] «Ceterum cum etiamnunc impediar, quo minus adspirem ad perfectam sapientiam, saltem me ipsum, (id quod omnium gravissimum est) regam his *στοιχείοις* s. *κυρίαις δόξαις*, quas ex meis qualibuscunque sapientiae studiis deducere atque colligere potui; alios sibi ipsos, ut volunt, moderari facile patior; *aliena enim negotia non curo*, ut Damasippus.» — *soler*] non tam in rebus adversis, quarum per totam Epistolam nullam mentionem facit, quam: «ubi minores quam vellem progressus facio in virtute ac sapientia.» — *Elementa* extenuans dicit quasi doctrinas simplicissimas ac minime abstrusas, ut quivis earum veritatem intelligat iisque uti queat.

28 — 31. *oculo - contendere*] Significat aciem oculorum extendere, dirigere usque ad certum finem, *σκοπόν*, ultra quem cerni iam nihil potest; collineare. Cic. de Off. 3, 2: *quantum conniti animo potes, quantum labore contendere. Lynceus*] Sat. 1, 2, 90. — *Non tamen*] «Non tamen adeo desperandum de visu est, ut si aliquando lippitudine *(Augenentzündung)* labores, collyria adhibere cavarique nolis.» Sine imagine: «Si experimento facto ad summum profectûs gradum pervenire nequis, noli ideo desperare ac te prorsus negligere. *Prima enim sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere.*» (Cic. Or. 1.) Glyco autem athleta robustissimus, poëtae aequalis. — *cheragra*] Sat. 1, 7, 16. ex qua oriuntur nodi in digitorum articulis.

32 — 34. *quadam prodire tenus*] per tmesin pro *quadamtenus*, eadem conformatione feminina, qua sunt *quatenus, aliquatenus, hactenus, eatenus, illatenus:* «licet progredi usque ad certum quen-

Fervet avaritia miseroque cupidine pectus:
Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis et magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes: sunt certa piacula, quae te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturae patientem commodet aurem.
Virtus est vitium fugere et sapientia prima
Stultitia caruisse. Vides, quae maxima credis

dam terminum.» — *Fervet*] veluti de febri loquitur. — *miseroque*] Od. 2, 16, 10: *miseri tumultus mentis*. *Cupido* apud Hor. semper gen. masc. Remedia autem ex philosophiae illa parte, quae ad mores spectat, scite comparat cum ἐπῳδαῖς, cantionibus s. carminibus magicis, quibus etiam medici interdum uti solebant: *voces* magis ad symphonias refero, quibus medici et magi carmina illa arcana comitabantur. — *dolorem*] «molestissimas has animi perturbationes;» *morbos philosophi appellant* (Cic. Tusc. 3, 4.)

36. 37. *certa piacula*] «praesentia ac probata remedia.» Quoniam *antiquissimo tempore morbi ad iram deorum immortalium referebantur* (Celsus Praef. 1.), haec ante omnia καθάρμασι, sacrificiis expianda et placanda erat; hinc nove medicamenta ipsa *piacula* vocat. Iam vero haec medicamenta sunt sapientium scripta, quae attentissime et animo a perturbationibus quam maxime vacuo legere ac meditari debemus, eorumque consilia sequi. Iunge *ter lecto*, non *ter pure* nec *ter pure* et *ter lecto*.

38—42. *amator*] Donatus ad Ter. Andr. 4, 3, 3: *amator corporis est, amicus animi*. — *mitescere*] Accius Both. P. Sc. p. 249: *Nullum est ingenium tantum neque cor tam ferum, Quod non labascat lingua, mitescat malo*. — *commodet*] *Commodare* pr. «libenter et gratis praebere.» Sat. 1, 1, 22. *facilem - - votis ut praebeat aurem*. — *prima*] iunge etiam cum v. *virtus*. Quintil. 8, 3, 41: *Prima virtus est vitio carere*. «Ac reapse virtutis et sapientiae primordium illud est, ut vera docentibus aurem praebentes vitia fugiamus praeiudicataque opiniones deponamus.» — *caruisse*] ἀορίστως.

43. 44. *Esse mala*] Haec *Vides - - palmae* (v. 51.) eo vinculo cum praecedd. iunguntur, quod exhibent exemplum huius ipsius *stultitiae* humanae et in pecunia laboriosissime quaerenda et in petendis honoribus; stultitiae ea dumtaxat ratione devitandae, ut

Esse mala, exiguum censum turpemque repulsam,
Quanto devites animi capitisque labore;
Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes:
Ne cures ea, quae stulte miraris et optas,
Discere et audire et meliori credere non vis?
Quis circum pagos et circum compita pugnax
Magna coronari contemnat Olympia, cui spes,
Cui sit condicio dulcis sine pulvere palmae?
Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.

sapientiae documenta libenter amplèxi accurate sequamur. — *labore*] «summa cum molestia et animi et corporis;» sic enim exponendum v. *capitis*, et apposite ad nostrum sermonem Voss: *Denke wie ängstlich du solche mit Herzweh meidest und Kopfweh.*

45—48. *extremos - ad Indos*] hyperbolice, «usque ad terras remotissimas.» «Eodem labore iisdemque periculis per totam vitam defungeris, quibus mercatores nostri sese exponere solent.» — *per ignes*] «per gravissima quaeque pericula.» Proverbii habet speciem, ut Od. 4, 14, 24. Sat. 1, 1, 38. 2, 3, 56. — *Ne cures*] «Quin id facis, quod longe facilius est talibus laboribus, ut verae sapientiae praeceptis aurem praebeas; quod ubi feceris, opus non habebis curare bona inania.» — *mirari*] «magni facere,» ut Epp. 1, 6, 1: *Nil admirari.* — *meliori*] «te sapientiori.» Epp. 1, 2, 68: *te melioribus offer.*

49—51: *Quis circum*] «Quis non malit sine ullo certamine Olympionices esse, quam in ludis paganalibus et compitaliciis multo cum sudore, exiguo lucro, nullo honore depugnare?» — *circum pagos*] Loquitur de festis paganalibus et Compitalibus, ubi *pugiles catervarii oppidani* (Suet. Oct. 45.) vel *circumforanei lanistae* (Id. Vitell. 12.) otiosum popellum suis artibus exigui quaestus causa delectabant. — *Magna*] Lucian. Herod. 1: *ἐνίστανται Ὀλύμπια τὰ μεγάλα*, quo nomine distinguebantur Olympia ad Pisam celebrata ab aliis aliarum urbium Olympiis. — *coronari*] Graeco modo, *στεφανοῦσθαι Ὀλύμπια*. — *dulcis*] Ipsa versus caesura nos hoc voc. iungere iubet cum v. *palmae*, non cum vv. *spes* et *condicio*. «Cui veluti certo quodam pacto destinata sit victoria, cum nemo cum robustissimo athleta decertare audeat;» quae quidem erat victoria *sine pulvere*, sine pulveris aspersione, *ἀκονιτὶ καὶ ἀμαχητὶ νικᾶν*.

52—55. *Vilius est*] Ex more Stoicorum, quasi *παρὰ προσδοκίαν* iniicit sententiolam per se

**O cives, cives, quaerenda pecunia primum est;**
**Virtus post nummos. Haec Ianus summus ab imo**
**Prodocet, haec recinunt iuvenes dictata senesque**
**Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto.**
**Est animus tibi, sunt mores et lingua fidesque,**
**Sed quadringentis sex septem milia desunt:**
**Plebs eris. At pueri ludentes, Rex eris, aiunt,**

v. 56. Expunxit h. v. cum Guyeto Mein. vv. 57. 58. inverso ordine sic: *Si quadringentis - - Est animus* Lamb. Fea.

ut videtur, ita claram et certam, ut nemo omnino eam negare possit: eamque alia, sed quae priori similis est, comparatione effert: «Ut Olympia sine certamine vincere, longe praestat victoriae in Compitalibus partae; ita animus aequus facilius ad summum bonum pervenit, quam aeger ac perturbatus; ut vilius cet., ita virtus longe praestat etiam iis bonis externis, quae prima mortales ducunt.» — *Ianus summus ab imo*] quod loci inter duos Ianos est, ubi negotiis suis vacabant feneratores. P. Victor in Descr. Urbis Romae: *Duo praecipui Iani* («transitiones perviae» Cic. de N. D. 2, 27.) *ad arcum Fabianum superior inferiorque.* Cfr. Sat. 2, 3, 18. Hic lepida προσωποποιΐᾳ ipse Ianus medius magistri partes suscipit. — *Prodocet*] ἁπαξ λεγόμενον: «alta voce et palam docet (sine retractatione aut pudore.)» V. προδιδάσκειν. (Soph. Trach. 681.) callide ad Latinitatem deflexit. — *recinunt*] Epp. 1, 18, 13: *puerum laevo credas dictata magistro Reddere;* ubi v. proprio usus est. Cic. de N. D. 1, 26.; sed idem de Finn. 4, 4: *dictata decantare* dixit.

56. *Laevo*] Idem versus Sat. 1, 6, 74., ubi vide. «Argentarii, dum fenus suum exercent, veluti docent reliquos cives omnes nummos ante virtutem quaerendos esse; talem doctrinam cupide arripientes et iuvenes et senes haec tamquam discipuli magistro dictata reddunt, ac profecto mihi nequaquam diversi videntur a puerulis in ludum litterarium a paedagogo deductis, quos olim sic descripsi: *Laevo* cet.»

57. 58. *fidesque*] *Credit*, «bona fama et propter honestatem et propter aliquantum pecuniae, quamvis ad equestrem dignitatem non sufficiat.» — *quadringentis*] Ex lege Roscia theatrali (lata a.u.c.687. a L. Roscio Othone trib. pl.), sancitum erat, ne quis in quattuordecim gradibus orchestrae, in qua senatores sedebant, proximis sederet, nisi qui eques et equestri censu esset. Quadringenta milia H. S. autem census erat equester. (38198 Flor. Rhen. 55560 Franc. Helvet.) — *sex septem*] Est pro-

Si recte facies. Hic murus aëneus esto:
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum est
Nenia, quae regnum recte facientibus offert,
Et maribus Curiis et decantata Camillis?
Isne tibi melius suadet, qui rem facias, rem,
Si possis, recte, si non, quocunque modo rem,
Ut propius spectes lacrimosa poëmata Pupi:
An qui Fortunae te responsare superbae

verbialis formula. Ter. Eun. 2, 3, 39: *mensibus sex septem.*

59 — 61. *Plebs eris*] «Contemneris, inter plebem reputaberis et in XIV. ordinibus non sedebis.» Comm. Cr. — *pueri ludentes*] «Pueri ubi inter se ludunt, qui plurium vel omnium iudicio inter omnes dexterrimus est, rex declarabitur.» — *Si recte facies*] Pueri sic intelligunt: «Si facies optime inter omnes, quae ludi lex poscit.» Hac autem voce velut perculsus παθητικῶς exclamat poëta: «Nonne haec verba reconditiorem etiam habent sensum, ubi eadem ad totam hominum vitam applicaris? Ac profecto hoc idem recte facere (κατορθοῦν Stoicorum) nulliusque flagitii sibi conscium esse, est illud velut inexpugnabile propugnaculum, quod nos prorsus securos et propterea beatos reddit.»

63 — 67. *Nenia*] pr. «carmen funebre praeficarum,» deinde «omnis cantilena popularis» (Od. 3, 28, 26. etiam «nutricum;» h. l. puerorum illud *Rex eris* cet. — «Eadem profecto,» pergit, «erat sententia M. Curii Dentati, qui Sabinos et Pyrrhum devicit, M. Furii Camilli, Gallorum victoris, alterius Romuli, aliorumque antiquorum horum similium; hac vitae norma utebantur, ut virtus honori esset, non divitiae.» — *decantata*] Permanet in neniae imagine: «hoc semper et in animo et in ore habebant.» — *ut propius*] «quo tantum habeas, ut e XIV. ordinibus inter equites, vel etiam in orchestra inter senatores, fabulas spectes.» — *quocunque modo*] ὡς ἐν παρόδῳ ridet Pupii tragoedias futiles, quibus ille se spectatorum affectus movisse vel putabat tantummodo, vel reapse imperitum popellum sibi afflere coëgerat. Quis fuerit, quando vixerit, ignoramus; nisi quod videtur Horatii aequalis fuisse. — *lacrimosa*] θρηνώδη, lacrimas excitantia, ut Sat. 1, 5, 80: *lacrimoso - - fumo.*

68. 69. *responsare*] Cfr. Sat. 2, 7, 85: *responsare cupidinibus:* Epicuri apud Diog. L. 10, 120: ἀντιτάττεσθαι τῇ Τύχῃ. — *superbae*] Sal. Catil. 53: *populum Romanum*

Liberum et erectum praesens hortatur et aptat?
Quodsi me populus Romanus forte roget, cur
Non, ut porticibus, sic iudiciis fruar isdem,
Nec sequar aut fugiam, quae diligit ipse vel odit;
Olim quod volpes aegroto cauta leoni
Respondit, referam: Quia me vestigia terrent,
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.
Belua multorum es capitum. Nam quid sequar aut quem?
Pars hominum gestit conducere publica, sunt qui

*saepe fortunae violentiam toleravisse.* — *erectum*] Cic. pro Deiotaro 13: *animus magnus, alacer, erectus.* — *praesens*] «nunquam te deserens, semper promptus ad te adiutandum.» — *aptat*] «aptum ad responsandum, ad hoc certamen ideneum reddit, vires tuas acuens atque augens.» Constructio *responsare - aptat* occultatur vel mitigatur interposito v. *hortatur*, quod ipsum in prosa or. rarius cum infinitivo componitur. (Cic. pro Sest. 3.)

70. *Quod si*] «Ultro fateor meum iudicium praesertim in iis, quae ad opes honoresque spectant, longe distare ab eo, quod solet sequi stulta multitudo, meaeque sententiae rationem sine mora reddere paratus sum. Nam si forte populus» (addita v. *Romanus σίρωνείᾳ* inservit) «me roget, cur inter ipsum verser quidem quotidie easdemque cum ceteris civibus porticus perambulare soleam, sed cet.

74—76. *referam*] «Responsi loco narrabo notam illam fabellam Aesopiam;» qua similem in modum usus erat iam Lucilius p. 421. Haverc. — *Belua*] «Illud volgi iudicium (v. 70.) non solum damnosum (v. 75.) est, verum etiam tam discrepans et diversum, ut id sequi nequeas.» Obs. — *capitum*] Saepe multitudo, tyranni, animi perturbationes comparantur cum monstris πολυκεφάλοις.

77—80. *Pars*] «Varia enim sunt hominum volgarium studia, omnia tamen quaesticuli causa suscepta; ad hoc in ipsis suis studiis nunquam sibi constant, novarum semper voluptatum avidi; quam quidem duplicem perversitatem ego vitare conor.» Primos producit publicanos, summa cupiditate scripturam, portoria, ceterosque publicos reditus *conducentes*. Amare autem cum publicanis, viris equestris ordinis, committit viles captatores (heredipetas), qui anus viduas senesque caelibes et orbos donis parvi pretii, sed palato gratis, ut *crustulis* (opere dulciario) et *pomis* (omnium arborum fructibus, qui pulpam habent) alliciebant. — *exoipiant*] verbum venatorium,

Crustis et pomis viduas venentur avaras
Excipiantque senes, quos in vivaria mittant;
Multis occulto crescit res fenore. Verum
Esto aliis alios rebus studiisque teneri:
Idem eadem possunt horam durare probantes?
Nullus in orbe sinus Baiis praelucet amoenis,
Si dixit dives, lacus et mare sentit amorem
Festinantis heri; cui si vitiosa libido
Fecerit auspicium: Cras ferramenta Teanum

Od. 3, 12, 12. *excipere aprum*, ἐκδέχεσθαι, *abſangen*. — *vivaria*] receptacula vel saepta, ubi servantur et saginantur omnis generis animalia viva, lepores, apri, glires, aves, pisces, ostrea. Est igitur: «quorum hereditates aliquando devorent.» — *occulto fenore*] «dum viros bonos se esse simulant, illegitimum fenus clam exercent, partim maius quam unciarium (12 *Procent*), partim adversus legem Plaetoriam credita pecunia adolescentibus XXV. annis minoribus.»

81. 82. *Esto*] «Verum, ut hanc ipsam studiorum minus honestorum varietatem multitudini condonem, hac perversitate prope magis indignor, quod in illis ipsis summam inconstantiam mentisque mutabilitatem monstrant.» — *durare*] «sustinere.» Ter. Ad. 4, 2, 15: *Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest.*

83—86. *Baiis*] Campaniae oppido inter Misenum et Puteolos. — *sinus*] maris, significatione propria, quasi dixisset: «nullus est sinus prior Baiano;» non: «angulus, receptaculum.» — *lacus*] Lucrinus prope Baias. — *sentit amorem*] «mox experitur, quanta cupiditate flagret *dives* ille, multorum mancipiorum *herus*.» *Sentire* de re ingrata, ut Od. 3, 1, 34: *Contracta pisces aequora sentiunt*: h. l. propter moles, quibus coartatur. — *Festinantis*] Cato Censorius apud Gell. 16, 14: *Qui unum quid mature transigit, is properat; qui multa simul incipit neque perficit, is festinat.* — *Fecerit auspicium*] «Dives iste caecam et morbi similem libidinem suam ita sequitur, ac si esset auspicium divinitus datum numinisve alicuius iussum.» Virg. Aen. 9, 185: *an sua cuique deus fit dira cupido?* — *Teanum*] «Praevideo fore, ut Teanum Sidicinum, XXX. M. P. a Baiis remotum, vos iubeat instrumenta deferre ibique aliam villam exstruere.» «Primum gaudet maritimis locis, continuo post mediterraneis.» Comm. Cr. — *Tolletis*] arguta breviloquentia verbis ipsis divitis utitur.

**Tolletis, fabri. Lectus genialis in aula est:**
**Nil ait esse prius, melius nil caelibe vita;**
**Si non est, iurat bene solis esse maritis.**
**Quo teneam voltus mutantem Protea nodo?**
**Quid pauper? Ride: mutat coenacula, lectos,**
**Balnea, tonsores, conducto navigio aeque**
**Nauseat ac locuples, quem ducit priva triremis.**
**Si curatus inaequali tonsore capillos**
**Occurri, rides; si forte subucula pexae**

v. 91. *viden ut mutat* Bentl. coni. v. 94. *curtatus* Lamb. v. 95. *Occurro* B. Mein.

87. *Lectus genialis*] «qui in atrio adversus portam sternebatur in honorem Genii.» Festus p. 160. Amst. Genialis hic lectus cuique domum intranti signum erat coniugum par in ea habitare; nam muliere mortua vel post divortium cum ea factum, tollebatur.

91—93. *ride*] «Et tu, Maecenas, et quicunque haec leget, habet, cur rideat» cet. Bentleiano illi *viden ut* locus est potius in actionibus et eventis improvisis et admirationem excitantibus. — *coenacula*] Varro L. L. 5, p. 162. Speng.: *Ubi coenabant, coenaculum vocitabant; postea quam in superiore parte coenitare coeperunt, superioris domus universa coenacula dicta.* Talia autem *coenacula meritoria* (Suet. Vit. 7.) conducebant homines tenuiores. — *conducto navigio*] «Navem interdum conducit, locupletes, qui proprias habent, in eo saltem aemulaturus, ut ipse quoque in locum aliquem amoenum, veluti Baias, vehatur, cum eo tamen incommodo ut aeque atque illi *nauseet*, propria significatione, *ναυτιᾷν*, *seekrank sein*. — *priva*] «uni propria.» «Prives privasque antiqui dicebant pro singulis.» Festus. — *triremis*] pro qualibet nave maiore.

94. «Quid, quod tu, dilecte Maecenas, ipse interdum iudicia facis minus recta? Velut cum me rides propter levem aliquam ac fortuitam in habitu cultuque negligentiam, nec vero longe maiora vitia, in quae subinde incido, reprehendis et castigas, id quod tamen tui foret officium, cum sis *praesidium columenque* meum (Od. 1, 1, 2. 2, 17, 4.) itaque cordi tibi esse debeat, ut illa deponam.» — *curatus*] *curationem capitis* pro *comptu* dixit etiam Petron. 107. — *inaequali tonsore*] «qui propter impericiam inaequaliter tondet dexterum et laevum capitis latus.» *Curatus* autem *tonsore* ut Od. 1, 6,

Trita subest tunicae vel si toga dissidet impar,
Rides: quid, mea cum pugnat sententia secum,
Quod petiit spernit, repetit quod nuper omisit,
Aestuat et vitae disconvenit ordine toto,
Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis?
Insanire putas sollemnia me neque rides,
Nec medici credis nec curatoris egere
A praetore dati, rerum tutela mearum
Cum sis et prave sectum stomacheris ob unguem
De te pendentis, te respicientis amici.

v. 105. *suspicientis* ex N. Heinsii coni. Bentl.

2: *Scriberis alite.* Ovid. Met. 7, 50: *matrum celebrabere turba.*

95. *Occurri*] *ἀορίστως*, «quoties forte tali habitu neglecto coram te versor.» — *subucula*] tunica interior linea vel byssina. Varro ap. Non. p. 542. Merc.: *Postaquam binas tunicas habere coeperunt, instituerunt vocare subuculam* (virorum) *et indusium* (feminarum). «Haec interdum, quia minus eam curo, detrita est, *tunica pexa*, id est, recens et spissa, villis planis et politis texturam tegentibus, talisque discrepantia ridiculum sane praebet aspectum, et similiter ubi toga minus eleganter quam nunc solent, qui ornatui student, amictus sum, ita ut male mihi sedeat, ex unaque parte magis defluat quam ex altera.» (Sat. 1, 3, 31.)

99—103. *Aestuat*] A fluctibus maris ad animum transfert etiam Cic. Acc. 2, 30. — *disconvenit*] verbum Horatianum, etiam Epp. 1, 14, 18. pro «discordat, discrepat.» — *Diruit*] Sal. Cat. 20: *Nova diruunt, alia aedificant.* — *Insanire - sollemnia*] ut Sat. 2, 3, 63: *insanire errorem*, «delirare solito errore, quemadmodum faciunt omnes alii, adeo ut neque castigatio nec singularis aliqua cura mihi adhibenda sit.» — *curatoris*] «Furioso et dementi curator isque per praetorem deficiente legitimo dabatur ex lege XII. Tabularum, *insano* vel *stulto* solo praetoris edicto.» Obbar. — *rerum tutela mearum*] non «tutor,» ut multi volunt, sed «praesidium.»

104. 105. *et - - stomacheris*] «quamquam es meum praesidium atque alioquin ex animi tui sententia meaque causa, ne deridear ab aliis, aegre fers, si vel in re nullius momenti a vitae elegantiae recedo, et decorem negligo.» — *De te pendentis*] *an dir hängend*, non: *von dir abhängend.* — *te respicientis*] «cui in dictis factisque tuos sensus ne unquam laedat, immo ut tibi honeste

**Ad summam: sapiens uno minor est Iove, dives, Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum; Praecipue sanus, nisi cum pituita molesta est.**

---

# EPISTOLA II.

## AD LOLLIUM.

**Troiani belli scriptorem, maxime Lolli, Dum tu declamas Romae, Praeneste relegi:**

gratificetur, propositum est simulque in omni vitae condicione spem suam in te reponit.»

106—108. *Ad summam*] locatur: «Sed ut aliquando philosophari desinam, Stoicorum *παράδοξον* meum faciam.» — *minor - Iove*] «Sententia Stoicorum: *In hoc sapiens minor est Iove, quia moritur.*» Acron. Ceterum commune erat *παράδοξον* et Stoicorum et Epicuri: Aelian. V. H. 4, 13: *Ἐπίκουρος ἔλεγεν ἑτοίμως ἔχειν καὶ τῷ Διὶ περὶ εὐδαιμονίας διαγωνίζεσθαι, μᾶζαν ἔχων καὶ ὕδωρ.* Lucianus Vit. auct. 20. de Stoico: *μόνος οὗτος σοφὸς, μόνος καλὸς, μόνος δίκαιος, ἀνδρεῖος, βασιλεὺς, ῥήτωρ, πλούσιος, νομοθέτης καὶ τἆλλα, ὁπόσα ἐστίν.* — *honoratus*] «ad honores evectus — *rex - regum*] ut Persarum rex. — *sanus*] «Id vero ante omnia cuncti tibi concedent, te perfecta sanitate frui, nisi ubi forte pituita (*κόρυζα, καταῤῥοῦς, Schnupfen*) tibi molesta est.» Stoici obiiciebant sibimet ipsi hoc incommodum interdum obstare videri perfectae beatitudini; eo scilicet consilio, ut facili opera talem obiectionem confutarent. Hanc ipsam ratiunculam salse ridet: «nisi cum pituita molesta est et tibi, et nobis auditoribus.» Arrian. Epict. 1, 6. p. 36: *Ναὶ (ἐπέτυχον εὐδαιμονίας·) ἀλλ' αἱ μύξαι μου ῥέουσι.* (= *mucus et mala pituita nasi* [Catull. 2, 3, 17.] mihi molesta est:) *Τίνος οὖν ἕνεκα χεῖρας ἔχεις, ἀνδράποδον; οὐχ ἵνα καὶ ἀπομύσσῃς σεαυτόν;*

II. Lollius, ad quem haec Epistola data est, filius natu maximus M. Lollii cos. a. u. c. 733. (ad quem Horatius scripsit Od. 4, 9.) videtur fuisse. Lollius, nobili loco natus, dives, iuvenis generosae indolis et elegantis ingenii erat, quantum quidem ex hac Epistola et huius libri Ep. 18. coniicere licet. Ei igitur poëta hac Epistola saluberrimis consiliis viam, qua perveniatur ad honestatem et felicitatem, monstrat eamque ut alacri animo ingrediatur adolescentem monet. Atque cum

**Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,**
**Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.**
**Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi.**
**Fabula, qua Paridis propter narratur amorem**
**Graecia Barbariae lento collisa duello,**
**Stultorum regum et populorum continet aestus.**
**Antenor censet belli praecidere causam.**
**Quid Paris? Ut salvus regnet vivatque beatus,**

Ep. II. v. 4. *Plenius* Codd. multi., Lamb. v. 5. *distinet* Codd. aliq. v. 10. *Quod Paris, ut* e Codd. B.

hoc ipso tempore (a. u. c. 727. Kirchn.) Horatius Praeneste degens Homeri carmina relegisset, hac scribendi occasione utens primum ostendit inde tamquam ex vita ipsa posse aptissima in utramque partem exempla a nobis peti. Post hanc egregiam de Homero sententiam pluribus vv. explicatam (vv. 1—31.) tradit potissima praeceptorum capita, quibus vita iuveni regenda sit. Ceterum est schola Stoica ex interpretatione Homeri morali, quam praeiverant Antisthenes, Zeno, Persaeus. Vide Dionem Chrysost. Orat. 53 et 55. et perquam similis est Maximi Tyrii Diss. 32.

1—3. *maxime*] «maxime natu inter fratres.» — *declamas*] «declamando de fictis thematis duce rhetore aliquo, domestico potius quam publico, te exercere soles.» Seneca Controv. Praef. p. 63. Bip. *Declamare est domesticae exercitationis. — Praeneste*] propter frigus *aestivae deliciae Romanorum:* Flor. 1, 11. Od. 3, 4, 3.

4. *Planius*] *Κατ' εἰρωνείαν* hic quoque Stoicorum fastum deprimit. Lect. *planius* praeter Codd. nostros antiquiss. firmant Acron «apertius» et Porphyrio «manifestius» explicantes. Lucian. Lapith. 30: *τοιαῦτα ἐξεργάζεται ὁ καλὸς Χρύσιππος καὶ Ζήνων ὁ θαυμαστὸς καὶ Κλεάνθης, ῥημάτια δύστηνα καὶ ἐρωτήσεις μόνον καὶ σχήματα φιλοσόφων.* — *Crantore*] Cic. Tusc. 3, 6: *Crantor ille, qui in nostra Academia vel in primis fuit nobilis.*

6—8. *Fabula*] ut *μῦθος*, totum poëmatis heroici argumentum. — *Barbariae*] Phrygiae, ut saepe. Ennius in Andromacha p. 35. Both.: *adstante ope barbarica*, id est, Phrygia. — *collisa*] «longo bello conflictata, violenter commissa.» Sic *συγκρούειν.* — *aestus*] «animi perturbationes vehementiores.» Max. Tyr. 1, 1: *τὸν τῆς ψυχῆς σάλον.*

9—12. *Antenor*] Il. *η*, 348. Liv. 1, 1: *Aeneas Antenorque pacis reddendaeque Helenae semper auctores fuerant.* — *praecidere*] ut nautae funem ancorae securi, *kappen.* — *Quid Paris*] «Quid contra facit Paris?» Respon-

Cogi posse negat. Nester componere lites
Inter Peliden festinat et inter Atriden:
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.
Seditione, dolis, scelere atque libidine et ira
Iliacos intra muros peccatur et extra.
Rursus, quid virtus et quid sapientia possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulixem,
Qui domitor Troiae multorum providus urbes
Et mores hominum inspexit, latumque per aequor,
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa

det l. l. «γυναῖκα μὲν οὐκ ἀποδώσω, sed opes cum illa asportatas.» *Κατ' εἰρωνείαν* eius responsum ita convertit ac si dixisset: «Equidem ego nulla vi cogi possum, ut optione mihi data prae interitu eligam vitam beatam regnumque securum:» proprie: «Ipse suum exitium temere atque inconsulto saluti anteponit.» — *Nestor*] Il. α, 254. Duplex *inter*, in quo hic quoque offendit Bentleius, ut Sat. 1, 7, 11., ex consuetudine est Latina vel apud Ciceronem, Lael. 25.

13—16. *Hunc*] Agamemnonem, qui propter Chryseidem (quam, inquit, *καὶ Κλυταιμνήστρης προβέβουλα* Il. α, 113.) sibi Calchantis responso ereptam iratus Briseidem ab Achille abduxit nec tamen eam tetigit. — *delirant*] «stultitia sua peccant.» — *plectuntur*] «poenas luunt»; *plecti* pr. verberibus puniri. Sat. 2, 7, 105: *tergo plectar*. — *Seditione*] diversa illa et Achillis et Thersitae; *dolis* Pandari, *scelere atque libidine* Paridis.

18—26. *exemplar*] Sic iam Alcidamas reprehensus propter figurae insolentiam ab Aristotele Rhet. 3, 3: *τὴν Ὀδύσσειαν καλὸν ἀνθρωπίνου βίου κάτοπτρον* appellarat. *Utile* autem: «dignum, quod imitemur.» — *Qui domitor*] Libere in Latinum convertit Odysseae exordium, ut rursus A. P. 141. — *providus*] respondet aliquatenus vocabulo *πολύτροπος*. — *parat*] *Ἀρνύμενος ἥν τε ψυχὴν καὶ νόστον ἑταίρων*. — *immersabilis*] «quem res adversae *demergere* in *δυσχείμερόν γε πέλαγος ἀτηρᾶς δύης* (Aeschyl. Prom. 746.), opprimere nunquam potuerunt.» — *Sirenas*] Odyss. μ, 39. — *Circae*] Odyss. κ, 234. — *pocula*] *φάρμακα λυγρά*. — *bibisset*] Bibit utique magae cinnum, sed caute et praemunitus insuper antidoto illo (*μῶλυ*) a Mercurio accepto. —

Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.
Sirenum voces et Circae pocula nosti;
Quae si cum sociis stultus cupidusque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis et excors,
Vixisset canis immundus vel amica luto sus.
Nos numerus sumus et fruges consumere nati,
Sponsi Penelopae, nebulones, Alcinoique
In cute curanda plus aequo operata iuventus,
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies et
Ad strepitum citharae cessatum ducere curam.

vv. 28. 29. *Alcinoique, In cute* Fea. Doering. v. 31. *cessantem ducere somnum* B. coni.

*Sub domina meretrice*] «sub meretrice contemnenda, quae tamen eius in bestiam mutati domina fuisset.» Festive sic vocat deam, quia postea sui copiam fecit Ulixi.

27. 28. *Nos numerus sumus*] «Ut in Ulixe Homerus sapientiae et temperantiae exemplum proposuit, sic in Penelopae procis et Phaeacibus imaginem adumbravit volgi hominum, cui plurimi nostrum adnumerandi sunt.» — *numerus*] «*Nullen des Schwarms.*» Voss. Proprie ii, quorum capita dumtaxat numerantur, nulla ingenii, virtutis, fortitudinis ratione habita, quibus prorsus carere existimantur. Eurip. Troad. 474: *κἀνταῦθ' ἀριστεύοντ' ἐγεινάμην τέκνα, οὐχ ἀριθμὸν ἄλλως, ἀλλ' ὑπερτάτους Φρυγῶν.* — *fruges consumere nati*] Lepide detortum est ex Homerico *βροτοί, οἳ ἀρούρης καρπὸν ἔδουσιν* (Il. ζ, 142.) in eos, qui propter ignaviam et nequitiam ad nihil aliud facti videntur quam ad fruges terrae consumendas. — *Sponsi Penelopae*] «similes sponsis illis.» — *Alcinoi - - iuventus*] quae semper apud regem suum epulabatur ac saltando se delectabat. Odyss. ϑ, 248: *Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαὶς τε φίλη κίθαρίς τε χοροί τε*, «novi igitur Phaeaces,» quorum *τρυφὴ, βίος ἀπολαυστικὸς* in proverbium abierat.

29—31. *In cute*] ut Sat. 2, 5, 37: *pelliculam curare*, molliter et delicate vivere. — *operata*] quasi vero haec luxuria opera esset; festivius quam *occupata*. — *Cui pulchrum*] «cui honestum, immo summum bonum videbatur» cet. — *cessatum ducere curam*] In prosa or. «citharae cantu efficere, ut cesset omnis cura, omnem curam abigere, *κοιμίζειν τὰς φροντίδας*.» Iam per *προσωποποιΐαν* Cura (Od. 2, 16, 11.) symphoniis *cessatum*, ad cessandum aliquamdiu, ducitur.

Ut iugulent homines, surgunt de nocte latrones;
Ut te ipsum serves, non expergisceris? Atqui
Si noles sanus, curres hydropicus; et ni
Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studiis et rebus honestis,
Invidia vel amore vigil torquebere. Nam cur,
Quae laedunt oculum, festinas demere; si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui coepit, habet: sapere aude;

v. 38. *oculos* Codd. perboni.

32. *Ut iugulent*] «Latrones rapiendi cupiditate tantopere concitantur, ut somno posthabito de nocte surgant et ad homicidia patranda iter capiant; tu contra propter animi torporem cessas, ubi salus tua (*εὐδαιμονία* philosophorum) agitur?» — *de nocte*] pr. «cum nox etiamnunc est, ante gallicinium.» Terent. Ad. 5, 3, 55: *Rus cras cum filio ibo primo luci.* M. *Immo de nocte censeo.*

34—39. *Si noles*] «Atqui optime tute scis, si corporis exercitationes nunc nimis neglexeris, periculum tibi instare, ne aliquando aqua intercute labores, quocirca prudenti consilio usus nunquam illas intermittis; verum similiter prorsus fit in moribus: nisi optimis quibusque philosophiae auctoribus saepe vel ante diem, cum mens est quam maxime vegeta, attente lectis, aurem iam nunc praebebis verae doctrinae et rebus honestis operam dabis, socordiam, propter quam te emendare negligis, multis et magnis animi aerumnis aliquando lues.» — *curres*] «Si sudoris impatiens noles sanus cursu interdum vires tuas exercere, sed domi otiosus sedes et graecaris, hydropicus aliquando propter desidiam factus, a medico iussus curres, cum tibi longe molestius erit.» Cels. 3, 21: *Hydropicis multum ambulandum, currendum aliquando est.* — *studiis*] *Studia*, *θεωρία*, *res*, actiones. — *vigil*] «Si non propter philosophiam vigilaveris, propter invidiam et amorem dormire non poteris.» Est igitur: «insomnis.» — *Est animum*] «edit, consumit.» Il. ζ, 201. *Βελλεροφόντης - ἀλᾶτο Ὃν θυμὸν κατέδων*, quod Cic. Tusc. 3, 26. in Latinum convertit: *Ipse suum cor edens.* — *in annum*] ut Epp. 1, 11, 23: *neu dulcia differ in annum.*

40 — 42. *Dimidium*] Vetus proverbium *Ἀρχὴ δέ τοι ἥμισυ παντός*, quod Iamblichus N. 162. ad Pythagoram refert. Sophocl. Fr.

Incipe. Qui recte vivendi prorogat horam,
Rusticus exspectat dum defluat amnis; at ille
Labitur et labetur in omne volubilis aevum.
Quaeritur argentum puerisque beata creandis
Uxor et incultae pacantur vomere silvae:
Quod satis est cui contingit, nihil amplius optet.
Non domus et fundus, non aeris acervus et auri
Aegroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas. Valeat possessor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti.
Qui cupit aut metuit, iuvat illum sic domus et res,

715. Dind.: Ἔργου δὲ παντὸς ἦν τις ἄρχηται καλῶς, Καὶ τὰς τελευτὰς εἰκός ἐσθ' οὕτως ἔχειν. — *supere aude*] ut τολμᾷν, «sustine, abs te impetra.» Virg. Aen. 8, 364: *Aude, hospes, contemnere opes.* — *incipe*] saepe de consilio audaci. Ruhnk. ad Ter. Andr. 1, 3, 13. — *Rusticus*] «Facit ut rusticus ille in fabella, puto, Aesopia, qui cum otiosus sederet in ripa fluminis, interrogatus a viatore: «Quid tibi hic vis?» «Exspecto, respondit,» donec defluat amnis, ut siccatum transeam.»

44. 45. *Quaeritur*] «Recte vivendi autem tempus differtur a plerisque ob nimium studium rem faciendi; cuius cupidinis molestiam facile devitat is, qui sua sorte contentus, *nihil amplius optat*. Is demum, qui huc pervenit, animum suum excolere et ab animi perturbationibus se liberare poterit.» — *argentum*] *pecunia*, ut Sat. 2, 6, 10.: *cum tu argento post omnia ponas.* — *pueris - creandis*] Formula solita in tabulis nuptialibus. Tacit. Ann. 11, 27: (Silium et Messalinam) *adhibitis qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa convenisse.* Similis erat Atheniensium formula apud Menandrum Fr. inc. 185: ἐπὶ παίδων σπόρῳ τῶν γνησίων Δίδωμί σοί γε τὴν ἐμαυτοῦ θυγατέρα. — *beata*] «opulenta.» — *incultae*] «quae nullum proventum afferunt, certe longe minorem quam arva.» — *pacantur*] Quemadmodum Romani *pacata* dicebant regna bello domita et in provinciarum formam redacta, sic silvae aratri ope in arva fertilia mutatae recte dicuntur *pacari*; *vomer* armorum instar eas domat.

48—52. *deduxit*] ἀορίστως de tempore perpetuo. Ut febres *decedunt* (Lucr. 2, 34. Cels. 3, 5.), sic etiam *deduci* possunt; alibi dicuntur *abigi*, *depelli*, *tolli*. — *Valeat*] «Sana sit mens in corpore sano.» — *iuvat illum sic*] «dominum modo pecuniam corradendi

**Ut lippum pictae tabulae, fomenta podagram,**
**Auriculas citharae collecta sorde dolentes.**
**Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit.**
**Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.** 55
**Semper avarus eget; certum voto pete finem.**
**Invidus alterius macrescit rebus opimis;**
**Invidia Siculi non invenere tyranni**
**Maius tormentum. Qui non moderabitur irae,**

v. 52. *tomenta* Bouhier. Ibid. *podagrum* e Codd. B. Schmid.

cupidum, modo iacturas metuentem, ipsa domus et res sic vexat atque angit, ut tabulae pictae lippum, qui, quo magis eas intueri conatur, eo gravioribus doloribus afficitur; ut fomenta, medendi causa adhibita, haud raro podagrae dolores exacuunt; ut symphoniae nervos auditorios vehementer irritant, cum quis propter sordium coitum (Cels. 6, 7.) auribus laborat.» — *fomenta*] In variis podagrae generibus utique adhibebant fomenta; cfr. Celsum 4, 24; hic autem poëta loquitur de eo, quod auctore eodem Celso l. l. interdum accidit, *ut nihil superimponi dolor patiatur*, immo fomentis augeatur.

54. *Sincerum*] «mundum.» Comm. Cr. — *vas*] «Allegerice dicit *vas* pro hominis pectore.» Acron. Cfr. Lucr. 6, 16: *Intellexit ibi vitium vas efficere ipsum, Omniaque illius vitio corrumpier intus.* — «Voluptas, inquit, avaritia, invidia, iracundia eae in primis sunt animi perturbationes, quae verum vitae fructum nobis corrumpunt,» quod per imaginem significatur versu 54.

56—61. *certum - finem*] »modum rei familiaris, ad quem ubi perveneris, plura quaerere desine bonisque partis fruere ac vive!» Sat. 1, 1, 52. *Denique sit finis quaerendi.* — *voto*] ablativus verbi *pete*, non dativus voc. *finem*. — *Invidia*] Orellii Opp. sent. I. p. 22: Σωκράτης τὸν φθόνον ἔφη ψυχῆς εἶναι πρίονα. Menander p. 198. M.: ὃ δὲ τὸ κάκιστον τῶν κακῶν πάντων, φθόνος. — *Siculi - - tyranni*] Phalaris, Agathocles, Dionysii. Erat quasi proverbium. Cic. Acc. 5, 66: *Sicilia tulit quondam multos et crudeles tyrannos.* — *mens*] μένος, θυμός. Catull. 15, 14: *mala mens furorque vecors.* Od. 1, 16, 21: *Compesce mentem.* — *dolor*] Virg. Aen. 1, 25: *causae irarum saevique dolores.* — *odio - - insulto*] dativus vocabuli *poenas*: «dum odium nondum satiatum violenter ac praecipitan-

Infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens,
Dum poenas odio per vim festinat inulto.
Ira furor brevis est: animum rege, qui nisi paret,
Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catena.
Fingit equum tenera docilem cervice magister
Ire viam, qua monstret eques: venaticus ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in silvis catulus. Nunc adbibe puro
Pectore verba, puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens servabit odorem

ter ulcisci studet.» — *festinat*] «poenas festinanter exigit.»

62—64. *Ira furor*] Philemo p. 417. M.: *μανόμεθα πάντες, ὅταν ὀργιζώμεθα.* — *animum*] *τὸν θυμόν.* Plaut. Trin. 2, 2, 29: *Tu si animum vicisti potius quam animus te, est quod gaudeas.* — *Imperat*] «Aut servus est aut dominus; nihil enim est tertium.» *Fingit equum*] «Verum si cupiditates voluptatemque temperantia frenare tibi propositum est, fac, ut mature hanc *κάθαρσιν* incipias, quemadmodum *magister* (*ἱπποδαμαστής*, domitor) equum primis iam annis, dum docilis est, *fingit ire* (»ad eundum«) «docet ingredi viam» est. *Fingere* h. l. «formare, instituere.»

65—68. *venaticus* - - *catulus*] «quo aliquando ad venatum uti constituit dominus.» — *cervinam pellem*] In pellem stramine vel musco repletam et ad vivi cervi similitudinem aliquatenus reflctam iam catuli a magistris incitabantur. — *latravit*] ut Epod. 5, 58: *adulterum latrent Suburanae canes.* — *aula*] honestius vocabulum Graecum pro Latino *chorte, corte*, loco saepto, quo cuiusvis generis animalia alebantur, canes venatici etiam exercebantur. — *Militat*] «feras sectatur;» frequenti comparatione inter venationem et militiam. — *Nunc* - - *nunc*] «Noli, quaeso, hoc inceptum differre: fugit irreparabile tempus.» — *adbibe*] «dum adolescens es, liber adhuc a vitiis, libenti animo sapientiae praecepta ausculta.» Cic. de Finn. 3, 2: *combibere artes.* — *puer*] ut Od. 4, 1, 15: Fabius Maximus *centum puer artium.* Sic enim *ὑποχορισικῶς* a familiaribus appellabantur adolescentes XX. et plures annos nati. — *melioribus*] «quorum prudentiam ac virtutes tu ultro agnoscis.» Epp. 1, 1, 48: *meliori credere non vis?* — *offer*] «Roga eos, ut te doceant; noli exspectare, dum te moneant.» Schol.

69—71. *imbuta recens*] Philo Quod liber sit, quisquis virtuti stu-

Testa diu. Quod si cessas aut strenuus anteis, 70
Nec tardum opperior nec praecedentibus insto.

# EPISTOLA III.

## AD IULIUM FLORUM.

Iuli Flore, quibus terrarum militet oris
Claudius Augusti privignus, scire laboro.

det p. 671: *ὅσπερ γὰρ φασὶ τὰ κενὰ τῶν ἀγγείων ἀναφέρειν τὰς τῶν πρώτων εἰς αὐτὰ ἐγχυθέντων ὀσμάς, οὕτω καὶ αἱ τῶν νέων ψυχαί.* — *Quod si cessas*] «Ceterum memento me omnia haec praecepta tibi tua tantum gratia tradidisse; consilium meum habes; nunc tu fac, quod tibi placet: si negligens eris, tua res agetur; sin velut auriga in certamine me praecesseris, gratum utique mihi erit; ego tamen, cui certam quandam viam ac rationem in omni mea vita regenda tenere propositum est, nunquam negligentior fiam: propterea, quod te aliosve differre atque omittere verae sapientiae studia videam, neque ideo quod alii nimio fortasse ardore in ea incumbunt, magis quam ratio mihi suadet, vires meas contendam ac propter hoc conficiam.» Singulari autem arte, quo omnis offensa devitetur, *praecedentibus* dicit, non *praecedenti*.

III. Iulium Florum, familiarem suum, tunc temporis inter comites Tiberii Neronis a. u. c. 734. in Orientem ab Augusto missi, percontatur; quid Tiberius, quid communes amici, quid ipse agat (vv. 1—25.), ad sapientiae studium excitat (vv. 25—30.), postremum ut cum Munatio, communi amico, in gratiam redeat, amice hortatur. (vv. 30—35.) ZELL. «Fuit Satirarum scriptor, cuius sunt electae ex Ennio, Lucilio, Varrone.» PORPH. Haud improbabiliter de Floro disputavit Weichertus Poët. Lat. p. 366 seq., unde seqq. excerpimus: «Ita Scholiastae verba intelligenda esse puto, ut Florum ex Ennio, Lucilio, Varrone, quos constat scripsisse Satiras, praestantiora carmina elegisse eaque fortasse antiquitatis rigore sordibusque abstersis, et emendatiora et elegantiora edidisse statuamus:» (vel dicam potius in eo elaborasse, ut illorum Satiras sermoni captuique aequalium suorum magis adaptaret.) «Hinc igitur fortasse factum est ut Florus ipse Satirarum scriptor appellaretur.» Ex iis utique Horatii familiaribus fuit, quos ob ingenium atque studia poëtica haud parvi aestimaret. Cfr. Epp. 2, 2. prope decennio post hanc ad eundem missam.

Thracane vos Hebrusque nivali compede vinctus,
An freta vicinas inter currentia turres,
An pingues Asiae campi collesque morantur? 5
Quid studiosa cohors operum struit? hoc quoque curo.
Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?
Bella quis et paces longum diffundit in aevum?
Quid Titius Romana brevi venturus in ora?

III. v. 5. *terras* B. e Codd. v. 6. *haec* Lamb.

2—4. *Claudius*] Augustus Tiberium a. u. c. 734. in Orientem miserat, ut Tigranem in Armeniae regnum ei datum deduceret. Vell. Pat. 2, 94. — *Augusti privignus*] Sic honoris causa eum appellat, quippe qui hanc Epistolam lecturus esset. Florebant etiamtunc C. et L. Caesares, Agrippae ex Iulia filii, Augusti nepotes, ab hoc adoptati; Tiberium adoptavit demum a. 757. — *Thraca*] forma poëtica, Θρῄκη. — *vinctus*] «nive strictus.» Schol. Cogita de fluvio deo. — *turres*] «Herus et Leandri: Inter Sestos et Abydon medium est Hellesponti fretum.» Porphyr. Quae explicatio confirmatur etiam Strabonis 13, 22. loco de utriusque oppidi situ, de πύργοις et cursu aquarum: περὶ τοῦ ῥοῦ τοῦ ἐκ τῆς Προποντίδος.

6—8. *studiosa*] «*cupida litterarum.*» Cels. 1, 2. «Ipse Tiberius doctus» (et saepe curiosa eruditione amicis molestus: Suet. Tib. 70.) «et doctos comites habuit.» Porph. — *cohors*] Paullatim mos invaluit, ut sic appellaretur *grex* (Epp. 1, 9, 13.) adolescentium nobilium, qui comitabantur proconsulem vel quemcunque alium cum imperio extra urbem missum. Cic. ad Q. Fr. 1, 1, 4: — *quid - operum struit?*] «quae scripta componit?» Schol. — *sumit*] «praedicandas eligit,» cum infinitivo ut Od. 1, 12, 11: *Quem virum - sumis celebrare? — Bella quis*] ἐπεξήγησις. «Quis igitur bella, quae ille gessit, paces, quas victis imposuit, ad posteritatem propagare conatur?»

9. *Quid Titius*] Iacobs. in Lectt. Venus. p. 355: *Horaz spricht von dem Streben und Wollen des Titius; er erkennt seinen Muth und dass er hohe Ziele verfolgt; ein Urtheil spricht er nicht aus; wir wissen nicht einmal mit Sicherheit, ob er Proben seines Talentes gekannt habe. Nur die Hoffnung guten Erfolges spricht er wohlwollend aus; und dieses, ja die blosse Erinnerung an das, was der junge aufstrebende Mann vorhatte, musste ihm schmeichelhaft sein. Ob er je damit zu Stande gekommen, wissen wir nicht; sein Verdienst oder Unverdienst kann uns gleichgültig sein; nicht so die Gesinnung des Dichters in dem, was er an seine Freunde*

Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus et rivos ausus apertos.
Ut valet? ut meminit nostri? fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet, auspice Musa,
An tragica desaevit et ampullatur in arte?
Quid mihi Celsus agit? monitus multumque monendus,
Privatas ut quaerat opes et tangere vitet
Scripta, Palatinus quaecunque recepit Apollo;

*und von ihnen schreibt.* Titius autem fortasse filius fuit M. Titii cos. suffecti a. u. c. 723. «Libri eius nulli exstant.» Comm. Cr. — *brevi venturus in ora*] «nondum quidem notus civibus suis propter poëticas laudes, sed qui, ubi ediderit carmina, brevi nomen vendibilis poëtae merebitur.»

10—14. *expalluit haustus*] Eadem constr. atque Od. 2, 12, 7: *periculum contremuit.* Od. 3, 27, 38. «Qui, inquit, in Pindaro imitando vires suas experitur, me prope confidentior.» (Od. 4, 2.) — *fontis*] Ovid. Am. 3, 9, 25: *Aditce Maeoniden, a quo ceu fonte perenni Vatum Pieriis ora rigantur aquis. Lacus (Wasserbehälter)* et *rivi aperti* significant non poëtas lyricos Pindaro inferiores, sed poësis genera et faciliora et leviora. — *Ut valet?*] Recte Cruquius: «haec plena sunt amoris benevoli.» — *aptare modos*] Cfr. Od. 2, 12, 4: *Aptari citharae modis.* — *auspice Musa?*] Sine imagine: «poëtica facultate fretus et felici cum successu Pindarumne re vera nunc aemulatur? an ad tragoedias scribendas iam magis inclinat?» Fluctuabat igitur, ut manifesto apparet, Titius inter duo genera, incertus etiamtunc, utrum Pindaricum genus propter novitatem primus inter Romanos excoleret, an recentiorem tragoediam Latinam. — *desaevit*] ut Virg. Aen. 4, 52: *dum pelago desaevit hiems*, pr. «ex alto,» id est, «vehementer saevit.» Refertur ad violentas animi perturbationes (iram, saevitiam, amorem, furorem), a tragicis expressas; *ampullari* autem, ut Graecorum λιγνυδίζειν, de amplo et magnifico sermonis tragici ornatu non sine exaggerationis notione, figura repetita ex Aristophanis Ranis v. 1208: λιγνύδιον ἀπαίλεσεν. Sic Callimachus teste Hephaestione p. 20. tragoediam Μοῦσαν λιγνύδιον appellavit. A. P. 97. *Proïcit ampullas* cet. Iam vero non ridet Titium ipsum prae nimio tumore *desaevientem* et *ampullantem*, sed tragicum genus ipsum, et potissimum tragoediam Romanam, quae ipsi, ut aliunde quoque apparet (Epp. 2, 1, 55. A. P. 258.) haud nimis placebat.

15. 16. *Quid mihi - agit*] Est sermonis quotidiani hoc sensu:

Ne, si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus. Ipse quid audes?
Quae circumvolitas agilis thyma? Non tibi parvum
Ingenium, non incultum est et turpiter hirtum.
Seu linguam causis acuis seu civica iura
Respondere paras seu condis amabile carmen,
Prima feres hederae victricis praemia. Quodsi

«Quid agit? dic mihi; scire enim cupio, quo res eius sint loco;» ut *quid agis, dulcissime rerum?* (Sat. 1, 9, 4.). Cic. ad Att. 8, 8: *At ille tibi - - pergit Brundisium.* Catull. 24, 4: *Mallem divitias mi dedisses Isti.* — *Celsus*] Videtur sane idem cum Celso Albinovano, comite scribaque Neronis, ad quem misit Epistolam huius libri octavam. Diversus utique est ab A. Cornelio Celso, medicorum Cicerone, quem Horatianum fuisse volebat Bianconius. — *monitus*] «a me iam antea, cum Romae una essemus.» Idem fere iuveni amico acclamat, quod Pisonibus in A. P. 134: *Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres, nec desilies imitator in artum!* Quo quid innocentius fieri poterat?

17—20. *Palatinus*] In templo Apollinis Palatini Octavianus a. u. c. 726. condiderat bibliothecam Palatinam publicam, cuius primus curator fuit C. Iulius Hyginus. — *cornicula*] Nota fabella Aesopia (Phaedr. 1, 3., ubi pro cornice est graculus:) hanc sententiam expressit: «ne facile omnis lector perspiciat Celsum in sententiis, imaginibus, totisque adeo locis imitatum esse, interdum tantum in Latinum convertisse poëtas Graecos.» — *coloribus*] «plumis variorum colorum.» Schol.

21—25. *circumvolitas*] Ut saepe poëtae apibus comparantur (Od. 4, 2, 27.), sic hac imagine *circumvolitandi* atque *agilitatis* significat modo haec, modo illa carminum genera a Floro tentata esse, sane ut opus secundarium, cui per horas subsecivas vacaret: nam severiora studia ad eloquentiam forensem et ius civile converterat. — *hirtum*] Ut ager incultus *hirtus* fit, filice vepribusque obducitur, sic ingenium bonis artibus non excultum, fit rude et hebes. — *acuis*] significantius quam «praeparas.» Cic. Brut. 97: *tu in forum veneras unus, qui non linguam modo acuisses exercitatione dicendi* cet. — *civica iura respondere*] pro volgari: *ius civile respondere*, (Plin. Epp. 6, 15.) et *de iure respondere.* — *amabile carmen*] ἐρωτικὰ puto et συμποτικά. — *hederae*] Proprie refertur ad poëticam facultatem propter Bacchum, qui Pindaro Dithyr. Fr. 3, 7. est χισσο-

**Frigida curarum fomenta relinquere posses,**
**Quo te caelestis sapientia duceret, ires.**
**Hoc opus, hoc studium parvi properemus et ampli,**
**Si patriae volumus, si nobis vivere cari.**
**Debes hoc etiam rescribere, si tibi curae** 30
**Quantae conveniat Munatius, an male sarta**
**Gratia nequicquam coit et rescinditur. At vos**
**Seu calidus sanguis seu rerum inscitia vexat**

v. 30. *sit* Codd. aliq. Schmid. v. 32. *rescinditur ac vos - - feros?* B. e Codd.

δέτας θεός. (Od. 1, 1, 29.) Tum per zeugma pertinet etiam ad cetera Flori studia, in quibus omnibus eum primas partes laturum pollicetur.

26—28. *Frigida curarum fomenta*] Unum vitium in amico libere reprehendit, quod is quoque, ut aequalium plerique, nimio lucri et quaestus studio indulgebat. *Curarum fomenta* h. l. manifesto sunt ea fomenta, quae curae Floro imponunt, id est, pecuniae cupiditas atque ambitio; haec autem paullatim *refrigerant* ac retardant spiritus generosiores, hebetant ingenium, imminuunt poëticam facultatem. — *relinquere*] «His a curis,» inquit, «si liberare te posses, nihil iam te impediret, quo minus *caelestis* (maxime sublimia quaeque appetentis terramque despicientis) philosophiae praeceptis satisfaceres.» — *Hoc opus*] sapientiae; *opus* ad actionem, *studium* ad θεωρίαν refertur.

30—32. *si tibi curae*] Epp. 1, 6, 41: *Si posset - - rogatus.* Epp. 1, 7, 39: *Inspice, si possum.* — *Quantae*] «tantae, quantae eum tibi curae esse conveniat.» — *Munatius*] filius fortasse L. Munatii Planci cos. a. u. c. 712. (Od. 1, 7.) — *male sarta*] Imago desumpta a volnere ideo rescisso, quia eius margines non recte consutae sunt a chirurgo. — *nequidquam*] «ita ut curatio, quam exspectabamus, effectu careat.» — *coit*] Cels. 8, 10: *potest ea ratione et os coire et volnus sanescere.* — *At vos*] Cum magis timeat, ne etiamnunc inter se discordes sint, graviter eos castigat et adhortatur ad reconciliationem gratiae hac allocutione *at* cet., prae qua nimis languet altera lectio *ac*.

33—36. *rerum inscitia*] «Cum quae alteruter recte atque ordine fecerat aut dixerat, alter falso interpretatur atque in suam vel contumeliam vel iniuriam factum opinatur:» (*Missverständnisse*). — *Indomita cervice*] Comparatio repetita ab equis (Epp. 1, 2, 64.) et a tauris, quos Graeci σκληραυχένας et ζυγομάχους vocant. —

Indomita cervice feros, ubicunque locorum
Vivitis, indigni fraternum rumpere foedus,
Pascitur in vestrum reditum votiva iuvenca.

# EPISTOLA IV.

## AD ALBIUM TIBULLUM.

Albi, nostrorum sermonum candide iudex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat,

*ubicunque locorum*] Sic redit ad initium Epistolae. — *foedus*, *Pascitur*] «Ubicunque nunc vivitis vos, quos minime decet amicitiae foedus dissolvere, hoc scitote, me, qui vos ambos aeque diligo, unanimem vestrum reditum exoptare, et laeto sacrificio celebraturum esse, ut Numidae mei (Od. 1, 36, 2.); quocirca etiam mea causa in gratiam inter vos redire maturabitis.»

IV. 1. *candide*] Epistola scripta ad Albium Tibullum, poëtam suavissimum sibique amicissimum (Cfr. Od. 1, 33.), qui natus circiter a. u. c. 700. mortuus est a. 735. aut sequente. Satiras autem Horatius scripsit usque ad a. u. c. 727.; iam cum permulti eius obtrectatores atque invidi maligne de iis iudicarent, Tibullus integrum ac verum iudicium de iisdem inter suos amicos, in primis, ut arbitror, apud fautorem Messallam, fecerat; sic notus primum, deinde familiaris factus esse videtur Horatio. Atque propter hanc ipsam satirarum mentionem probabilius est paullo post easdem editas hanc compositam esse epistolam, id est, a. u. c. 728 vel 729., quam, ut alii volunt, a. 733 vel 734.: nam post sexennium fere nihil iam attinebat memorare benevolum illud iudicium.

2. 3. *Quid nunc te*] Amici memor vitae eius habitum, quem probe norat, una sibi in mentem revocat: «Quid dicam mecum, quid cogitem nunc te facere? sane, ut soles, modo poësi studebis, modo sapientiae.» Pedum oppidum inter Tibur, Praeneste, Tusculum et Romam, prope quod erant Tibulli praedia paterna et avita. — *Cassi Parmensis*] «Hic aliquot generibus stylum exercuit: inter quae opera elegiaca et epigrammata eius laudantur. Hic est, qui in partibus Cassii et Bruti tribunus militum (ut Horatius) militavit: quibus victis Athenas se contulit. Q. Varus ab Octaviano missus, ut eum interficeret, studentem repperit et perempto eo scrinium cum libris tulit. Unde

An tacitum silvas inter reptare salubres,
Curantem quidquid dignum sapiente bonoque est? 5
Non tu corpus eras sine pectore. Di tibi formam,
Di tibi divitias dederunt artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula maius alumno,
Qui sapere et fari possit quae sentiat, et cui

IV. v. 7. *dederant* Codd. aliq. et Lamb. v. 9. *Quam sapere et fari ut possit, quae sentiat, utque* Lamb.

multi crediderunt Thyestem Cassii Parmensis fuisse. Scripserat enim multas alias tragoedias.» Acron et Porph. (Confuderunt Scholiastae *Q. Varum* et *L. Varium.*) — *opuscula*] Sunt carmina minora, elegiae et epigrammata, ut apud Plin. Epp. 8, 21: *Liber* (meus, quem recitavi,) *fuit et opusculis variis et metris.* Admodum ergo fuerunt elegantia ac venusta; alioquin is qui ea superasset, laudem non meruisset. — Quod nonnulli Cassium reprehendi ab Horatio vel hoc certe dici contenderunt: — «Scribisne tu opus; quod vastitate sua vincat etiam vasta Cassii opuscula?» inde ortum est, quod hunc Cassium Parmensem confuderunt cum Cassio Etrusco, malo poëta et πολυγραφωτάτῳ. Sat. 1, 10, 26.

4. *tacitum*] «infixum cogitationi de pulchro et honesto, de vita ad philosophiae praecepta conformanda.» — *reptare*] «sine certo consilio et tardo incessu perambulare, *schlendern*.» — *salubres*] propter frigus aëremque purum. Cfr. Epp. 2, 2, 77. Tibullus ipse de se 4, 13, 9: *Sic ego secretis possum bene vivere silvis, Qua nulla humano sit via trita pede.*

6. 7. *corpus*] dumtaxat brutum, *eine Masse.* — *eras*] «semper, ex quo inter nos versari coepisti egoque te cognovi.» — *sine pectore*] «non eras excors, animus tuus et tener erat in amicitia et veri cupidus et pulchri sensu eximie praeditus.» *(ohne Gefühl.)* Quintil. 10, 7, 15: *pectus est, quod disertos facit et vis mentis.* — *formam*] Vita antiqua Tibulli: «*insignis fuit forma cultuque corporis observabilis.*» — *divitias*] quales mox accuratius designat v. 11. et Tibullus ipse de se 1, 1, 77: *ego composito securus acervo Despiciam dites despiciamque famem.* — *dederunt*] Hac perfectorum quantitate saepe usi sunt poëtae. Virg. Aen. 2, 774: *Obstupui steteruntque comae et vox faucibus haesit.*

8. *nutricula*] Totam clausulam sic construxit Lambinus: «Alumno, qui sapere et fari possit quae sentiat, et cui gratia, fama, valetudo contingat abunde et mundus victus cet., quid nutricula optet maius?» («Atque haec omnia, quibus ne benevolentissima quidem nutricula

**Gratia, fama, valetudo contingat abunde**
**Et mundus victus, non deficiente crumena?**
**Inter spem curamque, timores inter et iras,**
**Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:**
**Grata superveniet, quae non sperabitur, hora.**
**Me pinguem et nitidum bene curata cute vises,**
**Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.**

v. 11. *Et domus et victus* B. coni.

maiora alumno optare possit, tu reapse habes: ergo iure tua condicione contentus es.») 9—11. *sapere et fari*] «recte cogitare (quocirca etiam rationi convenienter vivet:) facundeque sensus suos explicare atque cum aliis communicare.» — *Et mundus victus*] Corn. Nep. Att. 13, 5: *Omni diligentia munditiam, non affluentiam affectabat. Mundus* est καθάριος, *purus* potius καθαρός. 12—14. *Inter spem*] Addit γνώμην s. locum communem, quo tamen nequaquam reprehendit amicum, ut rati sunt Interpretes morosiores. Est descriptio vitae humanae, quae ex natura nostra variis affectibus semper agitatur. — *diluxisse*] in prosa or. sane usitatius esset *illuxisse*, unde Muretus ἀρχαϊσμῷ in Horatio minime tolerabili volebat *tibid illuxisse*. — *Grata*] Terent. Phorm. 2, 3, 21: *Quidquid praeter spem evenit, omne id deputabo esse in lucro.* — *superveniet*] «insuper atque inexspectata tibi adveniet.» 15. 16. *Me pinguem*] «Haec ipsa praecepta strenue me sequi, ubi in Urbem veneris, videbis vel ex facie mea.» Suet. Vit. Hor.: *Habitu corporis brevis fuit atque obesus.* — *nitidum*] propter ipsam pinguedinem. Sat. 2, 2, 128. — *curata cute*] Ep. 1, 2, 29. — *porcum*] Innocenter iocatur in semet ipsum. Comparatione ista petita *a pecude cui animus datus est pro sale, ne putesceat* (Cic. de Finn. 5, 13.) invehi solebant Stoici in adversarios suos. Cic. Pison. 16: *Epicure noster, ex hara producte, non ex schola.*

# EPISTOLA V.

## AD TORQUATUM.

Si potes Archiacis conviva recumbere lectis
Nec modica coenare times olus omne patella,
Supremo te sole domi, Torquate, manebo.
Vina bibes iterum Tauro diffusa palustres
Inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum.
Si melius quid habes, arcesse vel imperium fer.

V. v. 6. *Sin* Fea.

V. Invitat poëta amicum ad coenam frugalem, sed laetam, quam proxime ante Caesaris Octaviani diem natalem facturus erat, simulque ad hilarem vitae usum excitat. De Torquato eiusque moribus vide ad Od. 4, 7. Scripta videtur a. u. c. 733.

1 — 3. *Si potes*] «Si potes hoc abs te impetrare, ut mecum accumbas cet.» — *Archiacis*] «simplicibus quidem, sed simul satis elegantibus, quales vendere solet Archias,» faber lectarius Romae tunc notus. — *olus omne*] τὸ ἑπτυχόν, brassicam, betam, cichorea, legumina cet. — *Supremo sole*] «sub occasum solis, ad vesperam, itaque negotia tua ad finem perducere poteris.» Romanis inter horam undecimam et duodecimam, nobis mense Septembri exeunte sub horam septimam.

4 — 7. *iterum Tauro*] T. Statilio Tauro II. cum Augusto VIII. cos. a. u. c. 728. — *diffusa*] ex doliis in cados, unde *doliari* opponitur vinum *diffusum*. Vinum igitur hoc erat quinque annorum, pro Italico satis recens, ita tamen, ut in simplici domo sine nimiae parcimoniae ac sordium reprehensione convivis apponi posset. *Minturnae*, Auruncorum oppidum ad ostia Liris fl., a quo *Sinuessa* distabat IX. M. P. *Petrinus* mons est Sinuessanae civitati imminens vel ager Sinuessae vicinus. Comm. Ca. Hodie *Rocca di monte Ragoni*. Sinuessanum autem vinum melioribus adnumerabatur, non tamen optimis, Falerno, Caecubo, Setino, Formiano. (Martial. 13, 111. et 113.) — *Si*] «Si quid melius vini habes, per servulum ad me afferendum cura.» *Arcessere rem* recte dici patet ex Cic. ad Att. 16, 11: *eius librum arcessivi*. — *imperium fer*] «quod in convivas quodammodo exercebat dominus convivii.» — *splendet focus*] Lares tali die tergebantur cera, fu-

**Iamdudum splendet focus et tibi munda supellex.**
**Mitte leves spes et certamina divitiarum**
**Et Moschi causam: cras nato Caesare festus**
**Dat veniam somnumque dies; impune licebit**
**Aestivam sermone benigno tendere noctem.**
**Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?**
**Parcus ob heredis curam nimiumque severus**
**Assidet insano. Potare et spargere flores**
**Incipiam patiarque vel inconsultus haberi.**

v. 12. *fortunas* Lamb. *fortuna* Torr. *fortunae* Fea. *Quid mihi fortuna* Codd. Bern. Sangall.

ligo loci amovebatur. — *tibi*] «in honorem tuum.»

8 — 10. *Mitte*] «Omissis omnibus curis, quae solent agitare vitam humanam inter spes plerumque fallaces honorum et studium opibus alios superandi.» — *Moschi*] «Hic Pergamenus fuit rhetor notissimus; reus veneficii fuit, cuius causam ex primis tunc oratores egerunt, Torquatus hic et Asinius Pollio.» PORPH. — Videtur tota ista causa Torquato ipsi difficilis fuisse et molesta. — *nato Caesare*] Sic nude dictum vix aliter intelligi potest quam cum Comm. Cruq. de die natali Caesaris Augusti, qui incidit in XIV. Kal. Octobr. (23. d. Sept.) Vide Kal. Maff. in Inscr. m. Lat. II. p. 398. — *Dat veniam*] et propter Augusti natales et quia erat, ut est in Kal. Maff. l. l. p. 398. et p. 407. *N. P.* (= nefastus prior); priore igitur diei parte ius dici a praetore non poterat.

11 — 15. *benigno*] «multo et liberali et faceto *extendere* (ut ex gloss. habent Codd. multi:) id est, «usque ad eius finem exigere.» Sic τείνειν νύκτα. — *Quo mihi fortunam, si*] Solita est haec Latinis exclamatio, velut propter loquentis impatientiam ac festinationem omisso verbo *optem*, *quaeram*; *quo*, dat. antiq. *quoi*, «quorsum.» Ovid. Am. 2, 19, 7: *Quo mihi fortunam, quae nunquam fallere curet?* De divitiis certe Horatii aequales intelligebant, non ut recentiorum nonnulli, de opportuna laetandi occasione. — *Assidet insano*] «Quasi consulto locum occupat insano proximum, ideoque ei παραπλήσιος, simillimus est.» Hac tropica significatione videtur ἅπαξ λεγόμενον, formatum ad analogiam v. *dissidere ab aliquo*. — *inconsultus*] «Qui liberius et dissolutius se laetitiae tradunt, ipsi se *furere* (Od. 2, 7, 28.) *desipere* (Od. 4, 12, 28.) (μανῆναι Pseudanacr. 13, 12.) velle aiunt.» DOERING.

**Quid non ebrietas designat? Operta recludit,**
**Spes iubet esse ratas, ad proelia trudit inertem,**
**Sollicitis animis onus eximit, addocet artes.**
**Fecundi calices quem non fecere disertum?**
**Contracta quem non in paupertate solutum?** 20
**Haec ego procurare et idoneus imperor et non**
**Invitus, ne turpe toral, ne sordida mappa**
**Corruget nares, ne non et cantharus et lanx**

v. 17. *inermem* Lamb.

16—20. *designat*] *designare (bezeichnen)* «constituere,» deinde: «constitutum exsequi, patrare;» quo usu invenitur apud Terent. Ad. 1, 2, 7: *nam illa, quae ante hac facta sunt, Omitto: modo quid designavit!* ubi Donatus: «*designare* est rem novam (atque insignem) facere in utramque partem, et bonam et malam.» Est igitur: «Confidenter ebrius et sentit et facit, quae siccus vix auderet.» — *Operta*] secretos et veros sensus convivae ipsius, qui alias eos difficulter cum aliis communicaret. — *inertem*] «alias ignavum ac timidum;» (Tac. Hist. 1, 46: *Iners pro strenuo in manipulum redibat.*) — *addocet artes*] poësin et eloquentiam, dum excitat ingenium. — *Fecundi*] «copiosi et abundantes, qui semper a pincernis repleantur.» — *Contracta*] «arta, angusta.» Schol. — *solutum*] «ab omnibus illis quasi vinculis, quibus curae nos onerant.»

21—25. *procurare*] Hoc dicit: «me ipso inspectante servus structor mensam, ut decet, apparabit.» Pendet autem v. *procurare* et a v. *idoneus* (ad providenda omnia, *ἐπιτήδειος οἰκονομεῖν*) et a v. *imperor*. — *imperor*] pro *imperatur mihi* dixit ad analogiam v. *iubeor*. — *turpe toral*] ne synonymum sit v. *immunda*, explicabimus: «usu detritum et coloris evanidi.» — *ne non*] «ut pocula et patinae argentei speculi instar splendeant.» — *eliminet*] «extra limen domus meae cum exierit, propter garrulitatem temere divulget convivarum sermones.»

26. 27. *Butram Septiciumque*] sodales Torquati et Horatii nobis ignoti. — *coena prior*] «ad quam prius quam ad meam fortasse invitatus est.» — *Sabinum*] Sabinum hunc alii volunt esse A. Sabinum, Ovidii amicum (Am. 2, 18, 17.), cui olim tribuebant tres Heroides Ovidianis plerumque subiunctas, re vera autem compositas demum circiter a. 1467. ab Angelo Quirino Sabino, grammatico Italo; alii Sabinum Tironem, qui librum Ce-

Ostendat tibi te, ne fidos inter amicos
Sit qui dicta foras eliminet, ut coëat par
Iungaturque pari. Butram tibi Septiciumque,
Et nisi coena prior potiorque puella Sabinum
Detinet, assumam; locus est et pluribus umbris;
Sed nimis arta premunt olidae convivia caprae.
Tu, quotus esse velis, rescribe et rebus omissis
Atria servantem postico falle clientem.

puricôn Maecenati dicavit. (Plin. H. N. 19, 10.)

28—31. *umbris*] «convivis a convivatore non invitatis, sed quos qui invitati sunt interdum secum ducunt.» Cfr. Sat. 2, 8, 22. *Plures* autem dicit ad summum quattuor, quibus solitus novenarius convivarum numerus expletus esset. Varro apud Gell. 13, 11. dicit convivarum numerum incipere a Gratiarum numero et progredi ad Musarum. — *Sed nimis*] «Nolim tamen nimius sit umbrarum tuarum numerus, ne cum arte accumbere cogamur, foetor alarum (quem *caprum* Catull. 69, 5.), *hircum* (Epod. 12, 5.) vocabant, *Geissduft:*) nobis molestus fiat.» — *rescribe*] «Quocirca rescribe, cum quot comitibus ad coenam meam venturus sis.» Schol. ut omnia apte praeparari possint. — *rebus*] «negotiis iuris civilis ac litibus.» — *falle clientem*] «clam subtrahe te clienti qualicunque (non solum Moscho illi), qui vel sub occasum solis, hora minime opportuna, te de causa sua consulere eamque te docere cupit, atque atrium domus tuae *servat*, (id est, anxie explorat, necubi tute appareas vel etiam ostiarius aliquis, per quem ad te admittatur,) per ostium *posticum* (ψευδόθυρον in posteriore aedium parte) evadens.»

# EPISTOLA VI.

## AD NUMICIUM.

**Nil admirari prope res est una, Numici,**
**Solaque, quae possit facere et servare beatum.**
**Hunc solem et stellas et decedentia certis**

VI. Missa est ad Numicium quendam, hominem prorsus ignotum, de cuius indole ac moribus vix quidquam ex ipsa Epistola elicias, etsi tam multa in ea oculis plus quam lynceis vidit Wielandus, ut facete dixerit Iacobs, Numicii effigiem ab hoc expressam simillimam esse Demi Atheniensium a Parrhasio picti, in quo auctore Plinio (35, 10. S. 36.) artifex volebat *omnia pariter ostendere*. Numicio, iuveni bona indole praedito (alioquin enim Horatius eum in sodalium suorum numerum non recepisset:) consilium dat, ut certum quoddam vivendi propositum eligat, electumque constanter teneat nec in vivendi genere perpetuo nutet, quemâdmodum plerique mortales. Scriptam arbitratur Kirchnerus a. u. c. 738. Certe scripta est post a. u. c. 729., ut docet v. 26.

1. 2. *Nil admirari*] *anstaunen*. A ridiculis Horatii obtrectatoribus haec verba data opera in deteriorem partem explicari solent, quasi exhaustis corporis viribus et vitae taedio captus in ea proruperit; sed nihil profecto aliud fecit, quam ut repeteret antiquissimam Graecorum doctrinam, quae primum potissimum ad naturae *φαινόμενα* priscis mortalibus terrorem incutere solita, deinde et ab Epicuro et a Stoicis praeterea partim ad nimiam bonorum externorum appetitionem moderandam divitiasque despiciendas, partim ad omnis generis timores forti animo abiiciendos relata est. — *prope*] «*im Ganzen genommen;*» sententiam *παράδοξον* aliquanto mitigat, prorsus ut Sat. 1, 3, 98: *utilitas iusti prope mater et aequi*. — *una Solaque*] Apud Cic. aliquoties est *unus solus* sine copula: *unus* alios non excludit, sed unum tantum ponit praecipuum; *solus* contra omnes alios excludit. KOENIG.

3. 4. *Hunc solem*] *δεικτικῶς*, «quem omnes admiramur,» — *certis - momentis*] «motibus semper aequalibus, circuitu fixo.» Cic. de N. D. 2, 62: *Circuitus solis et lunae reliquorumque siderum - - spectaculum hominibus praebent: nulla est enim insatiabilior species, nulla*

**Tempora momentis sunt qui formidine nulla**
**Imbuti spectent: quid censes munera terrae,**
**Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos,**
**Ludicra quid, plausus et amici dona Quiritis,**
**Quo spectanda modo, quo sensu credis et ore?**
**Qui timet his adversa, fere miratur eodem**
**Quo cupiens pacto; pavor est utrobique molestus,**
**Improvisa simul species exterret utrumque.**

VI. v. 11. *externat* Iacobs.

*pulchrior.* «Verus philosophus, *acer investigator et diligens earum rerum, quas natura involutas videntur* (Cic. Tim. 1.) tranquillo animo caelum contemplatur, (*ἀνταυγὲς πρὸς Ὄλυμπον ἀταρβήτοισι προσώποις.*) Liberi sunt igitur philosophi (nam non de solis Epicureis agit:) ab iis timoribus, quos popello superstitioso incutere solent mathematici.

5—7. *quid censes*] Cic. de lege agr. 2, 17: *Quid censetis, -- quo timore exteras nationes futuras?* Solita est consuetudinis formula, qua ei, ex quo aliquid quaerimus, acrius instamus, quam si languidius sic interrogaremus: «Quo timore exteras nationes futuras censetis?» et breve spatium meditandi quid respondeat ei concedimus, nostrum tamen ea de re iudicium aut clare proponimus, aut saltem significamus, ut hic: «admirabilia non esse.» «Quomodo spectanda censes munera terrae, -- quo sensu, dico, et ore?» — *munera terrae*] aurum, argentum, marmor. — *maris*] munera, margaritas, purpuram. — *extremos*] ut Od. 1, 35, 30: *ultimos Orbis Britannos.* — *Ludicra*] «ludos publices», ut saepe apud Livium. Cogitandum autem non solum de summa cupiditate, qua plerique inhiabant gladiatoribus et circensibus, verum etiam de incredibili studio in talibus poni solito ab iis, qui ludos edebant, aediles dico et praetores, quo aemulos magnificentia vincerent populique favorem sibi conciliarent. Pers. Sat. 5, 176.

9—13. *miratur*] «stupet;» etiam in malis, ut Lucan. 2, 28: *Nondum est ille dolor, sed iam metus; incubat amens Miraturque malum.* —. *pavor*] Cic. Tusc. 4, 8: *pavorem, metum mentem loco moventem.* — *simul*] ut saepe pro *simulac.* — *species*] *Erscheinung*, (*Gaukelgebild* Passow.) — *exterret*] *ἐκπλήττει.* Cic. l. l. *terrorem, metum concutientem.* Iam non sine arte per totum locum utitur vocabulis mediis et cupidini et metui aeque convenientibus; nam etiam qui vehementer cupit, necopinata boni specie subito oblata *exterretur*, concutitur; eius mens ex sede sua

Gaudeat an doleat, cupiat metuatne, quid ad rem,
Si, quidquid vidit melius pejusve sua spe,
Defixis oculis animoque et corpore torpet?
Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui,
Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.
I nunc, argentum et marmor vetus aeraque et artes
Suspice, cum gemmis Tyrios mirare colores;
Gaude, quod spectant oculi te mille loquentem;
Navus mane forum et vespertinus pete tectum,

et statu demovetur. Sagax quidem, etsi non prorsus necessaria, est Iacobsii L. V. p. 157. coni. *externat*. Horatius hoc v. nunquam usurpat, sed praeter Catullum 64, 70. et 164, etiam Ovid. Met. 11, 77: *Externata fugam frustra tentabat*. — *spe*] Spes est opinio cuiusque rei futurae.

15—18. *Insani*] «Neque id, quod dixi, de rebus externis dumtaxat valet. Quid, quod etiam ipsius virtutis studium nimis ardens omnemque modum excedens, quod affectant Stoici et Gymnosophistae, justa reprehensione stultitiae atque nescio cuius in alios iniquitatis non caret? Nam, ut ait Cic. Tusc. 4, 25: *Studia vel optimarum rerum sedata tamen et tranquilla esse debent*.» — *I nunc*] «Quod si, quae dixi vv. 9—16., tute concedes, aliter fieri non potest, quam ut tuum iudicium de bonis externis (quod quale sit ex te quaesivi vv. 5—8:) in hunc modum aperias, stulti profecto esse pro finibus bonorum habere ea, quae prima esse plerique mortales ducunt.» — *argentum*] factum, in primis caelatum. — *marmor vetus*] anaglypha et statuas ab insignibus meliorum temporum a Pericle ad Alexandrum M. artificibus confectas. — *aera*] vasa praesertim Corinthia. — *artes*] cetera artificum opera illustria, (ut Od. 4, 8, 2.) quo voc. significat etiam tabulas pictas. — *gemmis*] Complectitur et lapides pretiosos, maxime vel incisos vel anaglyphos, et uniones. — *Tyrios*] «vestem stragulam purpuream, dibapha.»

19—23. *Gaude*] Duplicem modum iam significat, quo quis bona illa vv. 17. 18. enumerata sibi parare queat, primum eloquentiam, qua ad honores lucrum afferentes perveniat, deinde negotia forensia; «agas licet vel cenidicum, vel feneratorem ad Ianum medium.» — Iam plerique homines negotiis gestis sub meridiem domum redisse videntur: hic vero lucri praeter modum cupidus vesperi demum domum redire iubetur. Quo tandem consilio? Videlicet ut etiam foro relicto per domos privatas emendo, vendendo, conducendo aliquid quaestum faciat.

**Ne plus frumenti dotalibus emetat agris**
**Mutus et, indignum, quod sit peioribus ortus,**
**Hic tibi sit potius quam tu mirabilis illi.**
**Quidquid sub terra est, in apricum proferet aetas,**
**Defodiet condetque nitentia. Cum bene notum**
**Porticus Agrippae et via te conspexerit Appi,**
**Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus.**
**Si latus aut renes morbo tentantur acuto,**
**Quaere fugam morbi: vis recte vivere: quis non?**

— *Ne plus*] »Naviter corripe undique pecunias, ne Mutus ille, cui invides, ditior sit te, cum partim opes suas non assiduitati neque sollertiae, sed tantummodo coniugis doti, id est, caeco casui, debeat, partim, (de qua re iure indignaris) tenuiore loco sit ortus.» — *Mutus*] homo ignotus; fictum esse nomen non credo. *P. Albvtivs P. F. Mvtvs* est apud Grut. 302, 1. — *emetat*] ἄπαξ λεγόμενον· «metat ex agris.» — *indignum*] ut alibi *mirum*, *malum*, *nefas*, per exclamationem. — *mirabilis*] ζηλωτός, «dignus quem admirere.» Respicit ad v. 1: *Nil admirari.*

24 — 27. *Quidquid*] Nexus: «Verum in hoc immoderato lucri studio, hoc quoque solent oblivisci plerique, fluxa et caduca omnia esse, quae volgus pro summis bonis habet. Atque ut continuo novae hominum aetates oriuntur et ex terrae sinu novae semper opes effodiuntur, sic qui nunc vivunt, mox occident, quae nunc splendent et magnifica ducuntur, brevi obscurabuntur ac peribunt. Hoc tu nunquam obliviscere, ut a morbo illa opes corradendi liber maneas. Moriendum tibi est, etsi aequales tui te vel maxime suspexerint.» — *Porticus Agrippae*] Porticus Neptuni s. Argonautarum a M. Agrippa a. u. c. 729. exaedificata et picturis rerum ab Argonautis gestarum exornata. (Dio Cass. 53, 27.) Sub hac frequenter deambulabant Romani. — *via Appi*] Epod. 4, 14. Sat. 1, 5, 6. Frequentabatur semper a divitibus in villas suas per Campaniam sitas commeantibus. — *Numa* et *Ancus* ii inter Reges, quorum cara Romanis nomina velut in proverbium abierant.

28. 29. Nexus: «Nihilominus, etsi scimus *mortem* nobis instare, tamen natura sic iubente *vivendi* finem aliquem singuli mortales sibi constituant necesse est. Iam in corporis quidem sanitate tuenda universi uno consensu hoc praeceptum sequuntur: «Morbo ubi tentaris, statim quaere medicinam!» Similiter omnes dicunt se *recte*, id est, naturae convenienter, ac propterea beate vivere velle. At in hac vita beata quaerenda,

Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis
Hoc age deliciis. Virtutem verba putas et
Lucum ligna: cave ne portus occupet alter,
Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas;
Mille talenta rotundentur, totidem altera, porro et
Tertia succedant et quae pars quadret acervum.
Scilicet uxorem cum dote fidemque et amicos
Et genus et formam regina Pecunia donat,
Ac bene nummatum decorat Suadela Venusque.
Mancipiis locuples eget aeris Cappadocum rex:

v. 31. *putas*, *ut* Lamb. Schmid.

non, ut in valetudine sustentanda, una ac simplici ratione utuntur, sed ambiguut de vero fine bonorum et unus quisque pro sua indole proprium sibi statuit, vel virtutem (v. 29.) vel divitias (vv. 31—48.) vel honores et gratiam popularem (vv. 49—55.) vel victum quam lautissimum (vv. 56—64.) vel tandem amores (vv. 65—67.). Iam quis inter tot hos fines praestet, equidem non definio, sed hoc unum contendo, certum aliquem finem, quem impensa opera persequamur, eligendum esse, ne, dum modo hic, modo ille mentis oculis obversatur, velut caeci erremus neque ad ullum unquam perveniamus. Electio autem illa res est tranquillae meditationis ac firmi propositi.» — *latus aut renes*] πλευρῖτις καὶ νεφρῖτις. Idem versiculus est Sat. 2, 3, 163.

30—32. — *omissis - deliciis*] μὴ θρύπτου. «Renuntiandum est voluptatibus haremque desiderio occulto; nec unquam lamentandum, duram vivendi rationem a te electam esse.» — *Hoc age*] «uni virtuti fortiter stude.» Vide ad Sat. 2, 3, 54. — *Virtutem*] «Quodsi contra, quae de virtute disputantur aStoicis, inania verba putas, ut lucorum religionem multi contemnunt, eosque nihil nisi arbores putant non numini alicui sacratas, sed hominum usui destinatas, huic rursus rationi convenienter vive; ergo quaere tibi opes negotiatione et mercatura.» — *verba*] Ultima Bruti vox apud Dionem 47, 49: Ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθ'. ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν· σὺ δ' ἄδουλευες τύχῃ. — *occupet*] *occupare*, φθάνειν, praeoccupare; Od. 2, 12, 28. Liv. 1, 14: *bellum facere occupant*.

33—35. *Ne Cibyratica*] «Simul ac mare apertum est aliqs praeveniens naviga Cibyram magnam, (urbem Phrygiae magnae, propter ferramenta celebratam:) atque in Bithyniam, quo ante aemulos ap-

Ne fueris hic tu. Chlamydes Lucullus, ut aiunt,
Si posset centum scenae praebere rogatus,
Qui possum tot? ait: tamen et quaeram et quot habebo
Mittam: post paullo scribit sibi milia quinque
Esse domi chlamydum; partem vel tolleret omnes.
Exilis domus est, ubi non et multa supersunt
Et dominum fallunt et prosunt furibus. Ergo,
Si res sola potest facere et servare beatum,
Hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas.
Si fortunatum species et gratia praestat,
Mercemur servum, qui dictet nomina, laevum

pulsus optimas quasque merces pretio quam minimo coëmas. Illud vero ante omnia tibi propositum sit, ut mille talenta cet. acquiras.» — *rotundentur*] «compleantur.» Omne enim quod rotundum est, ab omni parte est perfectum. — *succedant*] «ad duo priora paullatim accedant.» — *quadret*] «efficiat, ut quattuor milia talenta possideas.»

37. 38. *regina Pecunia*] eadem imagine, qua apud Cic. de Or. 2, 44. poëta: *flexanima atque omnium regina rerum oratio.* — *Suadela*] *Πειθώ*, Ennio *Suada* (Cic. Brut. 15.), persuadendi dea Quintil. 10, 1, 82. — *Venus*] hic pro venustate et gratia. Plin. 35, 10: *omnibus - - deesse eam Venerem, quam Graeci χάριτα vocant.*

39—44. *Cappadocum rex*] Quo tempore haec Epistola scripta est, regnabat ultimus, Archelaus (a. u. c. 718—771.) Iam de eius decessore Ariobarzane scribit Cicero (a. u. c. 704.) ad Att. 6, 1: *Nihil illo regno spoliatius, nihil rege egentius.* Ib. Ep. 3: *Ariobarzanes, rex perpauper*: cui inopiae ita reges illi medebantur, ut *mancipia* sua, id est, homines glebae adscriptos, venum darent. — *Ne fueris*] «Tu noli tam pauper esse quam Cappadocum regulus: ergo quovis modo rem quaere: et bellum habes opum exemplum, L. Lucullum dico.» — *scenae*] cum splendidam aliquam pompam vel triumphum in tragoedia histriones imitarentur. Cfr. Epp. 2, 1, 190. — *praebere*] «commodare,» ut solebant etiam iis, qui munera gladiatoria edebant, amici suppeditare statuas aliaque circi ornamenta. — *tolleret*] *στρατηγὸς* Plutarchi Luc. 39. praetor, qui spectaculum edebat.

49 — 51. *species et gratia*] «splendor externus (latus clavus, sella curulis, fasces) et aura popularis.» — *servum*] nomenclatorem, cuius erat ediscere nomina singulorum prope civium, quo, si prensabat dominus, unum quemque

**Qui fodicet latus et cogat trans pondera dextram**
**Porrigere. Hic multum in Fabia valet, ille Velina;**
**Cui libet hic fasces dabit eripietque curule**
**Cui volet importunus ebur. Frater, Pater, adde;**
**Ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta.** 55
**Si, bene qui coenat, bene vivit; lucet, eamus**
**Quo ducet gula, piscemur, venemur, ut olim**
**Gargilius, qui mane plagas, venabula, servos,**
**Differtum transire forum populumque iubebat,**

v. 93. *is fasces* Fea, Schmid. v. 57. *ducit* Cruq. Bentl.

nomine appellare posset, postquam servus hoc ei *dictasset*, eius auri insurrasset. — *Laevum - - latus*] quod nomenclator hero tegebat; *fodicare* autem (id est, saepe et acriter fodere, pungere, vellicare) solebant latus, quo signo attentos redderent de aliqua re monendos, h. l. ut salutarent hunc vel illum hominem de plebecula. — *trans pondera*] «Propola in taberna sedens ante se habet positam trutinam ac *pondera*, ad quae merces suas, oleum, piper, thus, salgama, cetera adventoribus vendit. Iam qui honores non captat, transit ne intuens quidem infimae sortis hominem; ambitiosus a sedulo nomenclatore iubetur ei trans sordidum istum apparatum ponderum ac mensurarum dexteram aeque comiter porrigere, ac si familiaris esset, sperans fore, ut eius suffragium sibi conciliet.»

52—55. *Fabia - - Velina*] duae ex XXXV. tribubus Romanis, de quibus vide Inscr. m. Lat. II. p. 11. «Homo igitur gratiosus suffragia tribulium suorum tibi conciliabit;» vel, ut aiebant: «tribum suam tibi conficiet.» — *Cui libet*] divise: «dabit ei, cui dare ipsi placet;» non iunctim *cuilibet*, «primo cuique.» — *hic fasces*] Est utique tertius aliquis plebeius. — *importunus*] «propter morositatem incommodus et inexorabilis.» *Trotzkopf.* — *curule - ebur*] sellam curulem, consulatum. — *Frater, pater*] *fratres* per blanditiam interdum appellabant homines aetate sibi aequales, *patres* seniores. — *facetus*] «blande et comiter,» *mit Artigkeit*. Voss. — *adopta*] Sic primum quemque tamquam cognatum salutando sibi conciliare festive vocat *adoptare*.

56 — 59. *lucet*] Prima enim luce venatum ibant. — *Gargilius*] «Quodsi nobis mollioribus nimis molesta est vera venatio, imitemur saltem Gargilium illum, qui eam simulare solitus feras emebat confectas ab aliis, quibuscum constituerat, ut sibi extra portam praestolarentur.» —

Unus ut e multis populo spectante referret
Emptum mulus aprum. Crudi tumidique lavemur,
Quid deceat, quid non, obliti, Caerite cera
Digni, remigium vitiosum Ithacensis Ulixi,
Cui potior patria fuit interdicta voluptas.
Si, Mimnermus uti censet, sine amore iocisque
Nil est iucundum, vivas in amore iocisque.
Vive, vale. Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

*Differtum - forum populumque*] «forum differtum populo:» Iuvenis vanissimus sollertis ac divitis venatoris speciem apud populum captans cum magno numero servorum, mulorum, retium, venabulorum venatum ibat. Aliunde notus non est.

61—64. *crudi tumidique*] Saepe cibo nondum concocto, gulosi in balneum descendebant, quo rursus famem sibi excitarent; cuius stultitiae tamen haud raro subita morte poenas luebant. Eundem in morem invehuntur Pers. 3, 98. Iuven. 1, 142: *Poena tamen praesens, cum tu deponis amictus Turgidus et crudum pavonem in balnea portas; Hinc subitae mortes atque intestata senectus.* — *Caerite cera*] Gell. 16, 13: *Primos municipes sine suffragii iure Caerites* (incolas oppidi Caere in Etruria a. u. c. 365.) *esse factos accepimus, concessumque illis, ut civitatis Romanae honorem quidem caperent, sed negotiis tamen atque oneribus vacarent, pro sacris bello Gallico receptis custoditisque; hinc tabulas Caerites* (Horatii *Caeres cera*) *appellatae versa vice, in quas censores referri iubebant, quos notas causa suffragiis privabant.* — *interdicta voluptas*] ab Ulixe, cum Solis boves immolarunt. Odyss. λ, 271.

65—68. *Mimnermus*] Colophonius, poëta elegiacus, qui Solonis aetate floruit. Fragm. Ed. Bach. p. 27: *Τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσέης Ἀφροδίτης; Τεθναίην, ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλοι, Κρυπταδίη φιλότης καὶ μείλιχα δῶρα καὶ εὐνή.* — *istis*] hic quoque vim suam secundae personae inservientem servat: «his, quae tu nunc ipsum legis.» — *Candidus*] «simplici ac sincero animo.»

# EPISTOLA VII.

## AD MAECENATEM.

**Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum,**
**Sextilem totum mendax desideror. Atqui**
**Si me vivere vis sanum recteque valentem,**

VII. v. 3. *vis recteque videre valentem* Fea, Mein.

VII. Maecenas, qui poëtae consuetudine nunquam non admodum delectaretur, cum aliquando Horatius, etsi pollicitus intra paucos dies se rediturum, diutius urbe abesset, id aegre tulisse videtur. Iam igitur poëta (circiter a. u. c. 731.) hanc epistolam (sane antequam ederetur cum illo communicatam) scripsit, qua et hanc absentiam excusaret et omnino libere eloqueretur, qua ratione a maiore amico sese tractari vellet. Scripsit autem hanc Epistolam ideo quoque, ut etiam aequalibus suis, atque in primis obtrectatoribus, qui eum pro Maecenatis parasito habebant, clare demonstraret, quae sibi necessitudo cum illo intercederet, libertati etiam philosopho dignae minime officiens.

2—6. *Sextilem*] Anno demum u. c. 746. hic mensis *Augustus* nominatus est. Dio Cass. 55, 6. — *Atqui*] *καίτοι*. «Confiteor: attamen, cum hoc sic se habeat, dabis cet. — *Si me*] Nostra lectio sermonis quotidiani formula est reperiturque etiam Epp. 1, 16, 21. Plauti Trin. 1, 2, 14: *Bene hercle est illam tibi bene valere et vivere.* Ter. Heaut. 3, 1, 21: *Valet atque vivit.* — *veniam*] «ut absim hoc mense, quo calores austrini (Virg. Ge. 2, 270. *lo Scirocco:*) in causa sunt, ut multi homines moriantur, quocirca ubique in funebres pompas incurrimus.» — *ficus prima*] Puto eas esse, quae ab Italis *fichi fiori* appellantur et, si immodice assumantur, facile febres gignunt, posteriores fructus fici biferae cum sint salubberrimi. — *Designatores (Leichenbestatter)* mancipes erant et ordinatores funerum, qui pro certa mercede funera curabant adiuti ab administris atratis s. pullatis, libitinariis minoribus. Tab. Heracl. ed. Marezoll. p. 53: *neve eum, qui praeconium, dissignationem* (sic) *libitinamve faxit, decemvirum renuntiato. Decorat* autem nescio quid faceti ha-

Quam mihi das aegro, dabis aegrotare timenti,
Maecenas, veniam, dum ficus prima calorque
Designatorem decorat lictoribus atris,
Dum pueris omnis pater et matercula pallet,
Officiosaque sedulitas et opella forensis
Adducit febres et testamenta resignat.
Quodsi bruma nives Albanis illinet agris,
Ad mare descendet vates tuus et sibi parcet
Contractusque leget; te, dulcis amice, reviset
Cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima.
Non quo more pyris vesci Calaber iubet hospes,

bet pro *stipat*, itemque *lictoribus* pro *apparitoribus*.

8. 9. *sedulitas*] «in patronis salutandis atque in Forum deducendis, in ceteris amicis, in primis cubantibus, frequenter visendis» cet. — *opella*] «quotidiana negotia, quibus in Foro dumtaxat vacare possumus, tamquam advocati, sponsores.» — *resignat*] «facit, ut coram testibus aperiri debeant, cum, qui scripserunt, mortem obierint.»

10 — 13. *Quodsi*] H. l. temporis condicio. Sat. 2, 3, 10. Aen. 5, 64: *Praeterea si nona diem mortalibus almum Aurora extulerit.* — *illinet*] Primam hiemem significat, ubi montes Albani iam nive asperguntur. Cic. de Div. 1, 11: *tumulos Albano in monte nivales.* — *ad mare*] in oppidum aliquod maritimum, Veliam, Salernum (Epp. 1, 15.) vel etiam Ostiam. — Intimae amicitiae significatio inest in vv. *vates tuus*, ut Od. 2, 6, 24: *vatis amici;* id quod non intellexerunt, qui in hac Epistola satis acrem Horatii cum Maecenate expostulationem repperisse sibi visi sunt. — *Contractusque leget*] «Omne, etiam levissimum frigus, quod quam molestum mihi sit, probe nosti, vitaturus, vestibus involutus me quantum potero, dum commode lego, contraham atque incurvabo.» *Contractus* ergo est *zusammengekauert, eng zusammengeschmiegt* (Voss.) ut Sat. 2, 7, 60: *Contractum genibus - caput.* — *hirundine prima*] Circa diem XX. mensis Februarii. Ab hirundine autem saepe ver designatur. Hesiod. O. et D. 566. Cic. ad Att. 10, 2: λαλαγεῦσα *iam adest:* (unde mare mox erit apertum.) — Ergo minimum septem menses ab Urbe afuturus erat Horatius.

14 — 18. *Non*] «Iam minime aegre tu feres absentiam meam, ubi scieris, ideo tantummodo me abesse ab Urbe, ut sanitati tuendae

**Tu me fecisti locupletem. Vescere sodes.**
**Iam satis est. At tu quantum vis tolle. Benigne.**
**Non invisa feres pueris munuscula parvis.**
**Tam teneor dono, quam si dimittar onustus.**
**Ut libet; haec porcis hodie comedenda relinquis.**
**Prodigus et stultus donat, quae spernit et odit;**
**Haec seges ingratos tulit et feret omnibus annis.**
**Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus,**

v. 19. *relinques* Codd. multi. Bentl.

operam dem. Hoc igitur pro amicitia tua libenti animo mihi concedes existimans novum hoc fore beneficium in me collatum, par. atique illis, quibus tam liberaliter me ante affecisti, cum id semper spectares, ne dona tua quocunque modo unquam mihi onerosa fierent: nam profecto tu nequaquam similis es Calabrorum illorum, virorum sane bonorum, sed politioris vitae ignarorum cet.» — *Benigne*] *!* Gratias agens urbane donum hospes recusat. Similiter Aristoph. Ran. 509: *ΘΕ. δεῦρ' εἴσιθι. ΞΑΝ. Κάλλιστ', ἐπαινῶ· -- ΘΕ. Ἀλλ' εἴσιθι ἄμ' ἐμοί. ΞΑΝ. πάνυ καλῶς.* — *Tam teneor*] «Tam obligatus tibi sum *dono*, quod offers, quam si eodem onustus domum redirem.»

20 — 23. *donat*] «abiicit velut in barathrum ea, quae ipse fastidit.» Sen. Ep. 120: *Multi sunt, qui non donant, sed proiiciunt.* — *seges*] Proverbii speciem habet illud M. Pinarii apud Cic. de Or. 2, 65: *Ut sementim feceris, ita metes.* — *ait esse paratus*] Graeca constructio (*ὁ ἀγαθὸς καὶ φρόνιμος τοῖς ἀξίοις φησὶν εἶναι ἕτοιμος*·) haud rara apud poëtas Latinos post verba affirmandi et sentiendi: Od. 3, 27, 67: *Uxor invicti Iovis esse nescis.* Catull. 4, 2: *Phaselus ille Ait fuisse navium celerrimus.* Virg. Aen. 2, 377: *sensit medios delapsus in hostes.* Etiam apud Tacitum Hist. 4, 55: *ipse hostis populi Ro. quam socius iactabat.* — *dignis*] ut saepe, absolute. Laberius apud Gell. 17, 14: *Beneficium dando accepit, qui digno dedit:* et quidem dativ. de personis, non, ut alii opinantur, ablativ.: «ad ea donanda paratus, quae digna et se et amico sint.» Est igitur: «Ait se esse promptum ad beneficia impertienda hominibus talia merentibus et *tamen*, quantumvis *bonus* et beneficus sit, propter id ipsum quod *sapiens* est, eodem tempore minime ignorat, quemadmodum ignorare solent stulte benefici, *quid distent*, ut aiunt, *aera lupinis*, id est, dignos ab indignis prudenter distinguit; illos sublevat et honorat, hos despicit ac sine donis dimittit.» — *aera lupinis*] Proverbium ortum

**Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis:**
**Dignum praestabo me etiam pro laude merentis.**
**Quodsi me noles usquam discedere, reddes**
**Forte latus, nigros angusta fronte capillos,**
**Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum et**
**Inter vina fugam Cinarae maerere protervae.**
**Forte per angustam tennis volpecula rimam**
**Repserat in cumeram frumenti, pastaque rursus**

v. 29. *nitedula* Bentl. coni.

ex comparatione pecuniae et lupinorum, quibus quasi fictitia pecunia utebantur et aleatores et histriones in scena. Plaut. Poen. 3, 2, 20: Ag. *Agite, inspicite; aurum est.* Coll. *Profecto, spectatores, comicum: Macerato hoc pingues fiunt auro in barbaria boves.*

24. *Dignum*] Constructio videtur expedienda ad normam loci Lucretiani 5, 1: *dignum - - carmen Condere prorerum maiestate hisque repertis;* ut sit *gemäss dem Werthe, dem Verdienste;* «Ergo etiam me talem praestabo, qualem requirit laus bene de me merentis, id est, laus et virtus tua.»

25—28. *usquam*] «in quemcunque locum extra Urbem.» — *Forte latus*] *patiens laboris* (Quintil. Prooem, 27.), quod requiritur ad Urbis plateas percurrendas, colles eius ascendendos cet. *(starke, gesunde Brust.)* — *angusta*] *Tenuis* (Od, 1, 33, 5.) *brevis* (Martial. 4, 42, 9.) *frons* pro pulchra habebatur. Tunc autem, *praecanus* cum esset (Epp. 1, 20, 24.) frons calvitio dilatata erat. — *dulce loqui*] cum puellis, quarum ex numero *bona* illa Cinara (Od. 4, 1, 3.) ioci causa aliquando inter potandum subita fuga capta eum deseruerat. — Iunge: *fugam inter vina*, non cum aliis: *maerere inter vina.*

29—33. *Forte*] «Iam vero quoniam fieri nequit, ut pristinae vires mihi redeant, liberum certe me esse cupio.» — *volpecula*] Ingeniose sane Bentl. coniecit *nitedula (Haselmaus)*, maxime, quia volpes frumento non vescitur. Eum autem secuti sunt recentiores omnes praeter Schmidium, qui sapienter aurem praebuit Iacobsio (Lectt. Venus. p. 99.) docenti, antiquissimos apologorum inventores probabilitatis externae vel dicam physicae longe minorem rationem habuisse quam doctrinae, quam per huiusmodi involucra popularibus suis tradere vellent: sic in eorum fabellis leonem, bovem, capram una venatum ire, oves glandibus et pastorum pannis, leones ferina assa vesci, montem parturire, nasci murem ac similia. — *cumeram*] Vide Sat. 1, 1, 53. —

Ire foras pleno tendebat corpore frustra;
Cui mustela procul, Si vis, ait, effugere istinc,
Macra cavum repetes artum, quem macra subisti.
Hac ego si compellor imagine, cuncta resigno;
Nec somnum plebis laudo satur altilium nec
Otia divitiis Arabum liberrima muto.
Saepe verecundum laudasti, rexque paterque
Audisti coram, nec verbo parcius absens:
Inspice, si possum donata reponere laetus.
Haud male Telemachus, proles patientis Ulixei:

*procul*] de quovis intervallo, etiam exiguo, ut Sat. 2, 7, 105. Virg. Ecl. 6, 16. Aen. 10, 834. — *cavum - quem*] Sat. 6, 2, 116.

34. 35. *compellor*] ut Sat. 2, 3, 296. «increpor; si ad me applicari potest.» — *resigno*] Vide Od. 3, 29, 53. «Omnia reddo.» Hoc igitur dicit: «Quodsi re vera in me quoque quadrat imago volpeculae illius avidae atque inconsultae, neque aliter libertatem recuperare possum nisi omnibus, quae dono accepi, renuntiando, hoc ultro faciam; nec hoc nimis difficile mihi erit; nam» cet. — *altilium*] «Nam non tum demum, cum satur sum glirium, leporum, tardorum, altagenum, dicis causa laudare soleo simplicem rusticorum vitam, sed deliciis illis quotidie carere possum, nunquam eas desideraturus.»

37 — 39. *verecundum*] Od. 2, 18, 12: *nec potentem amicum Largiora flagito, Satis beatus unicis Sabinis.* — *rex*] Reges suos nominare humiliores solebant amicos nobiles ac locupletes. Epp. 1, 17, 20. Martial. 2, 18, 8: *Qui rex est, regem, Maxime, non habeat.* — *pater*] Sic sine ridiculi specie tunc Horatius appellare poterat Maecenatem tribus quattuorve annis natu maiorem. — *Inspice, si possum*] «Agedum experire, annon possim» cet. Indicativus certum accepta restituendi propositum exprimit, et frequenter sic Comici. Ter. Phorm. 3, 3, 30: *Vide opis si quid potes afferre huic.* — *reponere*] Plaut. Pers. 1, 1, 38: *Ut mihi des nummos sexcentos; - - Quos continuo tibi reponam in hoc triduo aut quatriduo.*

40 — 43. *Telemachus*] Odyss. δ, 601 — 607: Ἵππους δ' εἰς Ἰθάκην οὐκ ἄξομαι, ἀλλά σοι αὐτῷ Ἐνδάδε λείψω ἀγαλμα· Σὺ γὰρ πεδίοιο ἀνάσσεις Εὐρέος - - Ἐν δ' Ἰθάκῃ οὔτ' ἄρ δρόμοι εὐρέες, οὔτε τι λειμών· Αἰγίβοτος, καὶ μᾶλλον ἐπήρατος ἱπποβότοιο. — *patientis*] Est Homericum πολύ-

Non est aptus equis Ithace locus, ut neque planis
Porrectus spatiis nec multae prodigus herbae:
Atride, magis apta tibi tua dona relinquam.
Parvum parva decent: mihi iam non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet aut imbelle Tarentum.
Strenuus et fortis causisque Philippus agendis
Clarus, ab officiis octavam circiter horam
Dum redit atque Foro nimium distare Carinas
Iam grandis natu queritur, conspexit, ut aiunt,
Adrasum quendam vacua tonsoris in umbra

v. 41. *Ithacae* Libri plerique. Lamb. v. 50. *Abrasum* Fea e Codd.

τλας, ταλασίφρων, epitheton herois perpetuum, cui male substituerunt nonnulli *sapientis*, cuius laudis hic nullae sunt partes. — *Ithace*] Nominativus Graecus aptior est h. l. propter iuncturam cum vv. *locus* - *porrectus* quam gen. Lat. — *Porrectus*] Sic Caesar B. G. 2, 19: *porrecta ac loca aperta*. — *tibi*] refertur et ad v. *apta* et ad v. *relinquam*.

44. 45. *regia Roma*] cfr. Od. 4, 3, 13. et 14, 44. — *vacuum*] «non frequens et populosum, sed propter hoc ipsum liberum a strepitu Urbis studiisque meis aptum.» — *imbelle*] «ubi omnia tranquilla sunt et placata.» Sat. 2, 4, 34. *molle T.* Iuven. 6, 296: *Miletos Atque coronatum et petulans madidumque Tarentum.*

46 — 51. *Philippus*] Haec narratiuncula ita cum praecedentibus connectitur, ut Volteii exemplo satis lepido demonstret virum prudentem, ubi casu aliquo collocetur in statu suae condicioni atque ingenio minus conveniente, etiam cum non levi iactura ex eo sese extricaturum esse, quo magis sibi aptum occupet. — Confundunt nonnulli interpretes L. Marcium Philippum filium cos. a. u. c. 698., qui fuit vitricus Augusti, cum eius patre cognomine cos. a. u. c. 663., de quo loquitur Horatius. — *fortis*] Optime eius indolem adumbrat his verbis Cic. de Orat. 3, 1: *homini vehementi et diserto et in primis forti ad resistendum Philippo.* — *Strenuus*] igitur «semper in causis agendis occupatus;» *fortis*, animosus et validus ad resistendum adversariis, potius quam in re militari. — *octavam*] nobis inter secundam et tertiam pomeridianam. — *Carinae*, vicus celeber Romae in regione IV., ubi templum fuit Telluris, aedes Iunonis Sororiae, domus Q. Ciceronis, Pompeii, aliorumque principum civium. — *adrasum*] *angeschoren* Voss. «praetonsum.» Schol., recens rasum, et, quod ad capillos

**Cultello proprios purgantem leniter ungues.**
**Demetri, puer hic non laeve iussa Philippi**
**Accipiebat, abi, quaere et refer, unde domo, quis,**
**Cuius fortunae, quo sit patre quove patrono.**
**It, redit et narrat, Volteium nomine Menam,** 55
**Praeconem, tenui censu, sine crimine, notum;**
**Et properare loco et cessare et quaerere et uti**
**Gaudentem parvisque sodalibus et lare certo**

v. 56. *sine crimine notum*, *Et* Plerique. *sine crimine*, *notum Et* Schmid. *sine crimine natum*, *Et* Bentl. e Codd.

attinebat, *attonsum*; de barba enim et de capillitio intelligendum puto, ex quo aliquantum curtato statim perspiciebat Philippus adventorem esse, non tonsorem ipsum, quem alloqui dignatus vix esset. Petr. 32: *Trimalchio pallio coccineo adrasum* (recens rasum) *excluserat caput*. — *vacua*] Finge tibi tonstrinam Romanam a fronte prorsus apertam, superne et a postica parte atque a lateribus centonibus vel sipariis adversus solem tectam. *Vacua* autem, quia illa diei hora ceteri adventores barbam et capillos tondendos iamdudum curarant; hic otiosus nondum. In tonstrinis autem Romae etiamnunc convenire solent homines plebeii. Cfr. Sat. 1, 7, 3. — *proprios*] «ipsum sibi, non per tonsorem,» qui tum aliquo abisse censendus est, unde non habebat quocum sermocinaretur Menas. Contra Plaut. Aul. 2, 4, 33: *Quin ipsi pridem tonsor ungues dempserat*. — *leniter*] tranquillo animo et sine ulla festinatione, *gemächlich*.

52—56. *Demetri*] Iam hominis cum pigritia quadam sua sorte contenti voltus habitusque excitat Philippum, ut iocum sibi paret, non propter nescio quam invidiam aut malitiam, sed propter meram εὐτραπελίαν. — *non laeve*] «sed dexterrime, *(docte et cordate et cate*, ut ait Plautus Poen. 1, 1, 3.) *accipiebat*, id est excipere et celeriter exsequi solebat.» — *domo*] Sic saepe in Inscriptt. Lat. *Domo Pervsia* cet. Interrogari igitur iubet, «quae eius patria sit, (*quis*,) quod nomen, quae res domestica et condicio, ingenuusne an libertus?» — *Menam*] frequens servorum ac libertorum nomen populariter corruptum maxime in dialecto Alexandrina, ut *Demas*, *Apollos*, *Lucas*, ex nom. Menodorus, Demodorus, Apollodorus, Lucanus. Igitur ex hoc uno nomine Philippus colligebat sibi cum liberto Volteii alicuius rem fore. Liberti autem ex usu Romanorum *patre nullo*, *sine patre certo* nati erant: quapropter non respondet quaestioni *quo patre* v. 54. — Verbis *cuius fortunae* respondet v. *praeconem*, *Stadtaus-*

Et ludis et post decisa negotia Campo.
Scitari libet ex ipso, quodcunque refers; dic
Ad coenam veniat. Non sane credere Mena,
Mirari secum tacitus. Quid multa? Benigne,
Respondet. Neget ille mihi? Negat improbus et te
Neglegit aut horret. Volteium mane Philippus
Villa vendentem tunicato scruta popello
Occupat et salvere iubet prior. Ille Philippo
Excusare laborem et mercenaria vincla,
Quod non mane domum venisset, denique, quod non

*rufer* Voss. Cfr. v. 65. — *sine crimine*] *unbescholten.* — *notum*] absolute ponitur: «notum inter homines eiusdem condicionis, ita ut ex horum quolibet de moribus et indole sua sciscitari liceat;» tum pergit: «*se et properare loco*» cet.

57—59. *Et properare*] «et se modo negotiis sedulo vacare victumque quaerere, modo uti quaesitis, atque otiari, et quidem suo horum quidque *loco*, apto tempore, ἐν καιρῷ.» — *parvis*] «tenui censu, ut ipse sit.» Ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει. — *lare certo*] «sed tamen se coniugem et domum vel propriam vel conductam habere, non in coenaculo dumtaxat habitare.» — *post decisa*] «cum transacta sint negotia etiam praeconum, id est circiter horam octavam.» In campum autem Martium tunc ipsum iturus erat, ut pila luderet vel ludentes spectaret.

62. 63. *Mirari*] utpote qui nunquam in talem domum ad coenam vocatus esset. — *Benigne*] ut v. 10. — *Neget*] Coniunct. hoc significat: «Potestne fieri, ut» cet. — *improbus*] «pervicax, *frech*, *der Trotzkopf*.»

65—70. *vendentem*] Tamquam praeco auctionem faciebat vilium mercium, quae aliorum erant. — *tunicato*] Opifices, tabernarii omninoque pauperiores tunica tantummodo, non toga, induti erant. — *scruta*] «quas volgus *grutas* vocat.» Comm. Cr.; unde clarius etiam elucet vocabuli Latini cognatio cum Gr. ἡ γρύτη. Lucilius apud Gell. 3, 14: *Quidni? et scruta quidem ut vendat Scrutariu' laudat, Praefractam strigilem, soleam improbu' dimidiatam.* — *Occupat*] φθάνει προσαγορεύων. — *salvere iubet*] Cic. ad Att. 4, 14: *Dionysium iube salvere;* etiam absolute. Ter. Andr. 3, 3, 1: *Iubeo Chremetem.* — *Excusare laborem*] Nobis: «excusare se propter laborem:» sed illud frequens in consuetudine Latina. Cic. Phil. 9, 4: *excusare morbum.* — *mercenaria vincla*] «necessitatem auctionibus operam dandi, pro qua opera certam mercedem accipiebat ab iis,

Providisset eum. Sic ignovisse putato
Me tibi, si coenas hodie mecum. Ut libet. Ergo
Post nonam venies; nunc i, rem strenuus auge.
Ut ventum ad coenam est, dicenda tacenda locutus
Tandem dormitum dimittitur. Hic ubi saepe
Occultum visus decurrere piscis ad hamum,
Mane cliens et iam certus conviva, iubetur
Rura suburbana indictis comes ire Latinis.
Impositus mannis arvum caelumque Sabinum
Non cessat laudare. Videt ridetque Philippus,
Et, sibi dum requiem, dum risus undique quaerit,
Dum septem donat sestertia, mutua septem
Promittit, persuadet uti mercetur agellum.
Mercatur. Ne te longis ambagibus ultra

qui auctionabantur.» Sat. 1, 6, 87. — *Providisset*] «prius eum vidisset ac salutasset.» Plaut. Asin. 2, 4, 44: *Non hercle te provideram. Quaeso, ne vitio vortas.* — *ut libet*] Diversa signif. a v. 19. H. l. «ut iubes.»

72 — 76. *dicenda tacenda*] «ut bene potus, quaecunque in buccam ei venerant.» Dictum est, ut *fanda nefanda, honesta inhonesta, ῥητὰ καὶ ἄῤῥητα.* Virg. Aen. 9, 594: *digna atque indigna relatu Vociferans.* Voss: *schwatzt er mit Schick und mit Unschick.* — *piscis*] «ut piscis»; omissa ut saepe comparationis particula. — *cliens*] «Quotidie patronum salutatum veniebat, eum in forum deducebat, et quotidianus prope conviva fiebat.» — *suburbana*] h. l. in agro Sabino. — *indictis--Latinis*] Feriae Latinae non statae erant, sed conceptivae et quotannis indicebantur a consule. Macrob. Sat. 1, 16. Suet. Claud. 4. Iam cum per quatriduum iustitium esset, patroni causarum et quicunque civilibus negotiis implicatus erat, otiandi causa, comitibus aliquot secum eductis, rusticabatur. Sic feriis Latinis a Cicerone finguntur habiti in Scipionis minoris hortis sermones de re publica.

77—85. *Impositus mannis*] «cisio vel rhedae, cui iuncti erant manni» (est animal hybridum ex equo et asina natum.) — *requiem*] «dum sibi *undique*, quoquo modo, oblectationem ac recreationem a forensibus negotiis parat.» — *Dum septem*] «eo quod Menae donat dimidiam partem pretii, quo agellus emeretur, alteram mutuam dat,

Quam satis est morer, ex nitido fit rusticus atque
Sulcos et vineta crepat mera, praeparat ulmos,
Immoritur studiis et amore senescit habendi.
Verum ubi oves furto, morbo periere capellae,
Spem mentita seges, bos est enectus arando,
Offensus damnis media de nocte caballum
Arripit iratusque Philippi tendit ad aedes.
Quem simul adspexit scabrum intonsumque Philippus,
Durus, ait, Voltei, nimis attentusque videris
Esse mihi. Pol me miserum, patrone, vocares,
Si velles, inquit, verum mihi ponere nomen.
Quod te per Genium dextramque deosque Penates
Obsecro et obtestor, vitae me redde priori.
Qui semel adspexit, quantum dimissa petitis

ei persuadet» cet. *Septem* autem *milia* H. S. efficiunt 371. Thaleros Saxonicos s. 668. Floren. Rhen. s. 971. Franc. Helvet. — *crepat mera*] «semper in ore habet.» Sic etiam *loqui*. Cic. ad Att. 9, 13: *Dolabella suis litteris merum bellum loquitur.* — *ulmos*] «maritandas vitibus.» — *Immoritur*] «macerat et enecat se opere rustico strenue exercendo.» *Studiis* dativ. ut Quinctil. 9, 3, 73: *immori legationi.* — *senescit*] «τήκεται, macrescit et canescit.»

87—92. *mentita*] Cfr. ad Od. 3, 1, 30. — *enectus*] «attenuatus.» SCHOL. Liv. 21, 40: *fame, frigore, illuvie, squalore enecti.* — *media de nocte*] Cfr. Epp. 1, 2, 32. — *scabrum*] «squalidum atque impurum.» — *intonsum*] Et propter avaritiam et propter taedium infelicissimae agriculturae omnem vitae cultum neglexerat, longe nunc diversus ab illo, qui fuerat *tonsoris in umbra*. — *Durus*] Epp. 1, 16, 70: *sine pascat durus aretque.* «Prope nimis laboriosus et *attentus ad rem* (Ter. Ad. 5, 8, 31.) γλίσχρος.» Sat. 2, 6, 82: *Asper et attentus quaesitis.* — *Pol*] *edepol, ecastor*: cfr. de his iuramentis Varronem apud Gell. 11, 6.

94—98. *Quod te*] Haec quoque est in sermone quotidiano solita obtestationis formula. Ter. Andr. 1, 5, 54. *Quod te ego per dextram hanc oro.* Virg. Aen. 2, 141: *Quod te per superos — oro.* Est relativum infinitum, «διότι, propter quod.» — *Qui semel*] Iam ex hac narratiuncula poëta colligit generalem sententiam: «Ut primum aliquis perspexit» cet. Ho-

Praestent, mature redeat repetatque relicta.
Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.

---

# EPISTOLA VIII.

## AD CELSUM ALBINOVANUM.

Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano
Musa rogata refer, comiti scribaeque Neronis.

ratius totius rei exitum callide tacuit: nihil enim attinebat adiungere a Philippo misericordia tacto Menam pristinae vitae illico restitutum, rursus fecisse praeconium. — *verum est*] «aequum est et decet quemque intra eos fines manere eamque vitam eligere, quae cuiusque viribus ac rei familiari quam maxime consentanea sit.»

VIII. De toto hoc Epistolio scripto a. u. c. 734. cfr. Iacobsii Lectt. Venus. p. 335. Idem est Celsus, cuius mentionem facit Epp. 1, 3, 15., ubi vide.

1. 2. *Celso gaudere*] «Refer, Musa a me rogata, Celso (me eum iubere) *χαίρειν καὶ εὖ πράττειν*.» Celsus igitur salutarat Horatium; (quomodo, ignoramus:) hic amicum iuniorem, sibi carum et quem magni faceret, resalutat, Musae hoc officium mandans. — *scribaeque*] His vv. ei gratulatur munus utique honorificum, quod paullo ante adeptus erat, neque vero, ut aliis visum est, eum deridet. Qui huiusmodi cohorti amicorum proconsulis vel ducis aggregati erant, interdum adhibebantur ad epistolas in primis arcanas et gravioris argumenti ex illius mandato conscribendas, ad quotidianas servi vel liberti.

3. 4. *Si quaeret*] Multa iam cum familiaritate et benevolentia Celso totum animi sui statum aperit: «se sibi displicere, non propter causas fortuitas atque externas, sed propter inexplicabilem quandam mentis aegritudinem, qua se nunc quidem liberare nequeat:» — *minantem*] «pollicentem ac molientem,» ut Sat. 2, 3, 9. et Phaedr. 4, 22, 4: *Hoc scriptum est tibi, Qui magna cum minaris, extricas nihil.* Refertur autem in primis ad studia poëtica. — *nec recte*] «non nimis bene me vivere, non satis me ipso

Si quaeret quid agam, dic multa et pulchra minantem
Vivere nec recte nec suaviter; haud quia grando
Contuderit vites oleamque momorderit aestus,
Nec quia longinquis armentum aegrotet in agris;
Sed quia mente minus validus quam corpore toto
Nil audire velim, nil discere, quod levet aegrum;
Fidis offendar medicis, irascar amicis,
Cur me funesto properent arcere veterno;
Quae nocuere sequar, fugiam quae profore credam;
Romae Tibur amem ventosus, Tibure Romam.
Post haec, ut valeat, quo pacto rem gerat et se,
Ut placeat iuveni percontare utque cohorti.

contentum esse, propterea nec *suaviter*.»

5 — 6. *momorderit*] Et de aestu et de frigore (Sat. 2, 6, 45.) dicitur; h. l. de foliis arefactis, bacis ustis. — *longinquis*] ut divites greges habebant et in Calabria et in Gallia Cisalpina. — *agris*] «agris pascuis;» ut dividebant agros in pascuos, arvos, arbustos, consitos.

9 — 12. *Fidis*] « qui, ut ipse probe scio, malum meum levare volunt.» Amicos autem corrigere hunc pravum animi habitum aventes cum medicis comparat. — *Cur me*] idem fere ac «propterea quod;» sed illud est discrimen, quod hoc rationem simpliciter significat, alterum ductum est ex directa interrogatione: *Cur - properatis? — arcere veterno*] *Arcere* cum ablativo sine praepos. *a* etiam in prosa or. Cic. Phil. 5, 13: *hostem arcuit Gallia*. Mentis *veternus*, marcor et torpor est ille, quo affecti nihil eorum, quae nobis proposuimus, perficere atque elaborare possumus. *Funesto* autem, quia, ut ait Celsus 3, 20: *in hoc* (lethargicorum morbo) *marcor et inexpugnabilis paene dormiendi necessitas. Ληθαργον Graeci nominarunt. Id quoque genus acutum est si, nisi succurritur, celeriter iugulat.* — *ventosus*] «levis, inconstans, instabilis.» Comm. Cruq. Sic Cic. ad Fam. 11, 9. Lepidum *hominem ventosissimum* appellat. — *Tibure*] «in Sabino meo prope Tibur.» Catull. 44, 1: *O funde noster, seu Sabine seu Tiburs*; et cfr. Sat. 2, 7, 28.

13 — 17. *rem gerat*] « quomodo officia ac negotia sua curet, et qualis sit animi eius status.» — *iuveni*] Tiberio tunc XXII. annos nato. — *utque cohorti*] Cfr. Sat. 1, 7, 28. Epp. 1, 3, 6. Huius moris primus, ut videtur, auctor fuit Scipio Africanus minor. Cfr.

Si dicet, Recte, primum gaudere, subinde
Praeceptum auriculis hoc instillare memento:
Ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus.

## EPISTOLA IX.

### AD CLAUDIUM NERONEM.

Septimius, Claudi, nimirum intelligit unus,
Quanti me facias: nam cum rogat et prece cogit,

Appian. Hispan. 84. — *subinde*] «deinde protinus.» — *instillare*] «leniter atque amice tradere praeceptum,» ut guttatim in aures instillantur harum medicamenta. — *Ut tu fortunam*] «Quod si tu modeste feres fortunam, quae te comitem fecit Neronis, cuius favore gaudens maiores etiam opes atque honores aliquando adipisci potes, nos quoque (Neronem simul significat:) benevoli et vere amici tibi erimus; superbia contra et fastu si praeter modum te extuleris, amicos a te abalienabis.»

IX. Venustius sane atque elegantius Septimium suum, (de quo v. Od. 2, 6. Tiberio Claudio Neroni commendare non potuit quam hoc epistolio, in quo gratiam, qua ipse apud Augusti privignum fruatur, dedita opera extenuat. Cfr. Iacobs Lecit. Venus. p. 82. Noli autem oblivisci eo tempore, quo scriptum est (a. u. c. 732. vel, ut alii volunt 734.) Tiberii mores nondum reprehensione dignos fuisse. Tacit. Ann. 6, 51: *Egregius vita famaque, quoad privatus vel in imperio sub Augusto fuerat.*

1—3. *unus*] «praeter ceteros.» «Vel propter hoc metuendum non est, ne te aliorum rursus commendatione obtundam.» — *rogat et prece cogit*] «ita rogat, ut me precibus suis quasi cogat;» quam πειθανάγκην Graeci dicunt. — *Scilicet*] «*Stehe! Man denke nur!* — *tradere*] ut Sat. 1, 9, 47. Epp. 1, 18, 78.

4. 5. *mente*] «egregia tua indole et ingenio perspicaci.» — *domoque*] Ex Claudiorum stirpe nobilissima ortus, apud vitricum educatus erat. — *legentis*] «honestos tantum homines eligentis, quos in familiarium suorum numerum asciscat, ac propterea a se removentis homines bonarum artium rudes.» — *propioris*] «çarióris,» quos vocabant *primas admissionis*, Seneca de Benef. 6, 33.

6—9. *valdius*] «melius», ut A. P. 321: *valdius oblectare.* — *abirem*]

Scilicet ut tibi se laudare et tradere coner,
Dignum mente domoque legentis honesta Neronis;
Munere cum fungi propioris censet amici,
Quid possim videt ac novit me valdius ipso.
Multa quidem dixi, cur excusatus abirem;
Sed timui, mea ne finxisse minora putarer,
Dissimulator opis propriae, mihi commodus uni.
Sic ego maioris fugiens opprobria culpae
Frontis ad urbanae descendi praemia. Quodsi
Depositum laudas ob amici iussa pudorem,
Scribe tui gregis hunc et fortem crede bonumque.

«ut evaderem.» Schol. — *mea*] «bona et commoda, in quibus pono etiam favorem, quo me prosequi dignaris.» — *Dissimulator*] Talis describitur εἴρων ab Aristotele de mor. ad Nicom. 4, 3: ὁ δ' εἴρων δοκεῖ ἀρνεῖσθαι τὰ ὑπάρχοντα ἢ ἐλάττω ποιεῖν. Lamb. — *opis*] «gratiae, qua fruor apud te, et id unum appetens, ut utilitas inde ad me redundet;» cuiusmodi homines ἰδιοπράγμονας vocant Graeci.

11 — 13. *descendi*] Usurpatur de re, quam minus dignam nobis censentes prope inviti suscipimus, sed tamen propter certas causas abiicere non possumus. Cic. Divin. 1: *ad accusandum descendere*. *Frons* interdum pro impudentia, insolentia, fastu: unde *frontem perfricare* «impudenter se gerere,» et in plebeculae Latinitate *frons expudorata* (Petron. 39.); *frons urbana* pr. est eius, qui, quia in Urbe vivit, minus timidus ac modestus est rustico ac prope accedit ad mores scurrarum, (quibuscum iunguntur *urbani* Epp. 1, 15, 27. et Plaut. Trin. 1, 2, 162.) quocirca interdum vel potentiori amico molestus fieri non reformidat et hoc quasi ius sibi sumit, ut confidentius se gerat cum omnibus: hinc facete *praemia*, iura, *Vorrechte*. «Ausus sum pudore deposito amici causa vel inverecundus fieri.» — *Scribe* (unum) *tui gregis*] pr. «eius nomen in album amicorum tuorum referri iube;» «recipe eum in cohortem comitum tuorum.» Sic apud Cic. de Or. 2, 62. et ad Fam. 7, 33. sodales et aequales dicuntur *gregales*. Doering.

# EPISTOLA X.

## AD FUSCUM ARISTIUM.

Urbis amatorem Fuscum salvere iubemus
Ruris amatores, hac in re scilicet una
Multum dissimiles, at cetera paene gemelli
Fraternis animis quidquid negat alter et alter
Annuimus pariter vetuli notique columbi. 5

X. v. 3. *ad cetera* Codd. aliq. et Lamb.

X. Cum lepida *εἰρωνείᾳ* Aristio Fusco, intimo suo amico, (de quo v. Od. 1, 22. Sat. 1, 9, 61. 10, 83.), qui, ut philologus, in Urbe manere malebat, rusticationis commoda et gaudia enarrat, eumque Stoicis sententiis exhortatur, ut sorte sua contentus vivat, neque, forsitan cum maiore incommodo quam lucro, potentiores ambiat. Scripta videtur circiter a. u. c. 737.

1 — 3. *salvere iubemus*] Solita formula. Plaut. Asin. 2, 2, 30: *Iubeo te salvere voce summa* cet. — *at cetera*] Sic Cod. Bland. antiquiss. et alii, ut Virg. Aen. 3, 594: *Consertis tegumen spinis, at cetera Graius*, ubi ut h. l. apte duo membra magis sibi opponuntur quam in altera lect. *ad cetera*, quod per se spectatum aeque rectum est. Liv. 37, 7: *virum ad cetera egregium*. Id. 4, 26: *ad alia discordes*.

4 — 9. *et alter*] «etiam alter negat, pariterque eadem probamus.» — *Annuimus*] «nutu probamus:» sed simul refert columbos ipsos rostra amantissime conserentes. — *vetuli*] Matius apud Gell. 20, 8: *Columbatimque labra conserens labris*. — *circumlita*] «circumdata, obducta.» — *Quid quaeris?*] formula sermonis quotidiani haud infrequens etiam apud Ciceronem, (ad Att. 2, 1. cet.) quae proprie significat: «non opus est, ut ex me quaeras: ultro tibi omnia dicam.» — *Vivo*] «vita vere vitali fruor et rex mihi esse videor.» Sic *βασιλεύειν*. — *fertis*] Sal. Cat. 53: *virtutem animi ad caelum ferunt*. — *rumore secundo*] «Simul atque unus vestrum, qui huius sententiae et opinionis participes estis, Urbis vitam laudat, ceterorum omnium plausus et clamores movet.» Hoc enim inest in antiqua formula: *populi rumore se-*

Tu nidum servas; ego laudo ruris amoeni
Rivos et musco circumlita saxa nemusque.
Quid quaeris? Vivo et regno, simul ista reliqui,
Quae vos ad caelum fertis rumore secundo:
Utque sacerdotis fugitivus liba recuso;
Pane egeo iam mellitis potiore placentis.
Vivere naturae si convenienter oportet
Ponendaeque domo quaerenda est area primum,
Novistine locum potiorem rure beato?
Est ubi plus tepeant hiemes, ubi gratior aura
Leniat et rabiem Canis et momenta Leonis,

v. 9. *effertis* Codd. aliq. et Lamb.

*cundo*, qua usi sunt Ennius et Fenestella apud Non. p. 385. Cic. Tusc, 2, 1: *secundo populo*.

10 — 13. *sacerdotis fugitivus*] Liba *(Fladen)* ab iis, qui rem divinam faciebant, allata et sacerdotibus relicta, horum servis interdum pro pane data esse videntur; iam ioci causa narrat, unum aliquando mero huius cibi nimium dulcis taedio ab hero aufugisse, quo tandem vero pane vesceretur. — *placentae*] *(Kuchen)* ex farina et caseo, oleo frictae, papavere, sesamo, melle oblitae; h. l. eaedem cum *libis*, etsi proprie haec dis offerebantur, illae inter crustula s. dulciaria referebantur. — *Vivere naturae convenienter*] ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν pervolgata Stoicorum erat doctrina: verum Horatius h. l. populariter loquitur, ut Cic. de Legg. 1, 21, 56: *Sed certe res ita se habet, ut ex natura vivere summum bonum sit, id est, vita modica et apta virtute perfrui.* «Huc autem pertinet etiam habitatio naturae usibus inserviens, cui ante omnia *area (Baustätte)* eligenda est, id quod optime fit ruri, ubi beatae vitae nihil obstat.» — *Domo* antique pro *domui* est aliquoties apud Catonem (R. R. 134. cet.) In seqq. Sabinum suum respicit.

16. 17. *rabiem Canis*] Canicula exoritur quidem a. d. XIII. Kal. Aug. (20 die M. Iulii), sed apparet VII. Kal. (27 Iul.) Schneider ad Colum. 11, 2, 53. Sol intrat Leonem 23 die M. Iulii. — *momenta*] «motus, circuitus caelestes, qui eo tempore fiunt, quo Sol est in Leonis signo atque vi caloris terras urget.» Poëtice rem sic exprimit, ut fingat Leonem ad furorem excitari Solis radiis *acutis*, eum penetrantibus. Od. 3, 29, 19.

**Cum semel accepit Solem furibundus acutum?**
**Est ubi divellat somnos minus invida cura?**
**Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?**
**Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,**
**Quam quae per pronum trepidat cum murmure rivum?**
**Nempe inter varias nutritur silva columnas**
**Laudaturque domus, longos quae prospicit agros.**
**Naturam expellas furca, tamen usque recurret,**
**Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.**
**Non, qui Sidonio contendere callidus ostro**
**Nescit Aquinatem potantia vellera fucum,**

v. 18. *depellat* Codd. aliq. et Lamb.

18—21. *divellat*] Exquisitior sane lectio quam *depellat*. Illud significat: «somnum subito interrumpit, nosque excitat;» hoc: «nos dormire non sinit.» — *Libycis - - lapillis*] Loquitur de pavimentis (λιθοστρώτοις) tessellatis et vermiculatis ex marmore Numidico *caesim diminuto* (Appul. Met. 5. p. 237. Wouw.) (*Mosaikfussboden.*) — *olet*] quatenus floribus vel liquoribus odoratis spargebantur etiam pavimenta. — *in vicis*] Urbis, in quos aqua ex magnis aquae ductibus per fistulas plumbeas s. tubulos ducebatur. — *trepidat*] «continenter et celeriter currit.» Cfr. Od. 2, 3, 11.

22. 23. *Nempe*] inest ironiae significatio. — *inter varias - columnas*] Loquitur de peristylio exstructo ex columnis marmoreis vario colore maculatis. — *silva*] «viridarium peristylio cinctum.» Od. 3, 10. Corn. Nep. Att. 13: (Attici domus) *amoenitas non aedificio, sed silva constabat.* — *longos*] «late extentos in Urbis vicinia per agrum Romanum» olim tam fertilem, nunc prope incultum ac vastum. — *prospicit*] Etiam in prosa oratione. Plin. l. l. *triclinium - - pratum multumque ruris videt; - - hippodromi nemus comasque prospectat.*

24. 25. *Naturam expellas furca*] «Licet naturam summa vi et callidissima arte opprimere coneris, tamen manet invicta suumque ius sibi vindicat.» *Furca expellere aliquem* proverbium est pro «aspere atque ignominiose exturbare et eiicere.» Cic. ad Att. 16, 2: *Quoniam furcilla extrudimur, Brundisium cogito.* — *furtim*] «ratione quasi clandestina, ut quomodo fiat vix animadvertas, illa divitum fastidia perversa et naturae contraria vincit, ipsique, quantumvis a simplici vita recesserint, tamen aliquando vel inviti ad eam redire coguntur.»

Certius accipiet damnum propiusve medullis,
Quam qui non poterit vere distinguere falsum.
Quem res plus nimio delectavere secundae,
Mutatae quatient. Si quid mirabere, pones
Invitus. Fuge magna; licet sub paupere tecto
Reges et regum vita praecurrere amicos.
Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis frenumque recepit:
Sed postquam victor violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frenum depulit ore.

v. 37. *violens victo* Bentl. coni. *victor victo* Cuningh.

26 — 28. *Non qui*] «Falsa autem illa de finibus bonorum iudicia, qualia plerumque sunt divitum, magis noxia sunt ac beatitudini infestiora, quam inscientia rerum externarum nullius ponderis, ut cum nos deridet dives, quod purpuram Sidoniam ab Aquinate distinguere nesciamus.» — *contendere - - ostro*] dativ. «comparare cum purpura.» — *callidus*] ut Sat. 2, 7, 101: *subtilis et iudex - callidus:* «sollers in distinguenda purpura sincera, quae ex Phoenice importatur, ab adulterina, quam ad illius imitationem Aquinates in agro Volsco fuco tingunt, ut imperitos decipiant.» — *fucum*] lichenis genus, φῦκος, *Orseille*, cuius suco vel medicabantur lanam muricis suco postea tingendam vel sine illius conchylii suco adulterinam. — *propiusve medullis*] «intimos animi sensus magis percellens.»

30. 31. *plus nimio*] Altera lectio *plus aequo* est e gloss. Plaut. Mil. glor. 2, 6, 101: *satis et plus nimio merui mali.* M. Antonius Ep. ad Cic. Attic. 10, 8: *Te nimio plus diligo.* — *pones*] «depones, eo carebis.»

34 — 37. *Cervus*] Aristot. Rhetor. 2, 20. et Conon Narr. 42. hanc fabulam conservarunt, qua Stesichorus Himerenses monuit, ne se Phalaridis (Arist.) aut Gelonis (Conon) tyrannidi subiicerent. — *communibus*] «ex iure naturae.» Ovid. Met. 1, 135: *Communemque prius cui lumina solis et auras humum.* — *Pellebat*] «saepe, continuo.» — *minor*] ut ἥττων. — *opes*] Sic Od. 3, 3, 28. Epp. 2, 2, 136. pro frequentiore singulari. — *recepit*] «ultro ac libenter accepit.» — *victor violens*] «victor evasit, postquam ipse quoque vectorem adiuvans ferociter cum cervo certasset viresque suas summa cum contentione exseruisset.» Explicabis igitur «vehemens et acer,» «*heftig, ungestüm.*»

**Sic, qui pauperiem veritus potiore metallis**
**Libertate caret, dominum vehit improbus atque**
**Serviet aeternum, quia parvo nesciet uti.**
**Cui non conveniet sua res, ut calceus olim,**
**Si pede maior erit, subvertet, si minor, uret.**
**Laetus sorte tua vives sapienter, Aristi,**
**Nec me dimittes incastigatum, ubi plura**
**Cogere quam satis est ac non cessare videbor.**
**Imperat aut servit collecta pecunia cuique,**
**Tortum digna sequi potius quam ducere funem.**

v. 47. *Imperat*, *haud servit* Waddelius. Doering.

40 — 43. *dominum*] Stoicum hoc. Arrian. Epictet. 4, 1, 59. de stultis, quos dicebant: *οὕτως οὖν πολλοὺς κυρίους ἔχομεν; Οὕτω.* «Libertas igitur inter praecipua animi bona referenda est; qua qui caret servit diviti alicui et potenti, propterea quod *improbus*, hoc est, immodicus, intemperatus, sua sorte nunquam contentus est, nimia semper et vasta appetit.» — *olim*] in fabellis et exemplis: «ut solet fieri in calceo, qui si maior pede est, facit, ut humi prolabamur, si minor, pedem constringit et dolore nos afficit.» *Uret* autem rectum, non glossema *urget*. Propert. 4, 3, 23: *Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?* Ceterum admodum frequens est apud philosophos haec comparatio. Lucian. Pro imagg. 10: *μὴ ὑπὲρ τὸν πόδα ἔστω τὸ ὑπόδημα, μὴ καὶ ἐπιστομίσῃ με, φησίν, ἐμπεριπατοῦσαν αὐτῷ.*

46. *Cogere*] h. l. «congerere, coacervare.»

47. *Imperat aut servit*] «Prout possessor est: si sapiens, pecunia parta inservit vitae necessitudinibus, utilibus inceptis, beneficiis in alios conferendis; si stultus, ei imperat, ut dominus servo, ita ut, quamvis ea uti nequeat, tamen eius semper augendae causa quidlibet, etiam perversissima quaeque, in se suscipere multoque cum labore perficere cogatur.» Frequens sententia: Publius Syrus 998: *Pecunia est ancilla, si scis uti; si nescis, hera.*

48. *Tortum*] Sententia per se clara: «Pecunia debet esse ea machinae, ut ita dicam, vitalis pars, quae movetur, non ea, quae movet;» «ordinatrix et dispensatrix esto mens sapientis possessoris, pecunia materies, qua pro sua voluntate atque intelligentia ille utatur.» V. *tortus ἐπίδεσον* funium et rudentum perpetuum esse monstrant Interpretes ex Virg. Aen. 4, 575. Ovid. Met. 3, 679. Catull. 64, 235. Pers. 5, 146., unde

Haec tibi dictabam post fanum putre Vacunae,
Excepto, quod non simul esses, cetera laetus. 50

# EPISTOLA XI.

## AD BULLATIUM.

Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos,
Quid concinna Samos, quid Croesi regia Sardis,

explico de fune ductario vel in machinis tractoriis (Vitruv. 10, 3 et 4.) vel in remulco.

49. 50. *tibi*] «Ut tu legeres, dictabam meo puero a manu.» Imperfectum, ut in subscriptionibus epistolarum: *haec scribebam* cet., tempore relato ad illud temporis punctum, quo, cui missa est epistola, eam leget. — *Vacunae*] Vacunam, antiquam Sabinorum deam, respondisse Romanorum Victoriae, itaque radicem VAC eandem esse ac VIC VV. *vincere*, *victor* et nititur Varronis testimonio apud Acronem et confirmatur ex inscriptione ipsius illius fani prope Horatii Sabinum siti, sed iam illo tempore vetustate ex parte collapsi, apud Feam. Per iocum autem Romani interdum deae nomen sic interpretabantur ac si esset a v. *vacare*, ipsaque vacationis atque otii tutela. — *Excepto, quod*] Ne *eo* supplendum sit, referunt hunc usum ad formulas *audito*, *cognito*, *nuntiato*. v. Zumpt. Gr. §. 647.

XI. Bullatius, homo alioquin ignotus, Horatii certe amicus (quod ipsum documento est ingenium ac probitatem ei non defuisse:) ex eo tamen divitum genere fuisse videtur, qui propter nescio quem animi languorem nec rebus civilibus neque litteris neque agriculturae vel negotiationi operam navarent, sed tandem ipsius otii, cui se dediderant, pertaesi, hoc omnium rerum fastidio aliter se liberari posse non opinarentur, nisi si in longinquas regiones profecti inter alios semper homines versarentur, veteres locos ac fama celebratos viserent, alia quotidie antiquitatis monumenta, artificum opera, delubra deorum spectarent. — Talem igitur hominem amice ad sapientiorem vitae usum exhortatur et in Urbem ad suos revocat, simul lectoribus significans, sibimet ipsi propter animum aequum ubique bene esse. — Scripta videtur Epistola a. u. c. 733.

1 — 5. *Quid tibi*] Ter. Eun. 2, 2, 42: *Sed quid videtur tibi hoc mancipium?* formula sermonis quotidiani mixta ex his duabus interrogationibus: «Quid tibi videtur hac de re?» et: «Qualis tibi videtur haec res?» Sic etiam Graeci. Plato Euthyd. 77: *τί οὖν ἐφαίνοντό σοι* (*οἱ ἄνδρες*); — *concinna*] «elegans, venusta (*schmuck*)

Smyrna quid et Colophon? maiora minorane fama?
Cunctane prae Campo et Tiberino flumine sordent?
An venit in votum Attalicis ex urbibus una,
An Lebedum laudas odio maris atque viarum?
Scis, Lebedus quid sit; Gabiis desertior atque
Fidenis vicus: tamen illic vivere vellem
Oblitusque meorum, obliviscendus et illis
Neptunum procul e terra spectare furentem.

XI. v. 3. *minorave* Codd. multi.

propter aedificia,» in primis propter Iunonis aedem. — *Sardis*] plur., Σάρδεις. — *Smyrna*] Lucian. Imagg. 2: Σμύρνη, ἡ καλλίστη τῶν Ἰωνικῶν πόλεων. — *sordent*] Ut Virg. Ecl. 2, 44: *sordent tibi munera nostra.* «Videnturne tibi despicienda prae *regiae* Romae splendore?» — *Attalicis*] «An domicilio tibi deligere mavis unam ex urbibus regni olim Attalorum, Pergamum, Tralles, Thyatiram, Myndum?»

6—8. *Lebedum*] unam XII. Ioniae urbium. Teste Strabone 14. p. 643: «scenicorum artificum conventus ibi erat et domicilium, qui in Ionia erant ad Hellespontum usque; ibique πανήγυρις et annua certamina in Bacchi honorem agitabantur:» verum reliquo anni tempore prope deserta erat, ut constat ex h. l. — *Scis Lebedus quid sit*] Bullatius igitur et, ut videtur, Horatius sub Bruto militantes a. u. c. 712. ibi fuerant. — *Gabiis*] Visconti *Monumenti Gabini* p. 1. Dionys. Hal. A. R. 4, 53: πόλις ἦν τοῦ Λατίνων γένους, Ἀλβανῶν ἀπόκτισις ἀπέχουσα τῆς Ῥώμης στάδίους ἑκατόν· — νῦν μὲν οὐκέτι συνοικουμένη πᾶσα, πλὴν ὅσα μέρη πανδοκεύεται κατὰ τὴν ὁδόν. Propert. 4, 1, 34: *Et qui nunc nulli, maxima turba Gabi.* Monumenta a Visconti descripta reperta sunt prope lacum Gabinum, hodie *lago di Castiglione*, in loco hodie nominato *Pantan de' Griffi*. — *Fidenae*] Sabinorum oppidum, prope Romam. (Strabo 5. p. 226 et 230.), cuius reliquiae exstant prope vicos *Giubileo* et *Serpentina*. Prima longa, contra Virg. Aen. 6, 773: *urbemque Fidenam.* — *vellem*] «vel ibi aequo animo vivere possem, si opus foret.»

9. 10. *Oblitusque*] «Cum ibi tranquille versarer in contemplando terribili simulque magnifico maris turbati spectaculo, vel oblivisci possem ad tempus carissimorum meorum amicorum et aequo animo pati, si ipsi quoque in secessu meo mei interdum obliviscerentur.» Ceterum hoc quoque l. sunt semina doctrinae Stoicae. Arrian. Epict. 3, 24, 109: Ἂν ἐν Γυάροις

**Sed neque, qui Capua Romam petit, imbre lutoque**
**Adspersus volet in caupona vivere; nec, qui**
**Frigus collegit, furnos et balnea laudat**
**Ut fortunatam plene praestantia vitam.**
**Nec, si te validus iactaverit Auster in alto,** 15
**Idcirco navem trans Aegaeum mare vendas.**
**Incolumi Rhodos et Mitylene pulchra facit, quod**
**Paenula solstitio, campestre nivalibus auris,**
**Per brumam Tiberis, Sextili mense caminus.**

*ἢς, μὴ ἀνάπλασσε τὴν ἐν Ῥώμῃ διατριβήν· - - ἀλλ' ἐκεῖ τέτασο, ὅπως δεῖ τὸν ἐν Γυάροις διάγοντα, ἐν Γυάροις ἐῤῥωμένως διάγειν.*

**11—16. *Sed neque*]** Arrian. Epict. 2, 23, 36: *Οἷον εἴ τις ἀπεὼν εἰς τὴν πατρίδα τὴν ἑαυτοῦ καὶ διοδεύων πανδοκεῖον καλόν, ἀρέσαντος αὐτῷ τοῦ πανδοκείου, καταμένοι ἐν τῷ πανδοκείῳ κτλ.* «Summae igitur,» inquit, «stultitiae esset, si quis in via Appia imbre permadefactus, non iter pergeret, sed in caupona sese abderet, vel frigore hiberno correptus et rigens, non ideo in aliquem pistoris furnum vel thermas intraret, ut se calfaceret, sed» cet. — *Frigus, sitim* (Ovid. Met. 5, 446.) *colligere* est pr. «in intimum corpus recipere.» — *Idcirco navem*] «Nec propter unam procellam, navi vendita, et quidem *trans Aegaeum mare*, ut qui nunquam rediturus sit in patriam, nauclerus in perpetuum mari renuntiabit, ut fortasse tu propter aliquod taedium animi Romam nunquam redire decrevisti.»

**17—21. *Incolumi*]** «integro, sanae mentis homini, constanti et quieto.» Schol. Sic Sat. 2, 5, 13: *incolumi capite esse* opponitur insaniae. — «Qui igitur domi contentus vivit, pulcherrimis illis Graeciae et Asiae urbibus aeque libenter caret ac rebus molestissimis.» — *Mitylene*] *ἡ μεγάλη καὶ καλὴ* vocatur a Longo 1, 1. — *facit*] «iuvat, apta est.» Propert. 3, 1, 20: *Non faciet capiti dura corona meo.* Pr. de medicamentis: Plin. 22, 19: *chamaeleon facit ad difficultatem urinae.* — *Paenula*] vestis gausapina vel scortea, qua super tunicam accepta tempore frigidiore per itinera utebantur; per aestatem propter spissitudinem molesta erat. Contra *campestre* (subligaculum, *καταζωμα, Kampfschurz*), inguinum velamentum linteum, quo cingebantur iuvenes in Campo Martio, nudi corpora exercentes vel Tiberim denatantes. — *Sextili*] Augustus mensis Sextilis demum a. u. c. 746. appellatus est. — *caminus*] foculus cum prunis, qui, ut videtur, ex uno conclavis loco in alterum transferri poterat;

Dum licet ac voltum servat Fortuna benignum,
Romae laudetur Samos et Chios et Rhodos absens.
Tu, quamcunque deus tibi fortunaverit horam,
Grata sume manu, neu dulcia differ in annum;
Ut, quocunque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas: nam si ratio et prudentia curas,
Non locus effusi late maris arbiter aufert,
Caelum, non animum mutant, qui trans mare currunt.
Strenua nos exercet inertia; navibus atque
Quadrigis petimus bene vivere. Quod petis, hic est,
Est Ulubris, animus si te non deficit aequus.

qualibus etiamnunc utuntur Itali. — *Romae*] «Dum Romae vivimus felices, laudemus sane amoenas et pulchras illas urbes, nec tamen abripiamur ullo eas visendi desiderio.» — *absens*] «procul sita a patria nostra.»

22—30. *Fortunare* verbum est formularum religiosarum. Afranius apud Non. p. 109. Merc.: *Deos ego omnis ut fortunassint precor.* — *arbiter*] «qui mare longe prospectat itaque eius veluti dominus est.» — *Caelum, non animum*] Aeschines adv. Ctesiph. p. 407. Bekk.: *οὐ γὰρ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν τόπον μόνον μετήλλαξεν.* — *Strenua inertia*] Qualis est ardelionum vita (Martial. 2, 7.), qui cum semper aliquid moliuntur moxque temere incepta omittunt, nihil unquam assequuntur nec perficiunt; quod cum ipsi sentiunt, taedio *exercentur*, fatigantur. Per *ὀξύμωρον* dictum est, ut illud Ennii apud Gell. 19, 10: *Otioso negotio animus nescit, quid velit.* Senec. de Tranq. an. 12. *inquieta inertia.* Od. 1, 34, 2: *insaniens sapientia.* — *navibus*] «Nos maria et terras peragramus, ut bene beateque vivamus, quasi in locis extremis atque a patria quam remotissimis tranquillius feliciusque victuri quam domi.» Lamb. — *Ulubris*] quas *vacuas* dicit Iuven. 10, 102., oppidulum prope paludes Pomptinas, hodie *Cisterna*. Cfr. Plaut. Aul. 2, 2, 10: *Pol, si est animus aequis, satis habes, qui bene vitam colas.*

# EPISTOLA XII.

## AD ICCIUM.

Fructibus Agrippae Siculis, quos colligis, Icci,
Si recte frueris, non est ut copia maior
Ab Iove donari possit tibi. Tolle querelas;
Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.
Si ventri bene, si lateri est pedibusque tuis, nil
Divitiae poterunt regales addere maius.
Si forte in medio positorum abstemius herbis

XII. De Iccio vide Od. 1, 29. Huic sodalem suum, Pompeium Grosphum (Od. 2, 7.), commendat, propter quam ipsam rationem prope incredibile est, interpretes ante Iacobsium (excepto tamen Gesnero:) uno fere ore in eo consensisse, ut contenderent, in commendaticia hac epistola Iccium tamquam hominem sordidum, avarum, fatuum, dicis causa et propter nescio quam animi vanitatem philosophiae deditum, describi et cum insigni mordacitate derideri, nihilominus videlicet poëtae amicum. — Scripta est a. u. c. 734.

1—5. *Fructibus*] Iccius tunc erat procurator praediorum Siculorum M. Agrippae, quorum de reditibus rata pars tamquam administrationis merces ad ipsum perveniebat. — *colligis*] «colligendos curas per villicos.» — *non est, ut*] *οὐκ ἔστι (δυνατὸν) ὅπως*, «fieri nullo modo potest.» Cfr. Od. 3, 1, 9: *Est ut viro vir latius ordinet.* — *usus*] Opponitur mancipio. Cic. ad Fam. 7, 30: *Atticum, cuius quoniam proprium te esse scribis mancipio et nexo, meum autem usu et fructu, contentus isto sum. Id enim est cuiusque, quo quisque fruitur atque utitur.* — *Si ventri*] Fortasse meminerat Horatius, versuum Theognidis 719. B.: *Ἰσόν τοι πλουτοῦσιν, ὅτῳ πολὺς ἄργυρός ἐστιν Καὶ χρυσὸς καὶ γῆς πυροφόρου πεδία, Ἵπποι θ' ἡμίονοί τε, καὶ ᾧ τὰ δέοντα πάρεστιν Γαστρί τε καὶ πλευραῖς καὶ ποσὶν ἁβρὰ παθεῖν Παιδός τ' ἠδὲ γυναικός.* — *pedibus*] «si podagra non laboras.»

7—10. *Si forte*] Iam sapientis temperantiae exemplum affert: «Si *forte*, id quod non pro certo scio:» (v. *forte* minime praetervidendum est:) «cum cibis lautio-

**Vivis et urtica, sic vives protenus, ut te**
**Confestim liquidus Fortunae rivus inauret,**
**Vel quia naturam mutare pecunia nescit,**
**Vel quia cuncta putas una virtute minora.**
**Miramur, si Democriti pecus edit agellos**
**Cultaque, dum peregre est animus sine corpore velox;**
**Cum tu inter scabiem tantam et contagia lucri**
**Nil parvum sapias et adhuc sublimia cures:**

ribus vesci facile tibi liceret, tamen *abstemius*» (pr. de vino, hic et de cibo et de potu:) «sobrius manes ac vivis leguminibus oleribusque atque inter haec vel urticâ, aeque parco et tenui victu etiam *protenus*» (i. e. «*porro et sine intermissione*» Non. p. 375.) «in perpetuum uteris, etiamsi subito dives factus eris, vel quia natura ultro temperans es, vel quia ex firmo proposito abstines a luxuria, ut sapientiae praeceptis satisfaciâs.» — *In medio positae* sunt res, quarum potestas nobis est ac liber usus. — *urtica*] Est omnino planta huius nominis, qua Itali etiamnunc vere, dum tenera est, vesci interdum solent; non urtica marina, Medusae genus, quae in opiparis pontificum coenis apponebatur. *Herbis* autem *et urtica* dictum est, ut Od. 1, 12, 8: *silvae et quercus.* Ovid. Met. 10, 261: *et flores mille colorum Liliaque.* — *ut*] «licet, quamvis;» non *ἵνα.* — *inauret*] Suspicor proverbii locum obtinuisse Fortunae aureum rivum, in quem ubi quis se immersit, *confestim*, id est, repente ipse dives fit. — *naturam mutare pecunia nescit*] «Qui natura vel sine philosophorum praeceptis temperans est, etiam dives factus, prius vitae genus, bonae valetudini unice aptum, servat.»

12—14. *Miramur*] «Virtuti autem te vel maxime studere et philosophiae deditum esse gaudeo; etenim si miramur, Democritum illum rem familiarem ob sapientiae studia prorsus neglexisse, multo magis profecto te admiremur necesse est, qui inter multa negotia necessaria quidem, sed interdum sordidiora, ut est tabularum expensi acceptique confectio, inter homines quaestus ac lucri cupidos, quibuscum saepe versari debes, nihilominus philosophiae et physicis studiis vacas.» Cic. de Fin. 5, 29: *Cur tot maria transmisit Democritus? qui, (vere falsone, cur quaereremus?) dicitur oculis se privasse; certe, ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur, patrimonium neglexit, agros deseruit incultos.* — *peregre est*] «meditationi immersus et quasi segregatus a corpore, procul abest a rebus terrestribus.» — *velox*] «inter veri θεωρίας magna cum facilitate versans.» — *scabiem*

**Quae mare compescant causae, quid temperet annum,**
**Stellae sponte sua, iussaene vagentur et errent,**
**Quid premat obscurum lunae, quid proferat orbem,**
**Quid velit et possit rerum concordia discors;**
**Empedocles, an Stertinium deliret acumen.** 20
**Verum, seu pisces seu porrum et caepe trucidas,**
**Utere Pompeio Grospho et, si quid petet, ultro**
**Defer; nil Grosphus nisi verum orabit et aequum.**

*biem*] «sordidam aliorum avaritiam, quibuscum Agrippae rationes tibi putandae sunt.» — *contagia*] «quae lucri cupido morbi contagiosi instar iam prope omnes invasit.»

15. *sapias*] Simpliciter pro φρονῇς, cogites.» — *sublimia*] «τὰ μετέωρα, caelestia;» «philosophiam physicam.» Comm. Cruq.

16—20. *Quae mare*] Similes loci sunt Virg. Ge. 2, 475. Propert. 3, 5, 25. Manil. 1, 99. — *compescant - temperet*] Propert. l. l. 37: *Curve suos fines altum non exeat aequor, Plenus et in partes quattuor annus eat.* — *sponte sua*] «proprione impetu atque instinctu, an *iussae* ac ductae numine divino.» — *premat*] «absondat.» Intellige de solitis lunae vicissitudinibus, κενώσεσι καὶ πληρώσεσι, non de eius defectu. — *Quid velit et possit*] «Quis finis (σκοπὸς) et quae vis sit mundi universi.» — *concordia discors*] «universitas rerum, licet nobis interdum discors videatur, tamen admirabili singularum partium concordia iuncta.» Est Empedoclis νεῖκος καὶ φιλία Fragm. ed. Sturz. 203: Ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἓν ἅπαντα, Ἄλλοτε δ' αὖ δίχ' ἕκαστα φορεύμενα νείκεος ἔχθει. — *Stertinium deliret*] Sine ioco: «Investigas, utrum verior sit physica doctrina Empedoclis, an Stoicorum.» Iam facete pro Stoicis ponit ridiculum illum Stertinium, «sapientum octavum (Sat. 2, 3, 293.), qui CCXX. libros Stoicorum Latine scripsit.» (Schol.) eique κατ' εἰρωνείαν *acumen* tribuit; *Stertinium* autem pro *Stertinianum*, ut Od. 4, 12, 18: *Sulpiciis horreis.*

21—24. Festive *trucidas (abwürgst)* ad Pythagoreae et Empedoclis sectatorem. Hieron. Lib. 2. adv. Iovinian. T. 2. p. 331. Vallars.: *Probabo non Empedoclis et Pythagorae nos dogma sectari, qui propter μετεμψύχωσιν omne quod movetur et vivit edendum non putant, et eiusdem criminis reos arbitrantur, qui abietem quercumque succiderint, cuius parricidae sunt et venefici.* Diog. Laërt. 8, 77. Empedocli placuisse dicit: τὴν ψυχὴν παντοῖα εἴδη ζώων καὶ φυτῶν ἐνδύεσθαι, φησὶ γοῦν· Ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ γενόμην κοῦρός τε κόρη τε· Θάμνος τ' οἰωνός τε καὶ ἐξ ἁλὸς ἔλλοπος ἰχθύς. — *verum*] ut Epp. 1, 7, 98. «iustum.»

**Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest.**
**Ne tamen ignores, quo sit Romana loco res:**
**Cantaber Agrippae, Claudi virtute Neronis**
**Armenius cecidit; ius imperiumque Phraates**
**Caesaris accepit genibus minor; aurea fruges**
**Italiae pleno defundit Copia cornu.**

— *Vilis*] Proverbium videtur, cui proxime accedit Xenoph. Mem. 2, 10, 4: *νῦν διὰ τὰ πράγματα* (propter hunc rei publicae statum) *εὐωνοτάτους ἔστι φίλους ἀγαθοὺς κτήσασθαι.* «Proborum hominum amicitia *εὐωνοτάτη* est, tenui pretio, facili opera paratur, si qua re indigent, quam nos eis praestare possumus idque comiter facimus. Sic tu primo quoque officio, tibi minime molesto, facile Grosphi amicitiam tibi conciliare poteris.»

25. 26. *Ne tamen*] «Ne tamen tu, remotus cum sis ab Urbe et studiis occupatus, ignores» cet. Cantabros, cum aliquoties pertinaciter rebellassent, M. Agrippa tandem a. u. c. 734. *τοὺς ἐν τῇ ἡλικίᾳ διέφθειρε καὶ τοὺς λοιποὺς τά τε ὅπλα ἀφείλετο καὶ ἐς τὰ πεδία ἐκ τῶν ἐρυμνῶν κατεβίβασεν.* Dio Cass. 54, 11. — *Armenius*] Vell. 2, 94, 4: *Tiberius cum legionibus ingressus Armeniam, reducta ea in potestatem populi Romani, regnum eius Artavasdi dedit*, ubi vel scriptor ipse vel librarii ex Monum. Ancyrano p. 375. Wolf. sic corrigendi sunt: *Artaxiae ademptum Tigrani dedit.* — *Phraates*] Construe: «Arsaces XV. s. *Phraates* IV., Parthorum rex (a. u. c. 717—753.) genibus minor accepit ius imperiumque Caesaris.» — *genibus minor* pr. «infra Caesaris genua collocatus, ad genua eius admissus,» poëtica imagine pro «supplex per legatos atque submissus.» Imperium autem Augusti accepit, quatenus ob metum belli, quod hic ei minitabatur, captivos ex Crassi et Antonii exercitibus signaque militaria Crasso adempta Romam remisit et filios nepotesque obsides Augusto dedit. Strabo 6. extr. Iustin. 42, 5. Tac. Ann. 2, 1: *Phraates cuncta venerantium officia ad Augustum verterat. Ius* autem *et imperium* alicuius *accipere* idem est atque «imperio parere, *in ius dicionemque* alicuius *venire*:» Liv. 24, 57.

29. *Copia*] abundantiae et ubertatis dea, ut Carm. Sec. 57. «Haec autem omnis generis fruges fructusque quasi de caelo in terram nunc *defundit*, e cornu suo omnibus abundanter largitur.»

# EPISTOLA XIII.

## AD VINNIUM ASELLAM.

Ut proficiscentem docui te saepe diuque,
Augusto reddes signata volumina, Vinni,
Si validus, si laetus erit, si denique poscet;
Ne studio nostri pecces odiumque libellis
Sedulus importes, opera vehemente minister.
Si te forte meae gravis uret sarcina chartae,

XIII. «Hanc Epistolam ad Vinnium Asellam, quisquis ille fuit, missam esse nunquam adducar ut credam. In Augusti potius gratiam scripta videtur, cui poëta verecundiam suam vix poterat commendare urbanius. Paratam eadem habebat excusationem, si forte poëmata sua Augusto ab amicis nimis officiosis male essent tradita aut minus apte commendata.» Iacobs. Festive igitur simulat se praeter mandata, quae domi iam saepe diuque homini bono, sed pinguioris ingenii, inculcarit, ne illa iam iter faciens, magis etiam cum in Urbem pervenerit, obliviscatur, eadem etiam litteris consignasse, hasque litteras, quas Asella, ut probabile est, nunquam vidit, post eius profectionem ex praedio Sabino per tabellarium misisse. Fuit autem (nam persona ipsa vera est, et fortasse nota erat Augusto:) vel vicinus Horatii, vel unus quinque illorum bonorum patrum, colonorum partiariorum in eius Sabino: servus certe tabellarius non fuit, cum tria nomina Latina habuerit, C. Vinnius Fronto vel Asella, ut aiunt Scholiastae. — Scripta videtur Kirchnero Epistola circiter a. u. c. 736., Lachmanno vel ineunte a. 730. vel ante hiemem a. 732.; per medium enim tempus extra Italiam degisse Augustum.

4. 5. *odium*] «Si forte offendes Augustum, is fortasse indignabundus accipiet mea carmina.» — *importes*] plerumque de rebus incommodis, ut «importare calamitatem, luctum, periculum, pestem.» Ceterum construendum videtur etiam propter v. caesuram: *ne sedulus* (cum sis nimis sedulus,) *importes odium libellis, minister opera vehemente* (ministrum agens talem, qui operam navet nimio atque importuno studio.)

6—8. *uret*] de onere molesto, ut Ovid. Rem. Am. 235: *Aspicis*,

**Abiicito potius, quam quo perferre iuberis**
**Clitellas ferus impingas Asinaeque paternum**
**Cognomen vertas in risum et fabula fias.**
**Viribus uteris per clivos, flumina, lamas;**
**Victor propositi simul ac perveneris illuc,**
**Sic positum servabis onus, ne forte sub ala**
**Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum,**
**Ut vinosa glomus furtivae Pyrrhia lanae,**
**Ut cum pileolo soleas conviva tribulis.**
**Ne volgo narres te sudavisse ferendo**

*ut pressos urant iugă prima iuvencos.* — *Abiicito*] «Abiicito potius in ipso itinere;» (fingit enim ob propria quoque negotia Vinnium Romam proficisci, et tantum officii causa carmina secum portare), «quam ut eo loco, usque ad quem perferre iuberis sarcinam, *ferus*, impatiens iam oneris, efferatus, ut iniquae mentis asellus, cum vi et multo cum fragore deiicias in solum vel in atrium Palatii *clitellas* muli vel asini tui (*Saumsattel*), quibus sarcina illigata est atque inde solvenda. Quod si tam rusticus esses, quam significo, merito te Asellam vocari dicerent ridentes, qui viderent.» — *Asinae*] videtur dixisse pro *Asellae*; non enim credibile est patris cognomen *Asinae*, ut volunt, ioci causa a vicanis eius in Asellae deflexum esse. Quod *paternum* est cognomen, monstrat iam patrem ingenuum rusticum Romanum fuisse nec vero filio contumeliae causa inditum.

10—12. *lamas*] «lacunas maiores aquam pluviam continentes.» Ennius: *Silvarum saltus, latebras lamasque lutosas.*» Comm. Cr. — *Victor propositi*] ἐγκρατὴς τοῦ σκοποῦ. — *Sic positum servabis*] «Sic pones et, cum posueris, etiam sic servabis, ne cet.»

13—15. *rusticus agnum*] Iam triplex proponit exemplum ab Asella minime imitandum: 1) imaginem rustici agnum sub axilla ad mercatum ferentis, ridiculam propter continuos bestiolae motus et curam hominis, ne in solum desiliat, ne ab ipso fortasse laedatur. 2) «Pyrrhiam, ancillam in quadam Titinii fabula, quae furata lanam dominae suae, propter temulentiam ita gestavit, ut facili opera deprehenderetur.» Schol. 3) *tribulis*] Homines ambitiosi, auram popularem captantes, tribules etiam pauperiores ruri degentes ad convivia interdum invitabant. (Principes autem cives in XXXI. rusticas tribus, homines infimae sortis in IV. urbanas memento relatos fuisse.) Rusticanus igitur Romanus invitatus a tribuli suo locuplete atque

**Carmina, quae possint oculos auresque morari**
**Caesaris; oratus multa prece, nitere porro.**
**Vade, vale, cave ne titubes mandataque frangas.**

---

# EPISTOLA XIV.

## AD VILLICUM SUUM.

**Villice silvarum et mihi me reddentis agelli,**
**Quem tu fastidis habitatum quinque focis et**

illustri non sine quadam verecundia ac timore e vico suo in Urbem pergit calceatus vel peronatus; quia servum non habet, certe qui opus rusticum deserere possit, ipse *soleas*, quibus indutus in triclinium intrare debet, una cum pileo, quo sub noctem domum revertens caput tecturus est, sub ala portat. Optimus autem homo eo maxime ridiculus fit, quod dum quantocunque potest cum decore soleis puris nec pulvere adspersis in triclinium introire parat calceosque sibi exutos et pileum atriensi tradit, iis omnibus, qui cum maxime in atrio sunt et ingenuis et libertis et servis nimis demissus ac timidus videtur.

18. 19. *oratus*] «Quodsi multis etiam precibus illiusmodi homines te oraverint, ut quid Augusto apportes sibi dicas, tu noli loquax esse, sed quo te iussi perge, donec ad ipsum te admittat ostiarius.» — *nitere porro*] *schiebe dich vorwärts.* — *ne titubes*] Rursus leviter ludit in Asellae cognomine. «Cave ne, ut accidit asellis nimis onustis, tu quoque titubes humique procumbas, ubi lamam transgredieris vel per clivum descendes, itaque quae tibi concredidi qualicunque damno afficias, veluti capsa collisa, voluminibus ipsis madefactis.»

XIV. Ioci causa fingit se villico nequam, moroso, bibaci, in urbem reverti cupienti hanc Epistolam mittere, qua significet ruri ei manendum esse: re vera autem hac scriptiuncula, quam villicus ipse vix unquam vidit, demonstrare voluit iniquis suis, qui ei propter villulam a Maecenate donatam invidere solebant, non tam ob ipsam possessionem sibi caram esse quam propterea, quod ibi remotus ab eorum malignitate et a ceteris omnibus urbis molestiis tranquillo animo vivat studiisque libere vacet. Scripta videtur Kirchnero a. u. c. 732.

1—3. *mihi me reddentis*] «quia cum Romae dego aliorum potius sum quam mei ipsius; ruri mihi vivo, ut volo, et ab officiis negotiisque urbanis me reficio ac recreo.» Barthii illud *me redimentis*, Seneca

Quinque bonos solitum Variam dimittere patres,
Certemus, spinas animone ego fortius, an tu
Evellas agro et melior sit Horatius, an res.
Me quamvis Lamiae pietas et cura moratur
Fratrem maerentis, rapto de fratre dolentis
Insolabiliter, tamen istuc mens animusque
Fert et amat spatiis obstantia rumpere claustra.
Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum;
Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.
Stultus uterque locum immeritum causatur iniquc;
In culpa est animus, qui se non effugit unquam.
Tu mediastinus tacita prece rura petebas,

XIV. v. 9. *avet* Bentleii coni.

et Plinio dignius est quam Horatio. — *tu*] «qui ante eras in mea familia urbana, meum fundum fastidis, quamvis eum habitent quinque familiae, ita ut *boni*, id est, strenui atque honesti, patresfamilias inde Variam se conferre soleant ad nundinas obeundas et quando oppidana habentur comitia creandis duumviris iuri dicundo, aedilibus ceterisque magistratibus municipalibus. — *Varia*, oppidum in Sabinis olim, nunc vicus imminens Anieni ad octavum lapidem ultra Tibur in via Valeria. Hodie *Vicovâro*.

4. 5. *Certemus*] «Agedum videamus, utrum ego diligentius animum meum vitiis purgem, an tu spinas ex agro meo evellas; atque utra ratio melior sit, eane, qua me ipse curo, quod ad virtutem attinet, an ea, qua tu (homo socors) colis *rem* meam, id est, fundum Sabinum, praecipuam facultatum mearum partem?» — *spinas*] Cfr. Epp. 2, 2, 212: *Quid te exempta iuvat spinis de pluribus una?*

6. *Lamiae*] Est L. Aelius L. F. Lamia, consul postea a. u. c. 756., de quo v. Od. 1, 26. et 3, 17. Hic igitur tunc lugebat Quintum fratrem. — *pietas et cura*] «fraternus amor, quo Lamia erepti fratris recordatur, et aegritudo, qua consumitur.»

7—9. *Fratrem*] Repetitio voc. *fratris*, ipsum ὁμοτοκέλευτον a nescio quo reprehensum, sequens ἐξασύλλαβον et, ut videtur, ἄκαιρον λεγόμενον mirabiliter Lamiae maerorem et luctum exprimunt. Cic. ad Att. 12, 28: *maerorem minui, dolorem non potui nec, si possem, vellem.* — *mens animusque*] «νοῦς καὶ θυμὸς me *istuc* (ubi tu es) *fert*, impellit me, ut istic esse longe

Nunc urbem et ludos et balnea villicus optas; 15
Me constare mihi scis et discedere tristem,
Quandocunque trahunt invisa negotia Romam.
Non eadem miramur; eo disconvenit inter
Meque et te: nam, quae deserta et inhospita tesqua
Credis, amoena vocat, mecum qui sentit, et odit 20
Quae tu pulchra putas. Fornix tibi et uncta popina
Incutiunt urbis desiderium, video, et quod
Angulus iste feret piper et thus ocius uva;
Nec vicina subest vinum praebere taberna
Quae possit tibi, nec meretrix tibicina, cuius 25
Ad strepitum salias terrae gravis: et tamen urges

malim, et veluti in ludis circensibus equi feroces quadrigis iuncti impatienter exspectant, donec mappa missa e *claustris* i. e. carceribus currus emittantur, ut in liberum circi curriculum prorumpant, sic ego quam primum rus proficisci cupio.»

12—19. *immeritum*] «locum, cuius nulla est culpa, *αἰτιᾶται*, accusat.» Sic Od. 1, 17, 28: *vestis immerita*. — *mediastinus*] a v. *medius*, ut *clandestinus* a v. *clam*, servus infimi ordinis, in medio paratus, nulli certo ministerio addictus, sed viliora munera obire solitus, iussu etiam conservorum artificum vel proprio aliquo munere fungentium, ut sunt dispensatores, ratiocinatores, cubicularii. — *tristem*] «iniqua mente,» *übellaunig*. — *tesqua*] *Bergheiden* (*Steppen*, Passow), vocabulum Sabinum.

21—26. *Fornix*] «cella fornicata, in qua meretrices habitabant, lupanar.» Schol. — *uncta*] «nidore redolens et optimis cibis plena.» — *Angulus*] «quemadmodum tu contemptim vocitas praedium meum.» Iocose autem dicit: «Sabinum laturum esse facilius etiam piper et thus quam vinum:» id est, vinum prorsus negatum esse Sabino, ut piper et thus toti Italiae; nimis enim frigidum erat illius solum et opacum, quam ut vitium cultura ibi locum haberet. Vino igitur in heri fundo nato uti non poterat villicus nec prope erat taberna. — *tibicina*] ut illa *Copa Syrisca caput Graia redimita mitella*. — *strepitum*] «ad tibiae cantum crepitantem atque absonum tu salles *gravis terrae*, agrestem in modum terram pedibus pulsans.» A. P. 430: *saliet, tundet pede terram*. Ceterum huiusmodi

**Iampridem non tacta ligonibus arva bovemque**
**Disiunctum curas et strictis frondibus exples;**
**Addit opus pigro rivus, si decidit imber,**
**Multa mole docendus aprico parcere prato.** 30
**Nunc age quid nostrum concentum dividat, audi.**
**Quem tenues decuere togae nitidique capilli,**
**Quem scis immunem Cinarae placuisse rapaci,**
**Quem bibulum liquidi media de luce Falerni,**
**Coena brevis iuvat et prope rivum somnus in herba.** 35

deliciae a villici officio quam maxime abhorrebant. Columella 11, 1, 13: *Villicus somni et vini sit abstinentissimus. - - Tum etiam sit a venereis amoribus aversus; - - primus omnium vigilet; - - sit frugalitatis exemplum.*

27 — 30. *ligonibus*] «Et tamen, cum deliciis illis tabernae tibi carendum sit, nihilominus (ut tu indignabundus queri soles) graves labores suscipere debes, ut ligonibus arva a ceteris servis diu neglecta versare» cet. — *strictis*] Virg. Ecl. 9, 60: *hic, ubi densas Agricolae stringunt frondes.* Cato R. R. 30: *Bubus frondem ulmeam, populneam, querneam, ficulneam, usquedum habebis, dato.* — *rivus*] «Praeterea rivus (Digentia) post imbres semper alta et firma *mole*, *χώματι*, aggeribus coërcendus est, ne inundet prata adiacentia.»

33. 34. *Cinarae*] «Quae alios amatores emungere solebat, huic per me ipsum etiam sine donis placui.» *Bonam* (non avaram) eandem vocat Od. 4, 4, 3. — *liquidi*] «defaecati.» — *media de luce*] «Quem olim saepe de medio die, id est, lucente etiamtunc (*am hellen Tage schon*, Sat. 2, 8, 2.) in conviviis tempestivis acriter potasse scis,» non eo tempore, quo plerumque compotationes fieri solebant, post horam nonam (Martial. 4, 7.)

36 — 39. *non incidere*] «non, cum tempus est, abrumpere et in perpetuum finire amores, compotationes atque id genus alia.» Virg. Ecl. 9, 14: *novas incidere lites.* — *obliquo*] «maligno et invido;» sic *λοξοῖς ὄμμασι προσβλέπειν*, *limis oculis*, *scheel.* — *Limat*] «quasi lima atterit, attenuare conatur.» — *venenat*] «ut serpens.» — *Rident*] «Rure nemo mihi invidet; tantummodo vicini, si quando dicis et ioci causa ligonem vel marram tracto, subrident, quia non sine causa horum operum minus peritus iis videor.»

40 — 44. *Cum servis*] «Sic firmum ego propositum teneo: vos

Nec lusisse pudet, sed non incidere ludum.
Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat, non odio obscuro morsuque venenat;
Rident vicini glebas et saxa moventem.
Cum servis urbana diaria rodere mavis,
Horum tu in numerum voto ruis. Invidet usum
Lignorum et pecoris tibi calo argutus et horti.
Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.
Quam scit uterque, libens censebo exerceat artem.

v. 43. *bos, piger optat* interpungit Bentl. Mein.

servi, homines leves atque inconstantes, illud semper desideratis, quod procul a vobis est; tu mavis Romae degere et cum cetera mea familia urbana esse *diaria*, demensa,» cibos, qui per singulos dies a dispensatore servis demetiuntur, additis mensae herilis reliquiis. — *rodere*] comice pro «avide manducare.» — *voto ruis*] «Hoc tu summopere optas, ut rursus familiae urbanae aggregeris: contra calo (qui lignorum curam gerit ad usum culinae), homo sane callidus ac vafer, (ut sibi certe videtur, cum me herum interdum decipit et defraudat:) liberum tibi usum rerum ad victum necessariarum invidet, ipsi cum omnia demetiantur et usque ad unciam ponderentur.» — *ephippia*] ἐφιππιον στρῶμα, *Schabracke*, «tegimen equi ad mollem vecturam paratum.» Nonius. Male nonnulli coniungunt *piger caballus*, nam neque pigri est arare velle, et *piger*, tardus, est sua natura bos. Ovid. Am. 1, 13, 16: *Prima vocas tardas sub iuga panda boves.* — *Quam scit*] In proverbium transierat Aristophanis Vesp. 1431. D.: Ἔρδοι τις ἤν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. Cic. Tusc. 1, 17: *Bene enim illo proverbio Graecorum praecipitur: Quam quisque novit artem, hac se exerceat.* — *censebo*] Domini est sententia, quae eadem semper erit, (unde futuro utitur), cui pareat uterque, villicus et calo, necesse est.

# EPISTOLA XV.

## AD NUMONIUM VALAM.

Quae sit hiems Veliae, quod caelum, Vala, Salerni,
Quorum hominum regio et qualis via — nam mihi Baias
Musa supervacuas Antonius, et tamen illis
Me facit invisum, gelida cum perluor unda
Per medium frigus. Sane murteta relinqui
Dictaque cessantem nervis elidere morbum
Sulfura contemni vicus gemit, invidus aegris,
Qui caput et stomachum supponere fontibus audent

XV. C. Numonius Vala (Vellei. 2, 119.) videtur fundos habuisse prope Veliam et Salernum, de quorum oppidorum caelo ac solo eum interrogat, cum in altero utro per hiemem a. u. c. 731—732. degere vellet. Constructio haec est: «Par est te scribere, nos tibi accredere (v. 25.), quae sit hiems, qualis via (vv. 1, 2.), maior utrum populum -- lugis aquae (vv. 14—16.), uter -- reverti» (vv. 22—24.); cetera (vv. 3—13. rursusque 17—21.) in παρενθέσεσι sunt.

1—3. *Veliae*] Hyele, Helia, Ἐλέα, Lucaniae oppidum a Phocaeis conditum notumque propter philosophos Eleaticos, hodie *Alento; Salernum* in agro Picentino, hodieque *Salerno*. — *Quorum hominum*] «qui mores sint incolarum, quae vitae ratio?» — Antonius Musa medicus Augustum arthritide laborantem aquae frigidae perfugionibus et gargarismis curaverat, unde haec medendi via mox magnum plausum nacta est. — *supervacuas -- facit*] «dicit nullum inde commodum ad me redundaturum, immo malum auctum iri.» — *et tamen*] «Et tamen cum Musae potius irasci deberent pristini mei hospites Baiani, a me nunc derelicti, innocens ego iis invisus fio, si pro illorum thermis balneis frigidis utor.»

5—9. *Sane*] «Utique non sine ratione, ut quisque facile intelligit, totum illud oppidum voluptarium negligi nunc queritur aquas suas celebratissimas propterea, quod sulfuris vi benefica etiam longos atque inveteratos morbos expellere e corpore dicuntur.» — *murteta*] Celsus 3, 21, 35: *maxime utiles naturales et siccae sudationes sunt*,

Clusinis Gabiosque petunt et frigida rura.
Mutandus locus est et deversoria nota
Praeteragendus equus. Quo tendis? Non mihi Cumas
Est iter aut Baias, laeva stomachosus habena
Dicet eques; sed equi frenato est auris in ore. —
Maior utrum populum frumenti copia pascat,
Collectosne bibant imbres puteosne perennes
Iugis aquae; nam vina nihil moror illius orae.
Rure meo possum quidvis perferre patique;
Ad mare cum veni, generosum et lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe divite manet
In venas animumque meum, quod verba ministret,

XV. v. 13. *equis* e Codd. Bentl. Mein. v. 16. *Dulcis aquae* Pleraeque Edd., Bentleius non.

*quales super Baias in myrtetis habemus.* Hae sudationes nunc appellantur *le stufe di Tritoli.* — *nervis*] *Sehnen.* — *elidere*] Celsus 2, 15: *Gestatio utilis iis, quibus lentae morborum reliquiae remanent neque aliter eliduntur.* Clusium *(Chiusi)* Etruriae oppidum, notum propter Porsennam regem, *Gabii* Epp. 1, 11, 8.

10—13. *Mutandus*] «Verum, etsi lamentantur Baiani, alium locum aptiorem quaerere mihi certum est.» — Construe: *equus praeteragendus deversoria nota*, quae sunt in via Roma Baias ducente. — *laeva habena*] «non sine stomacho, adducta habena sinistrorsum, equum flectens, simul addo verba *Non — Baias;* sed, ut scis, cum brutis verba nihil iuvant; auris equi est in ore frenato, id est, equos freno moderari oportet, si volumus eos nobis obedire, viamque nobis placitam inire.»

15—25. *Collectos - imbres*] «Volo aquam fontanam, non pluviam in cisternis collectam, et quidem puteos perennes, qui semper aquam praebeant.» — *nihil moror*] «Vina illius tractus cum asperner, nihil de iis te percontor; nam propositum mihi est, aliis quam asperis illis nec valde generosis uti. Atque in Sabino quidem meo *quidvis*, omnis generis cibos ac vina, perferre possum propter aërem, qui concoctionem iuvat, et propter frequentes sub divo ambulationes: contra per hiemem, cum magnam diei partem *contractus lego* (Epp. 1, 7, 12.), vinum *generosum* (a loco et vite) ac *lene* (ab aetate et sapore) requiro, quod vel mecum apportabo vel ibi quoque reperiam in alia regione natum, a propola

Quod me Lucanae iuvenem commendet amicae.
Tractus uter plures lepores, uter educet apros,
Utra magis pisces et echinos aequora celent,
Pinguis ut inde domum possim Phaeaxque reverti,
Scribere te nobis, tibi nos adcredere par est.
Maenius, ut rebus maternis atque paternis
Fortiter absumptis urbanus coepit haberi,
Scurra vagus, non qui certum praesepe teneret,
Impransus non qui civem dignosceret hoste,
Quaelibet in quemvis opprobria fingere saevus,
Pernicies et tempestas barathrumque macelli,
Quidquid quaesierat, ventri donabat avaro.
Hic, ubi nequitiae fautoribus et timidis nil

empturus.» — *echinos*] *Meerigel.* — *adcredere*] «credere propter id ipsum, quod tu sincere mihi exponeres rerum illarum statum.»

26—28. *Maenius*] Cum se per iocum ut deliciarum admodum cupidum ac prope luxuriosum descripsisset, subiicit lepidam de Maenio narratiunculam, qua delectet Numonium: «Nimirum,» inquit, «ego sum prope similis Maenii illius,» de quo vide Sat. 1, 1, 101. et 1, 3, 21. — *certum praesepe*] comice pro mensa.

29. 30. *Impransus*] «cum esuriret.» — *civem dignosceret hoste*] id est, antiquo significatu, «peregrino.» — *opprobria fingere*] «ficta crimina in aliquem conferre.»

31. *Pernicies et tempestas*] Comica haec. Plaut. Capt. 4, 3, 3: *Quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido! — macelli*] ubi obsonia, pisces et caro vendebantur.

33—37. *nequitiae fautoribus*] «iis, qui propter qualemcunque causam, fortasse vel iocum quaerentes, favebant Maenio, homini nequam eiusque similibus scurris.» — *patinas coenabat omasi*] «Tunc igitur si nummis carebat, totas patinas omasi, intestini bubuli, (*Kaldaunen*) et carnis agninae devorabat; quod cum faceret, de vilibus cibis ita se consolabatur, ut tamquam alter Bestius, homo, ut videtur, avarus simulque maledicentissimus, in prodigos ac luxuriosos acriter inveheretur eosque servilibus poenis dignos diceret.» — *patinas coenabat*] Sic Iuven. 1, 94: *Quis fercula septem secreto coenavit avus? — lamna*]. Cic. Verr. Acc. 5, 63: *ignes candentesque lami-*

Aut paullum abstulerat, patinas coenabat omasi,
Vilis et agninae, tribus ursis quod satis esset;
Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos, corrector Bestius. Idem
Quidquid erat nactus praedae maioris, ubi omne
Verterat in fumum et cinerem, Non hercule miror,
Aiebat, si qui comedunt bona, cum sit obeso
Nil melius turdo, nil volva pulchrius ampla.
Nimirum hic ego sum; nam tuta et parvula laudo,
Cum res deficiunt, satis inter vilia fortis;
Verum, ubi quid melius contingit et unctius, idem
Vos sapere et solos aio bene vivere, quorum
Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.

*nae ceterique cruciatus.* Ipsum autem voc. corrector habet nescio quid invidiosi, ut apud Ter. Ad. 4, 7, 23: Mi. - - *id arte ut corrigas.* De. *Corrector! Nempe tua arte viginti minae - - periere.* Cic. Phil. 2, 17: *iam enim, quoniam criminibus eius satis respondi, de ipso emendatore ac correctore nostro quaedam dicenda sunt.*

38—41. *Quidquid*] Construe: «Ubi abligurierat *omne, quidquid erat nactus*» cet. (Cic. de Off. 3, 13: *neque enim id est celare, quidquid reticeas.*) — *comedunt bona*] *Comedere bona* etiam Cic. pro Sestio 51. — *volva*] suilla, quo ferculo variis rebus condito mirum in modum delectabantur antiqui.

42—46. *Nimirum*] «Talis videlicet ego quoque sum, et quis non?» — *unctius*] «lautius,» ut Epp. 1, 14, 21. 17, 12. — *nitidis*] «quorum ex villis splendidis, marmore candentibus, statim colligimus, vos divites esse et insuper vestras fortunas in iisdem villis bene ac tuto collocatas esse, melius utique, quam si in fenore positae essent.» Sic Cic. pro C. Rab. Post. 1: *fortunas fundatas atque optime constitutas* dixit.

# EPISTOLA XVI.

## AD QUINCTIUM.

Ne perconteris, fundus meus, optime Quincti,
Arvo pascat herum, an bacis opulentet olivae,
Pomisne, an pratis, an amicta vitibus ulmo,
Scribetur tibi forma loquaciter et situs agri.
Continui montes, ni dissocientur opaca
Valle, sed ut veniens dextrum latus adspiciat Sol,

XVI. Ambigunt interpretes, utrum hoc epistolium scriptum sit ad Quinctium Hirpinum (Od. 2, 11.), an ad T. Quinctium Crispinum Sulpicianum, triumvirum A. A. A. F. F., Augusti aequalem (Eckhel D. N. 5. p. 291.), qui idem videtur cum T. Quinctio Crispino, cos. a. u. c. 745. «Ego, care, beatus sum, quem ad statum vitae cuivis optandum inter res externas permultum confert Sabinum meum: tu item cura, ut, quemadmodum mereris, beatus fias, illud γνῶθι σεαυτὸν in primis probe exercens atque ab animi perturbationibus liberum te servans.» Praeter ceteros autem consule Iacobs Lectt. Venus. p. 47., qui egregie defendit bonum illum Quinctium a conviciis, quibus eundem lacerarunt Interpretes, tamquam captator fuerit aurae popularis atque externa specie frugi hominem probumque se esse simularit.

1 — 3. *Ne perconteris, - - Scribetur*] «Scio gratum tibi fore, si formam fundi mei ultro tibi descripsero; itaque noli me ea de re percontari.» — *Arvo pascat herum*] «Nam fortasse tu credis fertilissimum esse meum Sabinum; verum exigui sane est reditus, mihi tamen carissimum propter situm amoenum.» — *Opulentare* pro «locupletare, ditare» primum apud Horatium reperitur. — *vitibus ulmo*] Singulari arte τῷ ἀχνύρῳ, quasi *ulmus* herum pasceret; non *vitis*, usus est, ut in summa sermonis simplicitate poëta tamen maneret.

5 — 7. *Continui montes*] «perpetuo dorso inter se iuncti nisi dissociarentur valle angusta et propterea *opaca* propter montium umbras se prope tangentes.» Ex Sickleri descriptione est mons Ustica, in cuius radicibus villa Horatii sita erat, et alter clivus, in quo Vacunae templum erat, hodie *Rocca giovine*; vallis autem inter utrumque montem est vallis Digentiae, hodie *Val di Licenza*,

Laevum discedens curru fugiente vaporet.
Temperiem laudes. Quid, si rubicunda benigni
Corna vepres et pruna ferant? si quercus et ilex
Multa fruge pecus, multa dominum iuvet umbra?
Dicas adductum propius frondere Tarentum.
Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
Frigidior Thracam nec purior ambiat Hebrus;
Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
Hae latebrae dulces, etiam, si credis, amoenae,

XVI. v. 7. *descendens* Codd. aliq. *decedens* Bentl. coni. v. 8. Al. *benignae*, al. *benigne*. v. 9. *ferunt* Bentl. v. 10. *iuvat* Bentl. v. 14. *aptus et utilis* Mein. v. 15. *et (iam si credis) amoenae* Bentl. coni. *et iam, si cr., am.* Gesner.

quae clauditur Lucretili, *Monte Gennaro*. Totus autem tractus ei, qui a Tibure via Valeria per Variam *(Vicovaro)* et Mandelam *(Bandela)* vallem illam ingrediebatur, ob oriente ad occidentem vergere videbatur, ita ut sol mane radiis collustraret Horatii fundum, sub vesperam sinistrum latus, clivum Vacunae. Quodsi quis Lucretilem enisus in poëtae praedium descenderet, vallis ab occidente ad orientem extendi videbatur. — *vaporet*] «vapore obducat» *(umdunstet)*, ut fit vesperi sub caelo Italico.

8—11. *Quid, si*] «Quid dices, si tibi scribam vepres ferre corna cet.» Facete sane de cornis et prunis *(Kornellen und Schlehen)* tamquam de fructibus perbonis ac grati saporis verba facit. — *benigni*] «largi;» alii *benignae*, ut est gen. fem. Lucret. 4, 60. Vepribus ipsis hanc largitatem tribui sane ποιητικώτερον est quam al. *benigne*. — *vepres*] partim sponte ibi crescentes, partim saepium vivarum (quae structilibus et maceriis opponuntur:) loco plantatae. — *quercus et ilex*] «*Sommer- und Steineiche* Passow: *der Eichen Geschlechter*» Voss. — *fruge*] pro «fructu,» glandibus, quibus porci pascebantur. — *Tarentum*] cuius situs est perquam amoenus. Hoc igitur dicit: «Tarentum huc tralatum dicas.»

12 — 13. *Fons*] Fontem hunc Bandusiam volgo appellant; alii rectius fontem quoque ut rivum Digentiae nomen habuisse rentur. — *dare idoneus*] ἱκανὸς δοῦναι, id est, «adeo aquâ abundans, ut et fonti et rivo, qui ex eo profluit, proprium Digentiae nomen inditum sit, cum minores rivi proprio nomine carere soleant.» — *Hebrus*] Venusta hyperbola Digentiam cum Hebro amne saepe a poëtis in rebus ad Liberum patrem spectantibus celebrato comparat.

15. 16. *latebrae*] «Hae solitu-

**Incolumem tibi me praestant Septembribus horis.**
**Tu recte vivis, si curas esse quod audis.**
**Iactamus iampridem omnis te Roma beatum;**
**Sed vereor, ne cui de te plus quam tibi credas,**
**Neve putes alium sapiente bonoque beatum;** 20
**Neu, si te populus sanum recteque valentem**
**Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi**
**Dissimules, donec manibus tremor incidat unctis.**
**Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.**

dines *dulces* mihi, immo, ut plus dicam, *etiam amoenae*, id est, vel tales, ut tu quoque et quivis alius amoenas esse concederetis, si apud me essetis, illud ante omnia mihi praebent, ut propter caelum salubre et aquam purissimam etiam gravissimo anni tempore (*letifero auctumno* Iuv. 4, 56.) hic bene valeam; id quod tibi gratum fore confido.» — *si credis*] Facete significat fieri posse, ut ea de re dubitet amicus. — *praestant*] «servant» potius quam «sistunt.» Ea significatio hic locum habet, ex qua *praestare* saepe est *gewährleisten, garantir.* — *Septembribus*] Cfr. Sat. 2, 6, 19: *Auctumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.*

17. *Tu recte*] «Ego, ut perspicis ex his, quae tibi scripsi, me beatum esse duco; similiter te cives tui beatum praedicant. Quo magis cave, ne decipiaris externa rerum specie neu te transversum agant volgi iudicia persaepe fallacia, adeo ut negligas proprium studium veram beatitudinem, quae unice in temet ipso sita est, et adipiscendi et conservandi.» — *audis*] «diceris esse,» ut κλύεις, ἀκούεις. «Hoc autem dictum est Socraticum, cuius meminit Cic. de Offic. 2, 12: *hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset.*» Comm. Cr.

18—24. *beatum*] probabiliter non tantum propter opes, sed etiam propter honores, quos iam tum videtur gessisse. — *quam tibi*] Cic. ad Fam. 2, 7: *Tecum loquere*, (Curio), *et te adhibe in consilium, te audi, tibi obtempera.* — *alium sapiente*] Epp. 2, 1, 139. *altus Lysippo.* Graeci ἄλλον τοῦ σοφοῦ. — *Dissimules*] «Neu propter falsum quendam pudorem contra multitudinis opinionem ac iudicium, ex quo recte vales, nolis aegrotus videri coram convivis mensae tuae accumbentibus (vel quo minus eos perturbes vel quo liberius possis cibis quibusvis vesci.)» — *tremor*] Hora nona, qua ferme coenabant, febres ingravescere solent. — *unctis*] iure et adipe. Ovid. A. A. 3, 755: *Carpe cibos*

Si quis bella tibi terra pugnata marique
Dicat et his verbis vacuas permulceat aures:
Tene magis salvum populus velit, an populum tu,
Servet in ambiguo, qui consulit et tibi et urbi,
Iuppiter; Augusti laudes agnoscere possis:
Cum pateris sapiens emendatusque vocari,
Respondesne tuo, dic sodes, nomine? Nempe
Vir bonus et prudens dici delector ego ac tu.

v. 30. *Cum cupias* Codd. aliq. perboni.

*digitis; est quidam gestus edendi: Ora nec immunda tota perunge manu.* — *incurata*] «quia medico non monstrantur, sine curatione manent.» — *pudor malus*] A. P. 88. *pudens prave.* Notat hanc *δυσωπίαν* Celsus 3, 2: *Neque dubium est, quin vix quisquam, qui non dissimulavit, sed per abstinentiam mature morbo occurrit, aegrotet.* «Aeque stultus est,» inquit, «qui animi morbos, id est, vitia; celat, ne corrigantur a sapientioribus.»

25—29. *bella tibi terra pugnata marique Dicat*] Iunge *bella tibi* (a te) *pugnata*, non: *tibi dicat bella.* «Si quis coram te memoret res a te terra marique vel Augusto ipso vel M. Agrippa duce gestas, et nimia adulatione usus subiungat atque ad te applicet versus a Vario in Augusti laudes nuper compositos, haec fere dicens: Cum igitur virum fortissimum te praestiteris et civem e re publica, Iuppiter servet in ambiguo cet.» Non sine arte sic, ut nos interpretamur, tres una laudantur, Quinctius propter fortitudinem in bellis comprobatam, Augustus dux, Varius Augusto dignus poëta atque Horatii amicus. — *vacuas*] ut Pers. 4, 50: *Nequicquam populo bibulas donaveris aures;* «laudis cupidas et adulationi patentes.» — *permulceat*] «grato modo tangat.» Cic. Orat. 49: *Duae sunt res, quae permulceant aures, sonus et numerus.* — *Tene magis*] «Hi versus sunt Varii in Panegyrico Augusti.» Acr. et Comm. Cr. — *possis*] «Si, inquam, haec coram te aliquis dicat, sane agnoscas (facile sentias) ea uni Augusto tribui posse, et illico respuas adulationem tam exaggeratam. Alia fortasse res erit, si quis te sapientissimum vitiisque omnibus carentem praedicet; fieri enim posset, ut quemadmodum solent plerique, tu quoque hanc laudem in te merito conferri existimares.»

31 — 35. *Respondesne*] «Annuisne nimio tuo laudatori, militis instar, qui ex albo nomine citatus, statim respondet, se adesse, an dicis, te tantum praeconium non mereri?» — *Vir bonus*] «Dices tu fortasse: Quid, quaeso,

Qui dedit hoc hodie, cras, si volet, auferet, ut si
Detulerit fasces indigno, detrahet idem.
Pone, meum est; inquit. Pono tristisque recedo.
Idem si clamet furem, neget esse pudicum,
Contendat laqueo collum pressisse paternum;
Mordear opprobriis falsis mutemque colores?
Falsus honor iuvat et mendax infamia terret
Quem nisi mendosum et mendacem? Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges iuraque servat,

v. 40. *et medicandum* e Codd. Bentl. Mein., *et mendicum* e Codd. Hocheder.

magis consentaneum est naturae humanae quam ut quisque vir bonus dici cupiat? Quocirca ego quoque hoc aveo et certus sum te idem avere.» Horatius: «Verumtamen talia volgi iudicia semper fallacia sunt atque incerta, ita, ut, nisi virtus tua nitatur fundamento longe firmiore, id est, recta conscientia, quotidie excidere bona illa apud multitudinem fama nec tamen, ut facit vere sapiens, mutatam hanc eius opinionem propter magnitudinem animi secure despicere queas.» — — *meum est*] «Id quod ultro tibi aliquando dedi, tu precario possides.» — *tristisque recedo*] «Aliter fieri nequit, quam ut, etsi invitus maestitiaque affectus, populi iussis obsequar.»

36 — 37. *Idem*] «Idem volgus si falsa opprobria in me iecerit, (id quod haud minus fieri potest, quam ut falsis laudibus me onerat:) stultus profecto essem, si talia crimina me perturbarent ac de animi statu deiicerent.» — *laqueo pressisse*] Usitatius est *cervices frangere alicui laqueo* pro *strangulare*. Cfr. ad Od. 2, 13, 5. — Tria autem memorat scelera, quae in ipsius personam minime cadebant, cum homo sane esset ab omni quaestu illicito alienus, pudicus in aetatulae flore (Sat. 1, 6, 82.), patris amantissimus.

40 — 42. *et mendacem*] «Idem qui perpetuo mentitur aliosque decipere cupit, dum se bonum sapientemque esse simulat, propter id ipsum mendaci infamia terreatur necesse est.» — *Vir bonus*] «Iam vero,» inquit, «accuratius etiam popelli iudicia excutiamus, quo quam levia sint quantumque a vera sapientia abhorreant, perspiciamus eaque contemnere discamus. Sic virum bonum appellat volgus, cuius vita quidem civilis certa quadam auctoritate gaudet nec reprehensioni obnoxia est, dum vicinia, quae

Quo multae magnaeque secantur iudice lites,
Quo res sponsore et quo causae teste tenentur.
Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota
Introrsum turpem, speciosum pelle decora.
Nec furtum feci nec fugi, si mihi dicat
Servus, Habes pretium, loris non ureris, ait.
Non hominem occidi. Non pasces in cruce corvos.
Sum bonus et frugi. Renuit negitatque Sabellus:
Cautus enim metuit foveam lupus accipiterque

v. 43. *responsore* Codd. pleriq. Lamb. v. 45. *Hunc prorsus turpem* Mein.

eius mores melius novit, non ignorat eiusdem vitam domesticam esse turpissimam.» — *Qui consulta patrum*] Senatus consulta iam tum iuri civili adnumerari coepta erant, saltem ex parte. Gaius 1. §. 7: *Senatus consultum legis vicem obtinet, quamquam fuit quaesitum.* — *secantur*] «deciduntur, transiguntur.» Cfr. Sat. 1, 10, 14. Arbitria potissimum significat, quae a litigantibus ad eum deferuntur, quia in rebus pecuniariis homo integer atque honestus existimatur.

43. *res sponsore*] Cfr. Pers. 5, 79: *Marco spondente, recusas Credere tu nummos?* «Quem omnes pro sponsore satis locupletem habent, cuius in fide tuto adquiescant. Pariter ubi testis in iudicio est productus, nemo eum verum testimonium dicere addubitat, ideoque is, pro quo dicit, facile causam obtinet, vincit adversarium.»

45—49. *Introrsum*] «intus,» ut Sat. 2, 1, 64: *introrsum turpis*, ubi vide. Mira illa lectio apud Meineckium *Hunc prorsus turpem* est Hauthalii coniectura reperta postea ab eodem in Codd. aliq., sed orta ex mero errore duorum Codd. apud eundem (ad Persii Sat. I. p. 8.), *in prorsum* superscr. *t* litterae *p*. — *Nec furtum*] «Neque aliud profecto est, si ad veri trutinam exigatur plebis de viro illo bono iudicium, quam si servus aliquis ideo bonus et frugi haberi velit, quod immunis sit a vitiis severa punitione dignis.» — *Habes pretium*] «Satis te pro tam praeclaris virtutibus remunerari mihi videor.» — *ureris*] Epod. 4, 5: *Ibericis peruste funibus.* — *frugi*] χρήσιμος, *brav*, quae summa erat servi laus. — *Sabellus*] «ac vel propterea homo simplex et verax.» Sic autem se appellat propter praedium Sabinum potius puto quam quod patria Venusia olim a Sabellis, Samnii populo, habitata erat.

Suspectos laqueos et opertum miluus hamum.
Oderunt peccare boni virtutis amore;
Tu nihil admittes in te formidine poenae.
Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis:
Nam de mille fabae modiis cum surripis unum, 55
Damnum est, non facinus, mihi pacto lenius isto.
Vir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal,
Quandocunque deos vel porco vel bove placat,
Iane pater, clare, clare cum dixit, Apollo:
Labra movet metuens audiri: Pulchra Laverna, 60
Da mihi fallere, da iusto sanctoque videri,
Noctem peccatis et fraudibus obiice nubem.

51. 52. *opertum*] «esca occultatum,» ut Epp. 1, 7, 74: *hamus occultus*. — *miluus*] piscis rapax ex doradum genere, non eiusdem nominis avis, quamquam Voss vertit *der Weih*. — *Tu*] generatim, ut saepe in Stoicorum διατριβαῖς, non ut ad Quinctium referatur. — *formidine poenae*] «Atque propterea, si talis homo speret clam fore maleficium, pessimis quibusque facinoribus se conscelerabit, etiam sacrilegio.»

56. *pacto-isto*] «ea ratione, quam *tus*» (non Quinctius, sed ficta persona, quam alloquitur:) «sequi soles.» Dictum est autem ut Od. 2, 19, 15: *non leni ruina*; «damnum quod, quia exiguum, lenius feras.»

57—62. *Vir bonus*] ille plebeculae, κατ' εἰρωνείαν. — *Laverna*] «Laverna in via Salaria lucum habet; est autem dea furum (sive, ut ait Arnobius 4, 24: *cum Mercurio simul fraudibus praesidet furtivis*:) et simulacrum eius fures colunt, et qui consilia sua volunt tacita; nam preces eius cum silentio exercentur.» SCHOL. Novius Bothe p. 56: *Per deam sanctam Lavernam, quae sit cultrix quaestuis! — fallere*] non tam «decipere homines» quam «latere.». — *nubem*] quemadmodum dii apud Homerum heroibus, quos cum maxime tutantur. Totum locum imitatus est Persius 2, 5. Illa *Labra movet* sic expressit: *Illa sibi introrsum et sub lingua immurmurat* cet.

63—68. *Qui melior*] «Verum ex Stoicorum doctrina ita potius est iudicandum, eiusmodi *virum bonum* haudquaquam meliorem esse servo nequam.» — *assem*] Pers. 5, 111: *Inque luto fixum possis transcendere nummum*; ubi Pseudocornutus: «Solent pueri, ut ridendi causam habeant, assem in silice plumbatum affigere, ut, qui viderint, se ad colligendum in-

Qui melior servo, qui liberior sit avarus,
In trivîs fixum cum se demittit ob assem,
Non video; nam qui cupiet, metuet quoque; porro,
Qui metuens vivet, liber mihi non erit unquam.
Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in augenda festinat et obruitur re.
Vendere cum possis captivum, occidere noli;
Serviet utiliter: sine pascat durus aretque,
Naviget ac mediis hiemet mercator in undis;
Annonae prosit; portet frumenta penusque.
Vir bonus et sapiens audebit dicere: Pentheu,

v. 72. *penumque* Mein.

cliuent nec tamen possint evellere, quo facto pueri «*etiam!*» clamitare solent, «*etiam!*» — *porro*] «Huic sententiae tamquam corollarium, (quod dicunt posteriores) adiungo, liberum non mihi videri» cet. — *Perdidit arma*] «Ῥίψασπις et λειποτάκτης est, hoc est, summa ignominia dignus.» Modestinus Pand. 49. De re militari: *Miles, qui in bello arma amisit vel alienavit, capite punitur.* Torr. — *obruitur re*] «id est, pecunia, veluti terrae labe; ita ut ab ea impeditus libere movere sese nequeat.»

69 — 72. *captivum*] Pergit in eadem allegoria, divitem avarum cum captivo contemptim comparans. — *occidere*] ex iure quidem belli. — *durus*] «cuivis etiam molestissimo labori perquam idoneus.» — *aretque*] Sal. Cat. 4: *agrum colendo aut venando, servilibus officiis intentum, aetatem agere.* — *Naviget*] Amara εἰρωνείᾳ significat etiam ingenuorum mercaturam ac negotiationem a servilibus officiis non longe distare. — *Annonae prosit*] «Negotiator eam in Urbe viliorem reddat, dum ex Aegypto et Africa magnam frumenti vim adportat.» — *penusque*] «omnis generis utensilia.» Cic. de N. D. 2, 27: *Omne, quo vescuntur homines, penus.* H. l. explico potissimum de omnis generis salgamis, quae ex transmarinis regionibus advehebantur, de ταρίχει, garo, allece cet. Ex Codd. autem testimonio videtur praetulisse formam volgarem *penus, penoris;* contra Virg. Aen. 1, 704. *longam - - penum* dixit.

73 — 79. *Vir bonus*] «Contra viri vere boni imago est illa apud Euripidem.» Bacch. 492: Διόνυσος· Εἶφ' ὅ τι παθεῖν δεῖ· τί με τὸ δεινὸν ἐργάσει; Πενθεύς· Πρῶτον μὲν ἁβρὸν βόστρυχον τεμῶ σέθεν. Δ. Ἱερὸς ὁ πλόκαμος·

**Rector Thebarum, quid me perferre patique**
**Indignum coges? Adimam bona. Nempe pecus, rem,** 75
**Lectos, argentum? Tollas licet. In manicis et**
**Compedibus saevo te sub custode tenebo.**
**Ipse deus, simul atque volam, me solvet. Opinor,**
**Hoc sentit: Moriar. Mors ultima linea rerum est.**

τῷ θεῷ δ' αὐτὸν τρέφω. Π. Ἔπειτα δύρσον τόνδε παράδος ἐκ χερῶν. Δ. Αὐτός μ' ἀφαιροῦ· τόνδε Διονύσου φορῶ. Π. Εἱρκταῖσί τ' ἔνδον σῶμα σὸν φυλάξομεν. Δ. Λύσει μ' ὁ δαίμων αὐτός, ὅταν ἐγὼ θέλω. Apud Euripidem igitur est Bacchus, qui coram Pentheo sacerdotem se illius simulat; quem locum Horatius de morte a sapiente, ubi necessaria ei videatur, sponte sumenda interpretatur. — *simul atque volam*] ex constanti quidem Stoicorum doctrina. Diog. Laërt. 7, 130. in Zenone: Εὐλόγως τέ φασιν ἐξάξειν ἑαυτὸν τοῦ βίου τὸν σοφὸν καὶ ὑπὲρ πατρίδος καὶ ὑπὲρ φίλων· κἂν ἐν σκληροτέρᾳ γένηται ἀλγηδόνι ἢ πηρώσεσιν ἢ νόσοις ἀνιάτοις. Quod praeceptum secutus est Zeno ipse. Ibid. 28. — *solvet*] Plutarch. Consol. 13: ἐὰν καθαρεύωμεν ἀπὸ τοῦ σώματος, ἕως ἂν ὁ θεὸς αὐτὸς ἀπολύσῃ ἡμᾶς. Seneca Ep. 10: *Nobis solvi perire est.* — *ultima linea*] Est imago a circo petita, alba linea ad metam, sulco calce vel creta repleto, cui opponuntur carceres. Cic. de Sen. 23: *Si quis deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repuerascam et in cunis vagiam, valde recusem nec vero velim, quasi decurso spatio, a calce ad carceres revocari.* Eurip. Antig. Fr. 13: Ἔσχ' ἄκραν ἥκομεν γραμμὴν κακῶν. «Mors,» inquit, «aerumnarum atque omnino rerum humanarum est finis.»

# EPISTOLA XVII.

## AD SCAEVAM.

**Quamvis, Scaeva, satis per te tibi consulis et scis**
**Quo tandem pacto deceat maioribus uti;**
**Disce, docendus adhuc quae censet amiculus, ut si**
**Caecus iter monstrare velit; tamen adspice, si quid**
**Et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur.**
**Si te grata quies et primam somnus in horam**
**Delectat, si te pulvis strepitusque rotarum,**
**Si laedit caupona, Ferentinum ire iubebo:**

XVII. Scaeva, eques, ut aiunt Scholiastae, Romanus, alioquin est ignotus. Suspicantur nonnulli filium fuisse Cassii Scaevae, centurionis Caesariani fortissimi (Caesar B. C. 3, 53.) Huic igitur amico iuniori viam monstrat, qua potentiorum favorem sibi paret, ita tamen, ut nec libertatem ingenuo homini necessariam unquam exuat neque adulationis culpam contrahat. Simul significat lectoribus, quomodo ipse cum Augusto et Maecenate amice atque officiose, sed tamen libero animo vivere soleat, adeo ut nemo eum propter hanc cum superioribus necessitudinem reprehendere possit. Scripta est fortasse a. u. c. 735.

1 — 5. *Quamvis*] cum indicativo, ut v. 22. et Epp. 1, 14, 6. ut contra *quamquam* cum coniunctivo Virg. Aen. 6, 394. cet. — *per te*] «sine alterius praecepto;» «etsi me non eges consultore.» *amiculus*] Catull. 30, 2. Diminutivum teneram, qua in Scaevam animatus sit, amicitiam exprimit. — *docendus adhuc*] «egomet ipse praeceptoris indigens;» minus recte alii iungunt, *disce docendus adhuc*, pro *docende*. — *proprium fecisse*] ἰδιοποιῶς, «in rem tuam vertere,» degenerantis Latinitatis *appropriare*.

6 — 10. *primam - - horam*] diei civilis inde a solis ortu; diversa igitur fuit ex singulorum anni temporum ratione. — *rotarum*] et proprii cisii et ceterorum, quibus vehitur patronus eiusque comitatus. — *caupona*] Cauponae per vias publicas et in oppidulis tunc pessimae erant. Hoc igitur dicit: «Si te offendunt multa illa itinerum incommoda, sane desistendum tibi erit a proposito» cet. — *Ferentinum*] Hernicorum oppidu-

Nam neque divitibus contingunt gaudia solis,
Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit.
Si prodesse tuis paulloque benignius ipsum
Te tractare voles, accedes siccus ad unctum.
Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus. Si sciret regibus uti,
Fastidiret olus, qui me notat. Utrius horum
Verba probes et facta, doce, vel iunior audi,
Cur sit Aristippi potior sententia; namque

lum; «municipium viae Lavicanae ad XLVIII. lapidem.» Comm. Cr. In locis illis solitariis Scaeva fortasse praedium possidebat. — *fefellit*] «qui semper latuit, vixit ignotus.» Significat Epicuri illud λάθε βιώσας.

11. 12. *prodesse tuis*] «quatenus in tuos cognatos ac necessarios redundat favor amici potentis.» — *benignius*] «lautius vivere,» «largius Genio indulgere.» — *siccus*] «pauper ac tenuis ad opulentum et locupletem.» Comm. Cr. *Unctus* is est, qui lauta praebet convivia, ut Epp. 1, 15, 44. His opponuntur *sicci*, «qui propter paupertatem cibis utuntur simplicissimis quibusque, *siccantes cibum ab omni iurulentia*,» ut ait Tertull. de Ieiuniis 1. Similiter Cic. pro S. Roscio 27: *victus aridus*.

13 — 15. *Si pranderet*] Verba Diogenis Cynici. Diog. L. 2, 68: Παριόντα ποτὲ Ἀριστιππον λάχανα πλύνων Διογένης ἔσκωψε καί φησιν: Εἰ ταῦτὰ ἔμαθες προσφέρεσθαι, οὐκ ἂν τυράννων αὐλὰς ἤσπάζου. Ὁ δὲ, καὶ σύ, εἶπεν, εἰπὲρ ἤθελες ἀνθρώποις ὁμιλεῖν, οὐκ ἂν λάχανα ἔπλυνες. — *regibus*] Diogenes intelligebat Dionysium, Syracusanorum tyrannum, quocum diutius versatus est Aristippus. Lucianus de Paras. 33: Ἀριστιππος ὁ Κυρηναῖος διέτριβεν ἐν Συρακούσαις παρασιτῶν Διονυσίῳ· πάντων γοῦν ἀμέλει τῶν παρασίτων αὐτὸς εὐδοκίμει παρ' αὐτῷ. — *notat*] «reprehendit,» pr. de censoribus.

18. 19. *eludebat*] pr. de gladiatoribus, qui ictus adversariorum corporis inclinatione vitant. — *Scurror*] «Fieri potest,» inquit Aristippus κατ' εἰρωνείαν,» ut, quemadmodum tu me vocas, scurra sim re vera; sed ego *mihi*, meam in rem, scurror; tu multitudini, cuius applausum et vilia dona captas abolla, qua indutus es, dolio, in quo habitas, dictis mordacibus, miris corporis exercitationibus, ut cum aestate in fervida arena te volutas, hieme statuas nive contectas amplexaris. Itaque *hoc*, quod ego facio, multo et rectius et lautius est, quam tua scurrilitas.»

**Mordacem Cynicum sic eludebat, ut aiunt:**
**Scurror ego ipse mihi, populo tu: rectius hoc et**
**Splendidius multo est. Equus ut me portet, alat rex,**
**Officium facio: tu poscis vilia rerum,**
**Dante minor, quamvis fers te nullius egentem.**
**Omnis Aristippum decuit color et status et res,**
**Tentantem maiora, fere praesentibus aequum.**
**Contra, quem duplici panno patientia velat,**
**Mirabor, vitae via si conversa decebit.**

20 — 22. *Equus*] Proverbium graecum. Diogenian. 5, 31. p. 195. Gaisf.: *Ἵππος με φέρει, βασιλεύς με τρέφει· Κορραῖόν φασιν ὑπὸ Φιλίππου στρατευόμενον ἱππέα, τῆς μητρὸς δεομένης αἰτήσασθαι ἄφεσιν τῆς στρατείας, εἰπεῖν τοῦτο.* — *rex*] Sic Graeci *τὸν δεσπότην* opponunt *τῷ παρασίτῳ*. — *Officium facio*] «Amicitiae officio fungor, omni observantia colens regem meum, animi tamen libertate conservata.» Non est *τὸ καθῆκον* universe, sed quaecunque in regis honorem atque ad eius placitum fiunt; *facere* autem *officium* pro volgari «exsequi officium,» «satisfacere officio;» simul his vv. corrigit ironicum illud *Scurror*: «Non sum scurra,» inquit, «verum homo officiosus.» — *poscis*] Diog. L. 6, 46: *χρημάτων δεόμενος ἀπαιτεῖν ἔλεγε τοὺς φίλους, οὐκ αἰτεῖν.* — *vilia rerum*] ut Sat. 2, 2, 25: *vana rerum*. A. P. 49: *abdita rerum*. Intellige autem poma, caricas, saperdas, panem secundarium, centonem: «quae poscens tu ipse confiteris, te etiam volgo *minorem*, id est, inferiorem esse.» Ipse Diogenes de se apud Diog. L. 6, 60: *Κύων καλοῦμαι τοὺς μὲν διδόντας σαίνων, τοὺς δὲ μὴ διδόντας ὑλακτῶν, τοὺς δὲ πονηροὺς δάκνων.* — *nullius*] Propter oppositionem *Dante minor* melius videtur, ut hoc v. habeamus pro genere masculino quam pro neutro. Diog. L. 6, 55: *Πρὸς τοὺς συμβουλεύοντας τὸν ἀποδράντα αὐτοῦ δοῦλον ζητεῖν, Γελοῖον, ἔφη, εἰ Μάνης μὲν χωρὶς Διογένους ζῇ, Διογένης δὲ χωρὶς Μάνου οὐ δύναται.*

23—25. *Aristippum*] Plutarch. de Tranq. an. 8: *ὁ Ἀρίστιππος ἀγαθὸς, ὥσπερ ἐπὶ ζυγοῦ πρὸς τὰ βελτίονα τῶν ὑποκειμένων ἐξαναφέρειν καὶ ἀνακουφίζειν αὑτόν* — *color*] «externa vitae species atque condicio.» — *status*] «rationes cum aliis et necessitudines.» — *res*] «res familiaris, qualiscunque diversis temporibus erat.» — *fere*] *im Ganzen genommen.* — *quem duplici*] Diogenem, qui ut satisfaceret doctrinae suae, cuius primum caput erat *patientia* (*καρτερία, τλημο-*

**Alter purpureum non exspectabit amictum,**
**Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet,**
**Personamque feret non inconcinnus utramque;**
**Alter Mileti textam cane pejus et angui**
**Vitabit chlamydem, morietur frigore, si non**
**Rettuleris pannum. Refer et sine vivat ineptus.**
**Res gerere et captos ostendere civibus hostes**
**Attingit solium Iovis et caelestia tentat:**
**Principibus placuisse viris, non ultima laus est.**

σύνη,) tolerantia laboris, inopiae, dolorum: pro pallio et tunica contentus erat una abolla ex (vili) panno confecta, qua *dupliciter* amiciebatur. Cynicorum hunc habitum ideo vocabant *διπλοΐδα*.

27. *Alter purpureum*] Diog. L. 2, 66: *διό ποτε Στράτωνα, οἱ δὲ Πλάτωνα, πρὸς αὐτὸν εἰπεῖν, Σοὶ μόνῳ δέδοται καὶ χλαμύδα φορεῖν καὶ ῥάκος.* «Aristippus contra, ut in publicum prodeat, non exspectabit, donec a fautore aliquo purpureum pallium dono accipiat, sed simplicissima veste indutus, sine falso pudore, aequissimo animo per medium forum incedet, aeque apte et pauperis et divitis partes agens.» —

30—32. *Mileti textam*] Purpurae Milesiae propter lanae praestantiam inter pretiosissimas erant. Virg. Ge. 3, 306. — *cane pejus et angui*] Proverbium de rebus, a quibus maxime abhorremus quasque mali ominis esse ducimus. — *Vitabit chlamydem*] Arrian. Epict. 1, 24. p. 122. Schw.: *Διογένης τὸ γυμνὸν εἶναι λέγει, ὅτι κρεῖσσόν ἐστι πάσης περιπορφύρου.* Comm. Cr.: «Aiunt Aristippum, invitato Diogene ad balneas, dedisse operam, ut omnes prius egrederentur, ipsiusque pallium induisse eique reliquisse purpureum; quod Diogenes induere cum nollet, suum repetiit. Tum Aristippus increpuit Cynicum famae servientem, qui algere mallet quam conspici in veste purpurea.» — *sine vivat*] «Quin igitur desinis iocari cum tali homine et reddis ei *διπλοΐδα*, facile ei concedens, ut semper et ubique indulgeat suis ineptiis?»

33—36. *Res*] «Res magnas gerere in bellis et triumphare de hostibus devictis quam proxime accedit ad divinitatem et immortalem gloriam meretur; verum etiam *principibus*» cet. Significat praeter ceteros Augustum et Agrippam, «cuiusmodi viris inter aequales primariis ubi placueris, meritorum tuorum atque ingenii insigne erit testimonium.» — *caelestia tentat*] «laboribus suis immortalitatem petit.» — *Non cuivis*] Proverbium graecum (*Οὐ παντὸς*

**Non cuivis homini contingit adire Corinthum.**
**Sedit, qui timuit, ne non succederet: esto.**
**Quid, qui pervenit, fecitne viriliter? Atqui**
**Hic est aut nusquam, quod quaerimus. Hic onus horret,**
**Ut parvis animis et parvo corpore malus:** 40
**Hic subit et perfert. Aut virtus nomen inane est,**
**Aut decus et pretium recte petit experiens vir.**
**Coram rege sua de paupertate tacentes**
**Plus poscente ferent: distat, sumasne pudenter,**

XVII. v. 43. *suo* Codd. plerique. Lamb. Mein.

*ἀνδρὸς εἰς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς*'), de cuius origine ambigebant iam antiqui. Primaria tamen eius sententia videtur ea, quam memorant Paroemiographi Gaisfordii omnes: *ἡ Κόρινθος πολλὰς ἔσχεν ἑταίρας, αἳ τοὺς ἀφικνουμένους τῶν ξένων ἐδασμολόγουν τὰ ἐφόδια λαμβάνουσαι.* «Difficillimum est inceptum amicitiam potentiorum quaerere; est hominis animosi nulloque obstaculo perterrefacti, sed quemadmodum est in proverbio, *Non cuivis:* qui Corinthum iter habebat, aequo animo exspectare debebat, se quoque misere exspoliatum iri ab *ἱεροδούλοις* illis, *πολυξέναις νεανίσιν* Pindari, aut omnino renuntiare incepto illuc navigandi.»

37—42. *Sedit*] ut *καθῆσθαι*, «cessat, turpi otio torpet.» — *esto*] *meinetwegen!* «Quid curamus hominem ignavum? Contra ille, qui molestiis periculisque superatis ad finem suum tandem pervenit, nonne is egit animose? Atqui in hoc ipso, in strenue impigreque agendo cardo vertitur rei, de qua quaerimus; aut fortiter sciteque inceptum nostrum peragamus neque unquam animum despondeamus, aut, si propter inertiam cessaverimus, digni sane erimus, qui contemnamur.» — *Hic est*] «hoc loco.» — *onus horret*] «magnopere reformidat;» eadem constr., qua Cic. ad Att. 9, 2: *ingrati animi crimen horreo.* — *virtus*] «Aut fatendum est, falsa opinione, non re, niti virtutem, aut, si eius pretium ultro agnoscimus, propter eam difficillima quaeque et perpetranda et toleranda sunt.» — *recte*] «iure ac merito.» — *experiens vir*] «qui omnia experitur, quo ad propositum suum perveniat;» *entschlossen, unternehmend.* Cic. pro Cluent. 23: *A. Aurius vir fortis et experiens.*

43—45. *rege*] amico suo potentiore,» ut Epp. 1, 7, 37. — *Atqui rerum*] Est *ἀναφορὰ* vel *κλίμαξ* v. 38: *Atqui hic est* cet. — *rerum caput*] «Atqui totius incepti, quod tibi tantopere cordi est, origo ac finis primarius

An rapias. Atqui rerum caput hoc erat, hic fons.
Indotata mihi soror est, paupercula mater,
Et fundus nec vendibilis nec pascere firmus,
Qui dicit, clamat: Victum date. Succinit alter:
Et mihi dividuo findetur munere quadra.
Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis et rixae multo minus invidiaeque.
Brundisium comes aut Surrentum ductus amoenum,
Qui queritur salebras et acerbum frigus et imbres,

erat, ut commodius viveres, auctoritate gauderes, ditarere. *Caput* autem et *fons* ex formula Latina sic iunguntur etiam apud Ciceronem de Or. 1, 10: *philosophorum greges, iam ab illo fonte et capite Socrate.* — *erat*] «tunc cum sumebas pudenter, atque est etiamnunc.»

46—49. *Indotata*] Ignominiosum erat fratri sorori dotem non dare. Cfr. Plaut. Trinum. 3, 2, 62—65. — *fundus*] «quo vendito dotem sorori, matri alimenta praebere possem.» — *nec vendibilis*] «propter id ipsum, quod sterilis est.» — *pascere firmus*] βέβαιος, semper idoneus; «nec eius proventus tantus est, ut ex eo vitam sustentem.» — *Succinit*] Exprimit mendicorum ad templa, trivia, pontes congregatorum perpetuam cantilenam, qua, ut primus quisque stipem accepit, sese excipiunt. — *Et mihi*] «Mihi quoque panis vel placentae frustum dato, ita ut munus, quod alter totum auferre volt, dividatur.» — *dividuo*] pr. quod dividi potest,» tum: «quod nunc ipsum dividitur.» Ter. Ad. 2, 2, 33: *Potius — dividuum face.* — *quadra*] pr. quarta pars. Virg. Moret. 47: *Levat opus palmisque suum dilatat in orbem Et notat, impressis aequo discrimine quadris.*

50—57. *Sed tacitus*] «Corvus, cum escam reperit, assidue crocitans alias aves allicit, quibuscum illam partiri cogitur. Sic tu, si tacite petes, majora dona feres, quam si patrono aures obtundes alios tibi competitores excitans.» — *Brundisium*] *Brundisium*, Salentinorum oppidum, *Brindisi*, *Surrentum*, Campaniae, *Sorrento*. — *salebras*] «itineris asperitatem.» Comm. Cr. — *viatica*] «omnia, quae itineri necessaria sunt, in primis pecunia.» — *acumina*] astutias, *Pfiffe und Kniffe*. — *catellam*] catenulam, a v. *catena* (ut apud Liv. 39, 31: *praetor suos equites catellis ac fibulis donavit:*) non a v. *catulus*, ut est apud Martial. 14, 198: *Delicias parvae si vis audire catellae* cet. — *periscelidem*] Isidor. 19, 31, 9: *Periscelides sunt crurum ornamenta*

Aut cistam effractam et subducta viatica plorat,
Nota refert meretricis acumina, saepe catellam,
Saepe periscelidem raptam sibi flentis, uti mox
Nulla fides damnis verisque doloribus adsit.
Nec semel irrisus triviis attollere curat
Fracto crure planum, licet illi plurima manet
Lacrima, per sanctum ludratus dicat Osirim:
Credite, non ludo; crudelis, tollite claudum.
Quaere peregrinum, vicinia rauca reclamat.

*mulierum*, *quibus gressus earum ornantur*, circuli aurei vel argentei supra talos. — *veris*] etiam ad v. *damnis* referendum est.

59—62. *planum*] πλάνον, circulatorem, qui multitudinis delectandae causa in triviis artes suas exercet. Utitur eodem voc. Cic. Cluent. 26. Hic igitur, de quo Horatius narrat, saltu periculoso facto, humi prolapsus simulabat se crus fregisse et hominis, cui hoc accidit, gestum lamentationesque imitabatur. Quodsi quis e spectatorum turba misericordia tactus ei opitulari vellet, ille subito e solo exsiliebat, novas praestigias incepturus, adeo ut qui accurrerat ad auxilium praebendum derisus abiret. Verum, cum aliquando re vera tibiam fregisset, nemo iam ei succurrere voluit, cum omnes crederent, denuo eum ludificari circumstantes. — *Osirim*] vel quia Aegyptius erat, vel saltem Isidis cultui inter populum tunc admodum frequenti addictus. — *tollite*] «ut ad chirurgum porter.» Sic A. P. 460. — *rauca*] «sono incondito vociferans usque ad ravim.» «Sic tu, semel si mendacio aut dolo deceperis fautorem, nihil iam ab eo auferes.»

# EPISTOLA XVIII.

## AD LOLLIUM.

Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,
Scurrantis speciem praebere, professus amicum.
Ut matrona meretrici dispar erit atque
Discolor, infido scurrae distabit amicus.
Est huic diversum vitio vitium propè maiùs,
Asperitas agrestis et inconcinna gravisque,
Quae se commendat tonsa cute, dentibus atris,

XVIII. Lollium, iuniorem amicum, (de quo vide, quae dicta sunt ad Epistolam secundam:) Horatius ad rectam potentium culturam ita instituit, ut adolescentem huius vitae generis fortasse nimis cupidum nimiaque commoda sibi promittentem, simul admoneat, quam multa officia libero et ingenuo viro vix satis digna sint observanda tale iter ingressis, quam multa pericula offendendi anxie devitanda. — Scripta est a. u. c. 734.

1—4. *metues*] «vitabis - - praebere;» «cavebis, ne - - praebeas.» — *liberrime*] In ipso superlativo inest tacita admonitio, ne παῤῥησίᾳ, de qua gloriabatur, tempore et loco minus opportuno nimis indulgeat. — *Scurrantis*] «pabuli causa assentantis et risum moventis.» LAMB. — *Discolor*] praesertim habitu cultuque, quia matronae palla et stolâ alba cum instita purpurea, libertinae meretrices tunica superiniecta toga omnium colorum (Ovid. A. A. 3, 179.) indutae in publicum prodibant.

6—9. *inconcinna*] «invenusta atque insuavis, quia discrepat ab ea vitae ratione, quam homines politi et comes sequuntur.» — *commendat*] «quae se aliis commendaro studet,» «credit se commendatum iri omni mollitie vitata, maxime τῇ ἐν χρῷ κουρᾷ, parcimoniae signo, ceteraque negligentia in habitu.» — *tonsa cute*] Proprie dicunt *caput ad cutem tondere*. Cels. 3, 18. 4, 2. — *medium*] ex nota illa Aristotelis doctrina. Eth. Nic. 2, 6: Ἔστιν ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετική, ἐν μεσότητι οὖσα - - μεσότης δὲ δύο κακιῶν, τῆς μὲν καθ' ὑπερβολήν, τῆς δὲ κατ' ἔλλειψιν. — *utrinque reductum*] «ab utroque extremo remotum.»

10. 11. *imi-lecti*] in quo una cum convivii domino soliti eius scurrae accumbebant. Cfr. ad Sat.

Dum volt libertas dici mera veraque virtus
Virtus est medium vitiorum et utrinque reductum,
Alter in obsequium plus aequo pronus et imi
Derisor lecti, sic nutum divitis horret,
Sic iterat voces et verba cadentia tollit,
Ut puerum saevo credas dictata magistro
Reddere vel partes mimum tractare secundas.
Alter rixatur de lana saepe caprina,
Propugnat nugis armatus: Scilicet, ut non
Sit mihi prima fides et vere quod placet ut non
Acriter elatrem? Pretium aetas altera sordet.
Ambigitur quid enim? Castor sciat an Dolichos plus;

2, 8, 20. h. l. *derisor* est is, cuius quasi officium erat ceteros scurras atque umbras, homines etiam absentes, dictis facetis et mordacibus insectandi, quo convivator et qui paris aderant condicionis exhilararentur. — *nutum*] Cic. Parad. 5: *Hereditatis spes — quem nutum locupletis orbi senis non observat? — horret*] «tanta cum observantia omnem patroni nutum exsequitur, quasi eum ut tyrannum reformidet.»

13. 14. *saevo*] «a *plagoso* aliquo *Orbilio*.» — *reddere*] Cfr. ad Epp. 1, 1, 55. — *partes mimum tractare secundas*] De mimis proprie dictis accipiendum puto potius quam de comoedis; nam (actor). *secundarum partium fere omnibus mimis parasitus inducitur*, ut ait Festus in *Salva res est* p. 254, 15—18. *Alter*] «Aeque atque adulator peccat ille, qui de rebus nullius momenti acerrime disputat et altercatur.» *De lana caprina rixari* et περὶ ὄνου σκιᾶς (Lucian. Hermot. 71.) sunt proverbia de rebus levissimis aut quae omnino non sunt. — *Propugnat*] h. l. absolute: «futilibus argumentis verbisque inanibus utens pugnat pro ridicula sua opinione, indignationemque suam sic effundit: *Scilicet*,» cet. — *ut non*] «quomodo non:» *wie, ich sollte nicht u. s. w.* — *elatrare*] «summa pulmonis contentione proferre, quod in buccam venit.» — *sordet*] ut Epp. 1, 11, 4. «Relicio vel condicionem, quam alius libentissime acciperet, ut vel post senectutem repuerascere vel post mortem reviviscere iterumque per longam annorum seriem in terris degere mihi licet;» aut Virbio contigit:» addit Porphyrion. «Altera vita non est tanti, ut iacesam.» Schol.

19. 20. *Ambigitur*] «Qua de re tandem controversia est? Sane de levicula.» *Castor* et *Dolichos* gla-

**Brundisium Minuci melius via ducat an Appi.**
**Quem damnosa Venus, quem praeceps alea nudat,**
**Gloria quem supra vires et vestit et ungit,**
**Quem tenet argenti sitis importuna famesque,**
**Quem paupertatis pudor et fuga, dives amicus**
**Saepe decem vitiis instructior odit et horret,**
**Aut, si non odit, regit ac veluti pia mater**
**Plus quam se sapere et virtutibus esse priorem**
**Volt et ait prope vera: Meae (contendere noli)**
**Stultitiam patiuntur opes; tibi parvula res est:**
**Arta decet sanum comitem toga; desine mecum**
**Certare. Eutrapelus, cuicunque nocere volebat,**

diatores illo tempore magnis laudibus ab omnibus celebrati. — *Brundisium*] «Utrum via Minucia, quam Ti. Minucius Augurinus cos. a. u. c. 449. per tractum montuosum agri Sabini et Samnii munierat, an nota illa Appia commodius Brundisium ducat.»

21—25. *Quem*] «Qui his, quae enumerat, vitiis detorpatus divitis amici, fortasse etiam vitiosioris, gratiam captat, aut hunc brevi tempore ab se abalienabit, aut amissa libertate ab eo semper castigabitur. — *damnosa Venus*] ut Epp. 2, 1, 107: *damnosa libido*, quia amicae amatorem emungunt. — *praeceps alea*] «in qua periculum inest, ne uno talorum iactu ingentem pecuniae summam perdamus et spoliati re familiari decoquere debeamus.» — *Gloria*] *κενοδοξία*. «Homo vanus, gloriolae studio abreptus, sumptuosioribus vestibus unguentisque utitur, quam eius facultates concedunt.» — *importuna*] «quae pecuniae cupidam conquiescere nunquam sinit.» — *decem vitiis instructior*] «multo vitiosior.» *Instructior* autem *παρὰ προσδοκίαν*, quasi vero vitia ornamento et commodo essent.

26 — 30. *regit*] «rationem vivendi ei praescribit.» — *veluti pia mater*] Admodum festive comparat divitem vitiosum, qui amici inferioris malam aliquam consuetudinem castigat, cum matre, cui liberos a vitiis revocare propositum est et efficere, ut vel semet ipsa meliores evadant. — *Stultitiam*] «Meae opes tantae sunt, ut stultitia (quemadmodum luxuriem per euphemismum vocat:) eas non attenuet.» — *Arta*] Ditiores togis utebantur largis (*bis trium ulnarum toga* Epod. 4, 8.), quo plicarum pulchre se excipientium maior esset numerus.

31 — 36. *Eutrapelus*] P. Va-

**Vestimenta dabat pretiosa: beatus enim iam**
**Cum pulchris tunicis sumet nova consilia et spes,**
**Dormiet in lucem, scorto postponet honestum**
**Officium, nummos alienos pascet, ad imum**
**Threx erit aut olitoris aget mercede caballum.**
**Arcanum neque tu scrutaberis illius unquam;**
**Commissumque teges et vino tortus et ira.**
**Nec tua laudabis studia aut aliena reprendes;**
**Nec, cum venari volet ille, poëmata panges.**
**Gratia sic fratrum geminorum, Amphionis atque**

XVIII. v. 37. *ullius* Codd. multi. Lamb. Fea.

lumnius, eques Ro., amicus M. Antonii (ad quem sunt Cic. Epp. duae ad Fam. 7, 32 et 33.) propter festivitatem, facetias, urbanitatem, quibus aequales paene omnes superabat, Eutrapelus nominatus est. (Aristot. Rhet. 2, 12: *οἱ νέοι φιλογέλωτες· διὸ καὶ εὐτράπελοι· ἡ γὰρ εὐτραπελία πεπαιδευμένη ὕβρις ἐστί.*) — *honestum Officium*] ut Epp. 1, 17, 21: *Officium facio*; non est *τὸ καθῆκον*, sed significat in primis salutationem patroni ceterorumque fautorum atque observantiam in eos. — *nummos pascet*] «pecuniam grandi fenore mutuam sumet.» Ipsa autem usura et in primis anatocismo apud antiquos frequente paullatim *pascitur*, augetur, sors principalis. — *ad imum*] «ad extremum, ubi nihil iam ei remanserit, auctorabit se lanistae.» — *Threx*] Hac forma semper utuntur Latini, ubi gladiatorum genus, altera *Thrax*, ubi nationem significant. — *olitoris*] «mercenarius erit olitoris qui extra Urbem hortum coleus hunc decoctorem quotidie cum oleribus in forum olitorium mittit.»

37. 38. *illius*] «fautoris tui.» — *vino tortus*] A. P. 433: *Reges dicuntur multis urgere cullillis Et torquere mero, quem prospexisse laborant.*

39. 40. *Nec tua*] «Hoc quoque solet offendere potentes amicos, si studia (*ἐπιτηδεύματα*) nostra dumtaxat laudabilia esse contendimus, aliena, patroni praecipue, studia detrectare ac reprehendere.» — *pangere*] etiam in prosa or. Cic. ad Fam. 16, 18: *aliquid Sophocleum pangere.*

41 — 44. *Gratia sic fratrum*] «Propter similem studiorum discrepantiam ortum est aliquando dissidium inter Iovis et Antiopae filios, Amphionem, cui Mercurius lyram illam murorum Thebanorum conditricem donaverat (Od. 3, 11, 1.), et Zethum, pastorem et agrico-

Zethi, dissiluit, donec suspecta severo
Conticuit lyra. Fraternis cessisse putatur
Moribus Amphion: tu cede potentis amici
Lenibus imperiis, quotiesque educet in agros
Aetolis onerata plagis iumenta canesque,
Surge et inhumanae senium depone Camenae,
Caenes ut pariter pulmenta laboribus empta;
Romanis sollemne viris opus, utile famae
Vitaeque et membris, praesertim cum valeas et
Vel cursu superare canem vel viribus aprum
Possis. Adde, virilia quod speciosius arma
Non est qui tractet; scis, quo clamore coronae
Proelia sustineas campestria; denique saevam

lam, artis musicae contemptorem, atque omnino hominem *durum* (Propert. 3, 15, 29.).» — *dissiluit*] «celeriter discissa est.» — *suspecta*] «invisa, quam oderat homo severus et tristis.» — *Moribus*] «quippe qui fratris morositatem pulchre nosset, cessit, ne implacabile odium inter ambos oreretur.» — *Amphion*] postquam respondisset apud Euripidem (Fragm. Dindorf. p. 83. N. 30.) Τὸ δ' ἀυτενές μου καὶ τὸ θῆλυ σώματος Κακῶς ἐμέμφθης· καὶ γὰρ εἰ φρονεῖν ἔχω, Κρεῖσσον τόδ' ἐστι καρτεροῦ βραχίονος, lyram sub chlamyde abdidit, ut est in anaglypho apud Winckelmann *Monum. ined.* Vol. 2. p. 113.

46 — 49. *Aetolis*] «Meleager Calydonium aprum nobilis venator excepit. Inde epitheton fecit Horatius, ut *Aetolis* retibus ad apros factis intelligamus.» Porph. — *inhumanae*] «morosae et truculentae,» cum omnis Musa humana et comis esse debeat. — *senium*] morositatem, pr. qualis in senibus esse solet. — *pulmenta*] «carnem ferarum, quas una confeceritis;» quae coena vel ideo placet venatoribus, quod proprio labore parata est. — *utile famae*] propter id ipsum quod assiduus venator abhorret ab omni mollitie; «corpus item,» addit, «venatio corroborat.»

53 — 57. *coronae*] «Scis, quo spectatorum plausu in Campo Martio te exerceas batuendo et pila iaciendo.» *Proelia* igitur sunt certamina ludicra, quae in Campo committuntur. — *Cantabrica*] Cum dicat; *duce* Augusto *puer* haec *bella tulisti*, minime cogitandum est de Cantabris ab Agrippa demum a. u. c. 734. debellatis (Epp. 1, 12,

Militiam puer et Cantabrica bella tulisti
Sub duce, qui templis Parthorum signa refigit
Nunc et, si quid abest, Italis adiudicat armis.
Ac, (ne te retrahas et inconsuabilis absis,)
Quamvis nil extra numerum fecisse modumque
Curas: interdum nugaris rure paterno;
Partitur lintres exercitus, Actia pugna
Te duce per pueros hostili more refertur,
Adversarius est frater, lacus Hadria, donec
Alterutrum velox victoria fronde coronet.
Consentire suis studiis qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.
Protinus ut moneam (si quid monitoris eges tu)

v. 58. *abstes* Benfl. coni.

26.), sed de expeditione in Cantabros et Astures a. u. c. 729. ab Augusto suscepta, et, ipse cum in morbum prolapsus esset, ab eius legatis C. Antistio et T. Carisio haud infeliciter ad finem perducta. Dio Cass. 53, 25. — *refigit*] «Nunc ipsum (a. u. c. 734.) Augustus auctoritate sua et potentia id perficit, ut refigantur a Parthorum templis arma et signa Crasso olim adempta et a Phraate restituantur Romanis.» — *si quid abest*] «si quae regio longinquior nondum subiecta est, eam in dicionem populi Romani redigit.» Armeniam significat eodem anno Artaxine ademptam et Tigrani traditam. — *adiudicat*] V. proprium in finibus regundis. Cic. de Off. 1, 10.

58—66. *Ac*] iunge cum v. *interdum*; vv. *ne te--absis* in parenthesi posita sunt. — *extra numerum*] *παρὰ τὸν ῥυθμὸν* (*τοῦ βίου*), *extra modum*, *παρὰ μέλος*· «inconcinne, contra decorum.» — *nugaris*] «lucris ludis te oblectas.» — *Actia pugna - refertur*] «imaginem pugnae Actiacae exhibes, ita ut tu Augusti, frater natu minor Antonii, servi utriusque militum partes agatis.» — *Victoria*] Victoria alata coronam lauream victori imponit etiam in nummis, quos *victoriatos* vocabant. — *utroque - pollice*] In pollice erat et favoris et aversionis significatio: nam faventes eum premebant, improbantes vertebant retro et subrigebant. Hunc gestum nominabant *infestum pollicem*. Plin. 28, 2, 5: *Pollices, cum faveamus, premere etiam proverbio iubemur.*

67—71. *Protinus*] «porro continuatis praeceptionibus. — *si quid*]

Quid de quoque viro et cui dicas, saepe videto.
Percontatorem fugito, nam garrulus idem est,
Nec retinent patulae commissa fideliter aures,
Et semel emissum volat irrevocabile verbum.
Non ancilla tuum iecur ulceret ulla puerve
Intra marmoreum venerandi limen amici,
Ne dominus pueri pulchri caraeve puellae
Munere te parvo beet aut incommodus angat.
Qualem commendes, etiam atque etiam adspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur et quondam non dignum tradimus: ergo
Quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri,

*εἴ τι, wenn irgend noch.* Virg. Aen. 5, 688: *si quid pietas antiqua labores Respicit humanos. — Quid de quoque*] «quid de quocunque homine dicas.» — *emissum*] traiectum est a sagitta. — *irrevocabile*] A. P. 390: *nescit vox missa reverti.*

78 — 75. *Non*] pro *ne*, ut Sat. 2, 5, 11. A. P. 460. — *iecur ulceret*] Cfr. Od. 1, 13, 4. et 25, 13. — *Intra marmoreum*] «In domo enim ampla et magnifica venerandi fautoris male te commendabit libidinis vel levissimum vestigium.» — *incommodus*] «minus liberalis, tenax sui.» «Aut, si tibi denegabit eiusmodi donum propter qualemcunque causam, te cupiditate incensum *angat* et contristet.»

78 — 81. *quondam*] ut Od. 2, 10, 18. Sat. 2, 2, 82. pro *interdum*. «Ubi acciderit,» inquit, «ut is, quem tu probum ac prudentem hominem esse arbitratus principi alicui viro commendaras, indignum se tua commendatione propria culpa reddiderit et fautoris gratia excidat, tum tua priore spe falsus desine eum tueri, quia indignum nihil iuvabis, temet ipsum stultitiae suspectum facies ac fidem, quae antea tibi tribuebatur, imminues. Indignum igitur missum fac, *ut* (ἵνα, quo) possis tanto maiore cum fiducia tueri innocentem, sed falsis criminibus circumventum atque oppressum.» — *fidentem*] «Ut ille tibi penitus perspectus est ac probatus, sic rursus omnem suam fiduciam in te reponit, et pro falso amico merito te habebit, si eum non defenderis, sed deserueris.»

82 *Dente*] «Quid, quod etiam propria utilitas hoc requirit, ut inania crimina in amicum coniecta refutes? nam malignus criminator, iamiam audacior factus et praevidens te vicissim ab amico, quem prodidisti, destitutum iri, mox te quoque clam adorie-

Ut penitus notum, si tentent crimina, serves
Tuterisque tuo fidentem praesidio; qui
Dente Theonino cum circumroditur, ecquid
Ad te post paullo ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet,
Et neglecta solent incendia sumere vires.
Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuit. Tu, dum tua navis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.
Oderunt hilarem tristes tristemque iocosi,
Sedatum celeres, agilem navumque remissi,

v. 86. *At penitus* Bentl. coni. v. 81. *fidenter* B. e Cld.

tur et malodico dente carpet.» — *Theonino*] «Theon, libertinus, dicacitatis amaritudine praeter ceteros ita patronum suum exasperavit, ut domo eius summoveretur et quaternario» (id est, quadrante) «legato iuberetur restem sibi palumque emere. Per hunc ergo maledici et detractores intelliguntur.» Comm. Cr. — *circumroditur*] Cfr. Sat. 1, 4, 81. Epp. 2, 1, 150. Cic. pro Balbo 26: *More hominum invident, in convivis rodunt, in circulis vellicant, non illo inimico, sed hoc maledico dente carpunt.*

86—87. Sententiae sic connectuntur: primum post brevem illam degressionem vv. 81—85. *qui Dente - - vires* sententia generali *Dulcis - - metuit* viam sibi munit ad novum praeceptum: *tu, dum tua* cet. «Ergo ubi expertus eris talis amicitiae difficultatem, semper metues, ne vel propter leves causas, mutato aliquando fautoris in te animo, discindatur. Itaque, dum bono cum successu ea uteris, in eo strenue elabora, ne subito regis tui gratia excidas. Accommoda igitur animum affectusque tuos ad illius affectus ac studia; nam potentes hoc velut suo iure postulant, ut clientes eadem sequantur eodemque modo animati sint atque ipsi. Itaque *deme supercilio nubem.*» — *cultura*] «studium, quod in *colendo* potentiore amico ponitur, quem summo obsequio ac veneratione prosequamur necesse est;» qua quidem significatione v. *cultura* videtur ἅπαξ λεγόμενον. — *tua navis in alto est*] ut Tibull. El. 1, 5, 76: *in liquida stat tibi linter aqua*, ubi designatur facilis et expeditus cursus. Recte igitur Porphyrio: «Cum prosperum cursum amicitiae tenes.»

89. 90. *agilem*] ὀραστήριον. — *remissi*] «lentius ac negligentius in omnibus rebus versari soliti.»

Potores [*bibuli media de nocte Falerni*
*Oderunt*] porrecta negantem pocula, quamvis
Nocturnos iures te formidare vapores.
Deme supercilio nubem; plerumque modestus
Occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi.
Inter cuncta leges et percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter aevum,
Num te semper inops agitet vexetque cupido,
Num pavor et rerum mediocriter utilium spes,
Virtutem doctrina paret, naturane donet,

91—93. *Potores* cet.] Duae rationes potissimum sunt, propter quas vv. inclinatis litteris expressa cum Meineckio et Pottierio pro subditiciis habeo: 1) Constructio ipsa per se ambigua: *bibuli* («potulenti:» Comm. Cr.) vini Falerni; vel: *pocula Falerni*. Prior sane fulcitur versu vere Horatiano, ex quo hic fictus est, Epp. 1, 14, 34: *Quem bibuli liquidi media de luce Falerni*, sed, ut scite dixit Bentleius, *bibuli* ridiculum est *potorum* ἐπίθετον. 2) Verum, quod gravissimum est nostrae rationis argumentum, putida omnino videntur vv. *media de nocte* et *nocturnos vapores* ita sese excipientia. — *vapores*] «aestus nocturni;» *Wallungen*, ut etiamnunc Galli et Itali *les vapeurs*, *i vapori*.

94. 95. *nubem*] «tristitiam ac severitatem cum quadam iactantia coniunctam.» Frequens imago. Cic. in Pis. 9: *supercilium tuum — frontis tuae nubeculam*. Eurip. Hippol. 173: Στυγνὸν δ' ὀφρύων νέφος αὐξάνεται. — *obscuri*] «Saepe, qui re vera *modestus* est, videtur *obscurus*, id est, κρυψίνους, minime apertus et simplex, sed qui intimos suos sensus callide occulat, *taciturnus* rursus *acerbus*, animo a potente amico clam averso.»

96—99. *Inter cuncta*] «omni tempore, in quacunque condicione vitae huius apud potentem amicum transactae.» — *leges*] «philosophorum scripta et *percontabere* sapientes amicos, *num* te lucri et potentiae cupiditas, cui semper deest aliquid et quae nunquam expletur, agitare debeat, an alia vivendi ratio reperiri possit multo tranquillior ac felicior, quam ego me adeptum esse reor.» — *mediocriter utilium*] quae Stoici ἀδιάφορα vocabant. Cic. de Finn. 3, 16: *Quoniam autem omne, quod est bonum, primum locum tenere dicimus, necesse est nec bonum esse nec malum hoc, quod praepositum vel praecipuum* (προηγμένον) *nominamus. Itaque id definimus, quod*

Quid minuat curas, quid te, tibi reddat amicum,
Quid pure tranquillet, honos an dulce lucellum,
An secretum iter et fallentis semita vitae?
Me quoties reficit gelidus Digentia rivus,
Quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus;
Quid sentire putas? quid credis, amice, precari?
Sit mihi, quod nunc est, etiam minus; et mihi vivam
Quod superest aevi, si quid superesse volunt di:
Sit bona librorum et provisae frugis in annum
Copia, neu fluitem dubiae spe pendulus horae.

v. 107. *ut mihi* Codd. mei.

*sit indifferens cum aestimatione mediocri; quod enim illi ἀδιάφορον dicunt, id mihi ita occurrit, ut indifferens dicerem.*

100—103. *doctrina*] Solita philosophorum quaestio *περὶ ἀρετῆς. εἰ διδακτόν*· de qua cfr. Platonis Menonem. — *minuat*] *μείωσις* pro «tollat.» — *pure*] «sincere ac perfecte, adeo ut nihil iam ultra desideretur.» «Quibus studiis quoque vitae instituto ad placidam quietamque constantiam» (ut tranquillitatem definit Cicero Tusc. 4, 5.) «perventurus sis? num ambitione et avaritia?» — *semita fallens* est latens multitudinem; quam semitam qui ingreditur *iter* habet *secretum* ab hominum vestigiis ac solitarium. Est rursus illud λάθε βιώσας, ut Epp. 1, 17, 10.

104—107. De *Digentia*, hodie *Licenza*, vide Epp. 1, 16, 12. — *Mandela* hodie *Bandela*. «Mandela pagus est nimis algidus atque contrahens frigore et rugosa faciens hominum corpora.» PORPH. *hautrunzelndes Dörfchen* Passow. — *Sit mihi*] «Permaneat mihi, quod nunc possideo; etiam, si partem rei familiaris amisero, idcirco infelicem non me reputabo. Secundo loco opto, ut quod vitae mihi superest, mihi et meo modo vivere liceat.»

109. 110. *provisae*] Non avaritiae, sed securitatis tantummodo causa optat, ut sibi victus in singulos annos provisus sit ac propterea certus. — *neu fluitem*] Quartum est, quod optat, ut vires animi atque tranquillitas sibi suppetant, ne unquam inter spes ac timores ceterasque mentis perturbationes et rei domesticae curas anxius atque incertus animi pendeat. — *fluitem*] *Natare* hoc dicit Sat. 2, 7, 7. Usitatius est *fluctuare*. — *pendulus*] nobis proprie: *in der Schwebe*. — *horae*] *Hora* h. l., ut Virg. Catal. 12, 10: *fallax hora*, est fortuna in horas varians, quae bona externa ex incerta ac mobili sorte pendentia modo donat, modo aufert.

**Sed satis est orare Iovem quae donat et aufert:**
**Det vitam, det opes, aequum mi animum ipse parabo.**

---

# EPISTOLA XIX.

## AD MAECENATEM.

**Prisco si credis, Maecenas docte, Cratino,**
**Nulla placere diu nec vivere carmina possunt,**

v. 111. *quae ponit* Bentl. ex Codd. Schmid.

111. 112. *Sed satis*] «Post vota de vita vere vitali et librorum frugisque bona copia, iam aliam precem addiderat, *Neve*, inquit, *fluitem dubiae spe pendulus horae*, hoc est, ut v. 99. dixerat: *Neu pavor et rerum mediocriter utilium spes vexet me agitetque:* quod cum aliquid τῶν ἐφ' ἡμῖν et in cuiusvis potestate sit, utpote non ad bona externa, sed ad animum spectans, revocat illud votum ut ex volgi opinione magis quam ex vera ratione conceptum, et se corrigens, «sed satis est,» inquit, «in duobus illis votis subsistere, quorum penes deos potestas est, neque id eos rogare, quod in mea solius manu est, ut consequar. Det modo *sanum vivere*, det *bonam copiam*; ego me ita parabo, *ut ne dubius fluitem.*»

XIX. Duplex hominum genus, ut omnino egregiis scriptoribus accidere solet, Horatio importunum exstitit, id est, imitatorum et invidorum. Adversus utrosque coram Maecenate, optimo talium rerum iudice, hac epistola causam suam agit. Primum igitur imitatores, servum pecus, graviter et acerba cum derisione exagitat: (vv. 1—20.), simulque non sine generoso praestantiae suae sensu sua carmina proprio et Romanis antea incognito artificio facta cum istorum ineptiis contendit: (vv. 21—34.) Deinde de malevolorum in se invidentia eiusque causis exponit: (vv. 35—49.) Zell. — Scripta videtur a. u. c. 739.

1. 2. *Prisco*] ut poëtae priscae comoediae, mortuo Olymp. 89, 1 vel 2. (423. a. Chr.) Cfr. Sat. 1, 4, 1. — *docte*] «qui bene versatus es in litteris Graecis et Latinis, ac propterea ipsum quoque Cratinum trivisti.» — *Nulla*] In Πυτίνῃ hoc edixisse videtur: *Οἶνος ποιητῆ γέγονεν ὡς ἵππος ταχύς· Ὕδωρ δὲ πίνων οὐδὲν ἂν τέκοις* (al. *τέχοις*) *σοφόν.*

3. 4. *male sanos*] «vesanos, quia *μαίνονται* furore poëtico correpti.» «Ex eo tempore,» inquit,

**Quae scribentur aquae potoribus. Ut male sanos**
**Adscripsit Liber Satyris Faunisque poëtas,**
**Vina fere dulces oluerunt mane Camenae.**
**Laudibus arguitur vini vinosus Homerus;**
**Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma**
**Prosiluit dicenda. Forum putealque Libonis**
**Mandabo siccis, adimam cantare severis:**
**Hoc simul edixi, non cessavere poëtae**
**Nocturno certare mero, putere diurno.**

«quo primum poëtas Bacchus suam in tutelam recepit atque una cum Satyris ac Faunis (sive Paniscis) in suum consortium adscivit, id est, inde a prima poësis origine, ipsae quoque Musae *fere* (plerumque, prope semper) vel mane sobriae non fuerunt, olentes etiamtunc vinum nocte potatum.» — *Adscripsit*] «tamquam in legionem suam; nam hoc verbum militare est.» Porph. Od. 3, 3, 24.

6—9. «*arguitur - vinosus*] φίλοινος ὤν; « se ipse prodit, monstrat se vinum amasse laudibus, quas ei impertit», ut Iliad. ζ, 261: Ἀνδρὶ δὲ κεκμηῶτι μένος μέγα οἶνος ἀέξει, et passim ei ἐπίδεπα tribuens εὐήνορα, μελίφρονα, μενοεικέα. — *Ennius*] quippe qui ipse de se dixerit: *Nunquam poëtor nisi podager.* — *pater*] Et quia duobus ante seculis floruerat et quia cum Livio Andronico Naevioque auctor poësis Latinae habebatur. — *ad arma*] Praesertim in Annalibus, quorum primum versum fecit Merula: *Horrida Romuleum certamina pango duellum.* — *Prosiluit*] *stürmt er hervor;* quasi ipse pugnam initurus. — *putealque Libonis*] Cfr. ad Sat. 2, 6, 35. Puteal in foro ad fornicem Fabianum exstructum, ut videtur, a L. Scribonio Libone, praetor qui fuit a. u. c. 550., potius quam a cognomine consule a. u. c. 720., «locus ad quem conveniebant feneratores.» Acr. — *Mandabo*] Futuris utitur, ut facete imitetur formulas edicti praetoris. Cic. Accus. 1, 44: *Nec petitionem nec possessionem dabo.* — *adimam*] «severe interdicam, ne poëmata componant.» — *Siccos* igitur, abstemios (ut Od. 1, 18, 3.) iubebo rei fenebri vacare, quippe qui poëtico sensu careant.» — *severis*] «qui ab omni ludo iocoque abhorrent.» *die Grämler.*

10. 11. *edixi*] «tamquam praetor.» Lepide simulat omnes qui tum poëtarum nomen affectarent, suam auctoritatem exemplo secutos esse, quasi vero ipsius edicto obtemperantes multo praestantiores evaderent poëtae. — *putere*]

**Quid, si quis voltu torvo ferus et pede nudo**
**Exiguaeque togae simulet textore Catonem,**
**Virtutemne repraesentet moresque Catonis?**
**Rupit Iarbitam Timagenis aemula lingua,** 15
**Dum studet urbanus tenditque disertus haberi.**
**Decipit exemplar vitiis imitabile; quodsi**

*riechen*, v. odiosius quam v. 5. *olere*, *duften*.

12—14. *voltu torvo*] Plut. Cat. min. 1: *Λέγεται δὲ Κάτων εὐθὺς ἐκ παιδίου τῇ τε φωνῇ καὶ τῷ προσώπῳ - - ἤθους ὑποφαίνειν ἄτρεπτον καὶ ἁπλοῦς καὶ βέβαιον ἐν πᾶσιν.* — *pede nudo*] Plut. ibid. 6: *Πολλάκις δ' ἀνυπόδητος καὶ ἀχίτων εἰς τὸ δημόσιον προῆλθε μετ' ἄριστον.* — *textore*] *vermittelst des Webers, mit Hülfe desselben*, «cum textor exiguam togam confecerit; in cuius igitur opificis potestate situm est, utrum tu alter Cato videaris hominibus necne.» Ablativus instrumentalis personae prope ut Epp. 1, 1, 94: *tonsore curatus*, nisi quod ibi participium adiungitur, ut si h. l. dixisset: *textore vestitus*. — *repraesentet*] «ad vivum exprimat.» *Repraesentare* enim est «rem quae abest praesentem constituere. Tales olim fuerunt Laconistae Athenis, qui *ἐλακωμάνουν, ἐπείνων, ἐῤῥύπων, ἐσωκράτουν, Σκυτάλη ἐφόρουν* (Aristoph. Av. 1194.), posterioribus temporibus Neocynici.

15. 16. *Rupit*] Construe: «Lingua Iarbitae aemula Timagenis rupit Iarbitam, dum stolide studet in declamandi arte aeque disertus urbanusque haberi, atque rhetor ille.» — «Timagenes, Alexandrinus, rhetor et historicus (scripsit Libros de regibus, Gallica cet.) ab A. Gabinio captivus Romam traductus et a Fausto Sullae filio redemptus tandem in Caesaris Octaviani gratiam venit (Senec. Controv. 34.): sed propter linguam procacem et *παῤῥησίαν*, unde *Παῤῥησιαστὴς* dictus est (Suidas in *Τιμαγένης**), mox ipsi Caesaris domo interdictum est. Inde propter facetias (Senec. Ep. 91.) ab Asinio Pollione exceptus, in novi fautoris Tusculano mortem obiit. Qui Timagenes cum aliquando in hominum doctorum conventiculo cum omnium applausu declamasset vel scriptum recitasset, accidit, ut teste Porphyr. Cordus (vel Codrus, siquidem idem est, de quo Virgilius Ecl. 7, 26: *invidia rumpantur ut ilia Codro:*) homo item doctus, natione Maurus, ac (propterea ab Iarba rege, ut videtur:) *Iarbita* cognominatus, illius virtutes aequare niteretur et nimio nisu atque ingenti vocis laterumque intentione diaphragma dirumperet

**Pallerem casu, biberent exsangues cuminum.**
**O imitatores, servum pecus, ut mihi saepe**
**Bilem, saepe iocum vestri movere tumultus!**
**Libera per vacuum posui vestigia princeps,**
**Non aliena meo pressi pede. Qui sibi fidit,**
**Dux regit examen. Parios ego primus iambos**

et subita morte periret.» IAHN. — *urbanus*] h. l. non tam ad dicacitatem refertur quam ad elegantiam sermonis, quo utebatur, et ad peritiam declamandi.

17. 18. *Decipit*] absolute, ut *fallere*, Gronov. Obss. 3, 20. — *vitiis imitabile*] «Exemplar, quod, totum si species, sane pulcherrimum est, sed tamen vitia quaedam habet imitatu facilia, eo saepe in errorem rapit imitatores, quod praeter cetera haec ipsa vitia sibi aemulanda proponunt ac plerumque etiam augent, veris luminibus eloquentiae posthabitis.» Vv. *vitiis* refer et ad v. *decipit* et ad v. *imitabile*. — *cuminum*] «ptisanarium cumini.» Plin. H. N. 20, 14: *Omne cuminum pallorem bibentibus gignit. Ita certe ferunt Porcii Latronis clari inter magistros dicendi assentatores similitudinem coloris studiis contracti imitatos:* qui cum a. u. c. 752. mortuus sit, sane fieri potest, ut hos ipsos Porcianos h. l. derideat.

19. 20. *servum pecus*] θρέμματα ἀνδραποδώδη, cum summa indignatione et contumelia malos poëtas increpat. — *tumultus*] «violenti ac turbidi, sed tamen praeposteri et semper inanes conatus me imitandi, quos cum inter vos magno cum strepitu collaudatis, simul me deprimere molimini, hoc in primis identidem repetentes, me quoque Graecos imitatum esse, idem vos facere, interdum etiam meliore cum successu.»

21—23. *Libera*] In poësi Latina *libera vestigia ponit* (ut dicebant etiam in prosa or. Cic. Phil. 3, 12.) *per vacuum* (pr. per *vacuam* sive *vacantem* (domino) *possessionem*) quemadmodum dicunt ICti; is, qui primus in novo poësis genere elaborat idemque ita perficit, ut Horatius ipse genus lyricum. — *pressi pede*] «Non aliena exempla anxie imitatus sum.» — *qui sibi fidit*] «ac propterea nova tentat, fit dux ceterorum, quorum ingenium minus aptum est ad nova genera invenienda atque excolenda.» — *Dux*] «imitatus regem apium.» PORPHYR.

24—27. *Ostendi*] «Primus exemplum praebui, quomodo totum Archilochi Parii genus ad Latinam poësin transferendum sit.» Significat maxime Epodos. *Ostendere* «ut artifices tunc demum nova sua opera aliis ostendere solent, cum iam ad unguem castigata et per-

Ostendi Latio, numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.
Ac ne me foliis ideo brevioribus ornes,
Quod timui mutare modos et carminis artem,
Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,
Temperat Alcaeus; sed rebus et ordine dispar,
Nec socerum quaerit quem versibus oblinat atris,
Nec sponsae laqueum famoso carmine nectit.
Hunc ego non alio dictum prius ore Latinus

fecta sunt.» — *numeros animosque*] «metra impetumque poëticum.» — *non res*] «Neutiquam vero simpliciter in Latinum converti Archilochi iambos in Lycamben eiusque filias.» — *agentia*] «agilantia, persequentia; quae eum ad suspendium adegerunt.» — *Ac ne*] Comm. Cr.: «Ne minore corona me decores.» «Ne tu, Maecenas,» inquit, «idcirco parcius me laudes, quod nolui componere nova metra et invenire genus poësis melicae a Graeca prorsus diversum (quia probe perspexeram, eadem metra, quibus Graeci usi sunt, aptissima esse Latinae quoque poësi:) scito temperare» cet.

28. 29. *Temperat*] Noli construere cum aliis: *Sappho mascula temperat pede* (suo) *Musam Archilochi;* sed: *Sappho mascula temperat Musam* (suam) *pede Archilochi* sicque etiam *temperat Alcaeus*, idem facit iunior aliquanto Alcaeus. «Sappho et Alcaeus,» inquit, «carminibus suis scite immiscuerunt numeros (ῥυθμοὺς) et varia versuum genera, quibus Archilochus (ut vel ex eius reliquiis constat) praeter iambos usus est, sed dispares sunt illi *rebus*, eo, quod alia argumenta tractarunt, et *ordine* versuum ab Archilocho inventorum, ex quibus Lesbii poëtae una cum iis numerorum ac versuum generibus, quae ipsi invenerunt, strophas suas composuerunt. Atque propter hoc maxime, quod alia et nova argumenta sibi proposuere, eandem laudem merentur atque Archilochus, totius generis inventor.» — *pede*] H. l. significat versiculos integros, ut Od. 4, 6, 35: *Lesbium servate pedem.* — *mascula Sappho*] «quae, quamquam mulier, tamen ingenii viribus ac furore vere poëtico vel praestantissimos poëtas aequavit.»

30. 31. *Nec socerum*] Exemplo manifesto atque indubio demonstrat, quomodo Sappho et Alcaeus alia atque Archilochus argumenta tractarint. — *quaerit*] «certo consilio deligit, quem veluti luto inquinans infamet versibus perniciem ei afferentibus.» — *atris*] «venenosis ac mortiferis,» ut *atrae viperae* Od. 3, 4, 17. — *sponsae*] Neobulae. — *famoso carmine*] «famam eius laedente.»

32—34. *Hunc*] Proxime qui-

**Volgavi fidicen; iuvat immemorata ferentem**
**Ingenuis oculisque legi manibusque teneri.**
**Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector**
**Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus?**
**Non ego ventosae plebis suffragia venor,**
**Impensis coenarum et tritae munere vestis;**
**Non ego, nobilium scriptorum auditor et ultor,**
**Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor:**
**Hinc illae lacrimae. Spissis indigna theatris**

dem refertur ad Alcaeum, (et vere, cum Catullus bis quidem (Carm. 11 et 51.) tentarit metrum Sapphicum, Alcaicum nunquam:), verum, ut vv. 30. 31. non minus ad Sapphonem spectant quam ad Alcaeum, sic quod ad huius loci sensum universum attinet utrumque poëtam simul significat. — *Latinus - - fidicen*] «poëta lyricus,» ut Od. 4, 3, 24: *Romanae fidicen lyrae*. — *Volgavi*] «Sapphus et Alcaei genus omnibus iam meis popularibus notum reddidi.» — *Ingenuis*] «generosis et candidis lectoribus,» quales illi erant, quos enumerat Sat. 1, 10, 81—87.

36 — 38. *premat*] «deprimat atque elevet.» Quinctil. 12, 10, 14: *praecipue presserunt Tullium, qui videri Atticorum imitatores cupierunt.* — *Non ego*] Tota imago a candidatis honores petentibus ducta est. — *plebis*] «poëtarum et grammaticorum infimi ordinis.» — *tritae*] «Nam, si vellem muneribus vel vilissimis eorum gratiam mihi conciliare, facile possem.» Imitatus est Persius 1, 53. — *venor*] ut «θηρῶμαι,» «aucupor, capto.»

39. 40. *Non ego*] «Non ego, qui *nobiles* tantum scriptores, (quales sunt Pollio, Virgilius, Varius, Tibullus, Fundanius) recitantes audire eorumque carmina attente legere atque, ubi a malitiosis criticis reprehenduntur, acriter *ulcisci* (defendere) soleo, non ego, inquam, grammaticorum, quos despicio, applausum ambio.» *Ultor* igitur h. l. est, «qui aliquem ab iniquis reprehensionibus et criminationibus defendit eiusque veluti patrocinium suscipit.» — *Grammaticas*] Imagine rursus ab ambitu petita *grammaticae tribus* sunt quasi sectae grammaticorum, id est, criticorum (*Aesthetiker*), in primis antiquarii illi, qui veteres poëtas, Ennium, Accium, Lucilium, aequalibus suis, Virgilio maxime atque Horatio, anteponebant. Hi igitur, velut XXXV. tribus populi Romani, ius sibi arrogant suffragia de poëtis ferendi, quis primo loco dignus sit, qui in secundo tertiove subsistere debeant. — *pulpita*] *Lehrsitze*.

41. 42. *Hinc illae lacrimae*] «Propterea quod horum hominum gratiam non quaero, mihi sunt tantope-

**Scripta pudet recitare et nugis addere pondus,**
**Si dixi: Rides, ait, et Iovis auribus ista**
**Servas; fidis enim manare poëtica mella**
**Te solum, tibi pulcher. Ad haec ego naribus uti**
**Formido et, luctantis acuto ne secer ungui,**
**Displicet iste locus, clamo, et diludia posco.**
**Ludus enim genuit trepidum certamen et iram,**
**Ira truces inimicitias et funebre bellum.**

re infesti.» Proverbium petitum ex Ter. Andr. 1, 1, 99. — *Spissis*] «Si dixi ex animi mei sententia: Nugas meas (opuscula) frequenti auditorum corona indignas recitare et hoc actu ipso iis *addere pondus*, id est, demonstrare me magni eas facere, profecto me pudet: perperam illi sensus meos interpretantur et simulatorem me credunt.»

43 — 44. *Rides*] Ovid. Trist. 5, 2, 46. de Augusto: *Si fas est homini cum Iove posse loqui.* «Nam persuasum est tibi, te versus edere quovis melle dulciores, id est, te unum egregium poëtam esse.» — *Manare* transitive, ut Ovid. Met. 6, 312: *lacrimas etiamnum marmora manant.*

45. *naribus uti*] ut Sat. 1, 6, 6: *naso suspendere adunco*, et Persius 1, 46: *uncis naribus indulgere*; «sannis vituperantium uti.» Porph.

47 — 49. *Displicet iste locus*] «ubi, ut carmina mea recitem, vos voltis; probe enim praevideo fore, ut clanculum postea et in me et in mea invehamini.» — *diludia posco*] «spatium emendandi carmina et intermissionem ac dilationem ludorum. *Diludia* autem dicuntur tempora, quae gladiatoribus conceduntur inter dies munerum, quibus pugnatur.» Comm. Cr. «Ut intra dies quinque pugnent.» Acr. — *Ludus*] «Nolo ne per ludum quidem inter vos versari, nam acria inde certamina interdum oriuntur, quae inire meum non est: nihil enim mihi prosunt, immo ea detestor. Ergo sine me inter vos rixamini, nebulones, quantum voltis.» — *genuit*] ἀορίστως, «gignere solet.» — *trepidum*] «in quo trepidant ii, qui inter se certamen committunt acre,» *lebhaft.* — *funebre bellum*] «prope internecinum, in quo multi occidunt.»

# EPISTOLA XX.

## AD LIBRUM SUUM.

**Vertumnum Ianumque, liber, spectare videris,**
**Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.**
**Odisti claves et grata sigilla pudico;**

XX. Probabilis videtur Kirchneri opinio (Quaestt. Horat. p. 37.) ab Horatio Epistolam hanc quasi comitem Epodon libro, (cuius editionem propter rationes *πολιτικὰς* usque ad a. u. c. 733. distulerit:) compositam eamque una cum illo volumine ad Augustum, Maecenatem, aliosque fautores et amicos missam esse. Utcunque se ea res habuit, librum aliquem editurus, festiva ludens dilogia, eadem cum cura et sollicitudine eum dimittit ac dominus servulum sibi carum, qui prope iam liberti condicione utens, extra domum herilem evagari ac liberiore vita frui cupit, verum propter hoc ipsum multis, in primis corruptionis, periculis expositus est. Rationem eandem fere tibi finge, quae fuit inter Ciceronem et Tironem, Atticum et Alexin, quibus servis carissimis domini vix quidquam negare poterant. Per totam autem Epistolam pueri delicati et venusti libri duplex imago mirum in modum permixta et confusa est.

1. 2. *Vertumnus*] deus omnium vicissitudinum ac mutationum (Sat. 2, 7, 14.), hinc etiam «vertendarum rerum» id est, emendarum et venalium, ad Forum in vico turario s. Tusco sacellum cum simulacro habebat, in cuius vicinia erat *Ianus* (Epp. 2, 7, 14.); ibi etiam librarii suas tabernas et pilas (Sat. 1, 4, 71. A. P. 373.), sed lenones quoque et meretrices fornices suos habebant. — *prostes*] verbum ambiguum de quavis merce, etiam de meretricibus et scortis (*prostibulis*). — *Sosii*] fratres fuere bibliopolae, memorati etiam A. P. 345. — *pumice*] Partem membranarum exteriorem, quae asperior est, pumice levigabant et poliebant glutinatores. Catull. 1, 2. It. 22, 6: *'chartas regiae, novi libri, Novi umbilici, lora rubra, membrana Directa plumbo', et pumice omnia aequata.* Pumice item homines delicatiores crurum pilos deterebant. Ovid. A. A. 1, 506: *Nec tua mordaci pumice crura teras.*

3. 4. *claves et sigilla*] Librorum volumina in capsis asservabantur, quas in scriniis domini anulo signatis custodiebant. Sic etiam interdum uxores, concubinae, pueri delicati domi in custodia retinebantur, ostiis sigillo munitis. Haec autem ipsa custo-

Paucis ostendi gemis et communia laudas,
Non ita nutritus. Fuge, quo descendere gestis.
Non erit emisso reditus tibi. Quid miser egi?
Quid volui? dices, ubi quis te laeserit; et scis
In breve te cogi, cum plenus languet amator.
Quodsi non odio peccantis desipit augur,
Carus eris Romae, donec te deserat aetas;
Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi

XX. v. 7. *ubi quid* Codd. plerique. Bentl. Mein. v. 10. Al. *deseret, deserit.*

dia puero *pudico, grata* accidit, cum ita eius fidelitas extra omne dubium ponatur. — *communia*] «vitam liberiorem in locis publicis.» *Loca communia* autem etiam lupanaria honestius nominabantur. Seneca Contr. 1, 2. p. 95.

5 — 8. *Fuge*] «I nunc, proripe te in Forum:» quod cum in loco plano et humili esset, eo ituris *descendendum* erat ex collibus propinquis: hinc v. proprium est de Foro. Sed etiam in fornices s. lupanaria humi depressa descendendum erat. — *emisso*] Dilogia de puero e custodia semel emisso et de libro edito. — *laeserit*] de libro: «ubi ab iniquis meis male exceptus eris ac de te dixerint: *Quis leget haec? Vel duo vel nemo:*» de puero: «si quis pudicitiam tuam *laeserit* (violarit), tum vero frustra meum auxilium implorabis.» — *In breve te cogi*] de libro: «scis te artum in volumen complicari et in capsa reponi, ex qua fortasse nunquam postea rursus promare:» de puero: «desertus ab amatore in angustias rediges.» — *plenus*] ut Sat. 2, 2, 43. et Ovid. ex Ponto 3, 4, 55: *Illa bibit sitiens, lector mea pocula plenus*, «satur, fastidiosus.» — *Languet* autem et auditor vel lector (Quintil. 9, 3, 27.) et is, cuius amor refrixit.

9. 10. *odio*] h. l., ut saepe, accedit ad irae et taedii potius quam ad simultatis notionem, *Verdruss.* — *peccantis*] de libro: «praepropere edi cupientis;» dilogia inest in eo, quod v. *peccare* usurpatur etiam de amantium infidelitate et venere illicita. — *aetas*] ut ὥρα, h. l. de adolescentia.

11. 12. *Contrectatus*] Hoc quoque v. per dilogiam utitur. Cfr. Tacit. Ann. 14, 35: *contrectatam filiarum pudicitiam ulcisci.* — *sordescere*] Cfr. Sat. 1, 4, 72. h. l. μεταφορικῶς, «paullatim negligi a cultioribus lectoribus, adeo, ut iam nemo te inspiciat praeter homines de volgo, et hi quoque semper rarius te evolvant.» — *tineas - - inertes*] «quae prope immobiles lente chartas et vestes corrodunt.»

Coeperis, aut tineas pasces taciturnus inertes,
Aut fugies Uticam aut vinctus mitteris Ilerdam.
Ridebit monitor non exauditus, ut ille,
Qui male parentem in rupes protrusit asellum
Iratus: quis enim invitum servare laboret?
Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
Occupet extremis in vicis balba senectus.
Cum tibi sol tepidus plures admoverit aures,

v. 15. *detrusit* Cruq.

13. *Aut fugies*] Horatii tempore multi libri in illas provincias, quae iam Latino sermone utebantur, tum demum perveniebant, cum Romae iam obsoluerant. Cfr. A. P. 345. «*Fugies* ultro in Africam provinciam, novos ut ibi amatores captes, ab iis, quos in Urbe repereras, destitutus, aut etiam *vinctus mitteris*,» de libro: «loris, ut aliae merces, colligatus;» de puero: «relegabere,» ut aediles interdum adulteras in exilium agebant. — *Ilerdam*] Hispaniae urbem, hodie *Lerida*. «Aut Romae oblivione obruére, aut, ut fit in libris Romae iam neglectis, a provincialibus subrusticis aliquantisper legére.»

14 — 18. *Ridebit*] «Tunc maligne ridebo, propterea quod monitis meis non obtemperaveris.» — *protrusit*] Exemplum petitum ex aliqua fabella Aesopia vel alia narratiuncula populari. — *Hoc quoque*] Sine imagine: «Hoc quoque malum tibi impendet, ut ad extremum in miseris ludis litterariis ex te, ab hominibus elegantioribus iamdudum seposito, pueri elementa discant.» Hoc per dilogiam ita proponit: «Tu ipse, puerule delicate, obrepente tibi sensim senectute rursus ut infantia balbutiente, fies denique pauperculus ludi magister, quales in extremis Urbis vicis, minus frequentatis et ubi egeni dumtaxat habitant, pueros elementa docent, ut olim mihi, Livii Andronici scriptis usus, ea tradidit Orbilius.» — *Occupet*] «obrepat,» ut Tibull. 1, 10, 40: *quem Occupat in parva pigra senecta casa.*

19. *Cum tibi sol*] Hic non iam, ut plerique putant, de schola, a qua cogitatione eius animus abhorrebat, scribere pergit, sed de longe etiam maiore lectorum, quos se inventurum esse sperabat, numero. Hi cum partim a primo fere mane salutationi amicorum, foro, iudiciis, omnis generis negotiis vel, si *studiosi* erant (Plin. Epp. 4, 13, 11.), disciplinis severioribus ac philosophiae vacassent usque ad diei civilis horam fere septimam, meridiatione, balneo, corporis exercitationibus sese

**Me libertino natum patre et in tenui re** 20
**Maiores pennas nido extendisse loqueris,**
**Ut quantum generi demas, virtutibus addas;**
**Me primis Urbis belli placuisse domique,**
**Corporis exigui, praecanum, solibus aptum,**

aliquantum recreabant, deinde ante coenam, cum aestatis tempore *sol* iam *tepidus* esset, circa horam octavam vel nonam animi causa perlegebant carmina nuper in lucem emissa, saepeque post coenam hora decima eandem lectionem resumebant. Hos igitur benevolos lectores per domos suas dispersos velut unum in locum congregatos sibi *aures* praebere fingit, librum recitatorem faciens.

20 — 23. *Me libertino*] Imitari videtur grammaticos, qui scholarum suarum a poëtarum vitis enarrandis initium sumebant. «Tum clare dicito, me re vera patre libertino natum esse.» Lege Sat. 1, 6, 46. — *Maiores pennas*] «Dices me maiora omnino ausum atque etiam feliciter adeptum esse, quam concedere visa sit tenuis mea origo.» Construe autem *pennas maiores nido* (quam nidus erat) *extendisse*, explicasse ad volatum. — *Me primis*] Cfr. Sat. 2, 1, 75. Epp. 1, 7, 35: *Principibus placuisse viris non ultima laus est.* Haec autem scribens recordatus est et Bruti Cassiique, et Octaviani atque Maecenatis.

24. 25. *exigui*] Sat. 2, 3, 308: *longos imitaris ab imo Ad summum totus moduli bipedalis;* et Augustus in Epistola ad Horatium apud Suet. Vit. Hor.: *Sed si tibi statura deest, corpusculum non deest. Itaque licebit in sextariolo scribas, cum circuitus voluminis tui sit ὀγκωδέστατος, sicut est ventriculi tui.* — *praecanum*] «canum ante tempus.» Schol. — *solibus aptum*] «apricationibus gaudentem frigorisque metuontem.» Sic Plin. Epp. 6, 16: *usus ille soli, mox frigida, gustaverat iacens.* Iuven. 11, 203: *Nostra bibat vernum curata cuticula solem.* — *Irasci celerem*] Propter hoc quoque eum per iocum videntur reprehendisse Augustus et Maecenas, ut a Lydia se appellari fingit *iracundiorem Hadria* Od. 3, 9, 23. Quocirca sŭbiicit: «ita tamen iracundus (ἀκρόχολος, ὀξύθυμος) sum, ut facillime rursus placer.»

27. 28. *quater undenos*] Horatius natus a. u. c. 689, a. u. c. 733. XLIV. annos natus erat. — *Collegam Lepidum quo duxit*] Explicandum hoc est ex Cassio Dione 54, 6. Per Augusti absentiam (a. u. c. 732.) populus Romanus in creandis consulibus seditione agitatus est. Consulatus quidem locus alter Augusto servabatur, ideoque anni 733. initio M. Lollius solus consulatum gessit; Caesare autem consulatum non accipiente Q. Aemilius M. F. Lepidus et L. Silanus eum pe-

**Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.** 25
**Forte meum si quis te percontabitur aevum,**
**Me quater undenos sciat implevisse Decembres,**
**Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.**

v. 28. *dixit* ex Doeringii coni. Mein.

tiverunt; itaque ambitu omnia sic conturbarunt, ut prudentes viri Augustum Romam revocarent. Ipse quidem Romam non rediit, sed candidatos ad se profectos acriter increpuit, iussosque cum suffragia ferrentur abesse, dimisit. Nihilo inde sedatius res acta est, sed tantum denuo factionum ac turbarum exstitit, ut vix tandem Lepidus consul crearetur. Itaque veluti *praecedens* Lollius post se quasi comitem aliquanto tardiorem *duxit* Lepidum.

# Q. HORATII FLACCI EPISTOLARUM

## LIBER SECUNDUS.

## EPISTOLA I.

### AD CAESAREM AUGUSTUM.

Cum tot sustineas et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,

v. 2. *moenibus* Bentleii susp.

I. Tres libri huius secundi Epistolae consimilis quodammodo sunt argumenti, cum singulae ad poësis studia pertineant. In prima enim antiquiores poëtae Romani cum recentioribus aetatis Augusteae, atque omnino Graecae poësis historia et indoles cum toto genere Romanae conferuntur; in altera narrat Horatius de suis poësis studiis, tunc quidem a se depositis, atque de multorum sui temporis poëtarum perversitate et ineptiis; in tertia denique artis praecepta tradit. Atque huius quidem primae epistolae occasio, Suetonio teste (Vit. Horat.) haec fuit: «*Augustus post sermones lectos, nullam sui mentionem habitam ita est questus*: Irasci me tibi scito, quod non in plerisque eiusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris ne apud posteros tibi infame sit, quod videaris familiaris nobis esse? *expressitque Eclogam, cuius initium est:* Cum tot sustineas» cet. Post splendidum exordium (vv. 1 — 17.) nimiam veterum poëtarum admirationem exagitat et ostendit, quam parum firmum et rectum sit eorum iudicium, qui poëmata tantum ex vetustate aestiment. (v. 49.) Tum his ipsis veteribus Romanorum poëtis ita enumeratis, ut et Criticorum sibimet ipsi plerumque iniquorum atque antiquissima quaeque in invidiam novae, ut ita dicam, poëtarum sectae unice praedicantium, et propriam suam de iisdem sententiam exponat (v. 89.), extremis quasi lineamentis descriptam, sed perquam ingeniose, Graecorum et Romanorum indolem vi-

**Legibus emendes, in publica commoda peccem,**
**Si longo sermone morer tua tempora, Caesar.**
**Romulus et Liber pater et cum Castore Pollux,** 5

taeque rationes inter se comparat (v. 106.), eo quidem consilio, ut demonstret, si Graecorum vetustissima quaeque carmina sint etiam optima, hoc idem iudicium in Romanorum carminibus locum habere non posse. Deinde cum antiquiorum Romanorum ingenio a subtilioribus Musarum artibus alieno non sine aliqua derisione fervidum illud studium componit, quo suae aetatis homines ad versus scribendos rapiantur, additque poësis laudationem, in qua a iocosa et submissa tractatione usque ad sublimem gravitatem assurgit (v. 138.). Postea Augusto poësis condicionem et rationem, qualis tunc Romae fuit, scenicae in primis, exponit (v. 213.) atque etiam reliquos poëtas praeter scenicos principi commendat, eo potissimum nomine non negligendos, quia generosi et populi et principis intersit praeclaros praeclare factorum praecones nancisci, (v. 250.); quod dum dicit sponte quasi et ipsa sermonis via ad eam excusationem defertur, qua haud semel in poëmatis suis utitur, se quidem tantis tamque splendidis rebus ab Augusto gestis imparem esse celebrandis. Zell. Etenim, ut alibi iam significavimus, abhorrebat animus voluntasque eius a toto illo genere panegyrico, medio inter epicum et lyricum et ab utroque remoto. Scripta videtur Epistola a. u. c. 744., Horatii LV.

1. 2. *sustineas*] «administres ita, ut tanto oneri par sis viribus.» *Sustinere* autem *negotia*, ut *onus*. — *solus*] Tacit. Ann. 1, 2: *eadem magistratuum vocabula, sed - - omnes exuta aequalitate iussa principis adspectare.* — *Res Italas*] «Imperium Romanum tam potens reddidisti, ut nullus iam hostis ei metuendus sit.» — *moribus ornes*] «operam navans, ut mores per bella in primis civilia foede corrupti ad priorem decorem integritatemque revocentur, idque partim proprio exemplo, partim severe punitis adulteris atque impudicis, partim lege de adulteriis lata et altera de maritandis ordinibus saltem praeparata.» Cfr. Od. 4, 5, 21.

3. 4. *Legibus emendes*] Significat praecipue emendationem formae rei publicae totius post turbulenta illa bellorum civilium tempora, in primis accuratam et Italiae et provinciarum administrationem. — *tua tempora*] «quae in negotia publica insumere decrevisti.»

5. 6. *Romulus*] «Heroes illi antiqui bene de genere humano meriti post mortem demum ab hominibus, antea invidis, iustis honoribus affecti ac pro dis culti sunt: sapientius quidem te, invidia maiorem, iam nunc, ut mereris, veneratur populus Romanus; sed idem in poëtarum meritis vere aestimandis minus recto iudicio uti consuevit.» — Mira arte vocabulo *Caesar* subiungit v. *Romulus*: nam Octavianus alter *Romulus* fuit, ut sena-

**Post ingentia facta deorum in templa recepti,**
**Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella**
**Componunt, agros assignant, oppida condunt,**
**Ploravere suis non respondere favorem**
**Speratum meritis. Diram qui contudit hydram** 10
**Notaque fatali portenta labore subegit,**
**Comperit invidiam supremo fine domari.**
**Urit enim fulgore suo, qui praegravat artes**
**Infra se positas; exstinctus amabitur idem.**
**Praesenti tibi maturos largimur honores** 15

v. 6. *fata* Bentl. coni.

tores nonnulli eum appellandum censuerant; praevaluit tamen *Augusti* nomen. Suet. Oct. 7. — *Post ingentia facta*] «Post res gestas eximia virtutis gloria in perpetuum memorabiles in deorum numerum relati.» — *deorum in templa recepti*] «ab hominibus,» significatu v. *templa* proprio, non: «in caelum.»

7—9. *Dum - - condunt, Ploravere*] «Dum bene merentur de hominibus, aegre tulere et saepe conquesti sunt de ingrato illorum animo» cet.

10 — 14. *contudit*] Hercules τῷ ῥοπάλῳ τὰς κεφαλὰς αὐτῆς ἔκοψε. Apollod. 2, 5, 2. Proprie igitur *contudit* dixit pro *peremit*. — *fatali*] fatali necessitate Herculi imposita ab Eurystheo, quia hic, rem ita moderante Iunone, prior illo natus erat. — Comperit unum tamen monstrum, invidiam, aliter non posse domari nisi morte eius, cui invidetur. — *Urit*] «Splendore enim suo laedit aequales, qui ceterorum artes virtutesque suis longe inferiores praeponderare et propterea ipso suo pondere atque vi ingenti alte deprimere videtur;» *urere* ergo est laedere, offendere eo, quod aliena gloria tamquam fulgor oculos reliquorum praestringit, *praegravare* autem *niederdrücken*, ut Sat. 2, 2, 78. — *artes*] latissimo significatu, ἐπιτηδεύματα, studia, etiam in rebus civilibus, ideoque etiam homines, qui artes minore peritia quam ipse ille vir summus atque experientissimus exercent.

15. 16. *Praesenti*] «Nos contra hac in re priscis illis Graecis sapientiores iam nunc ultro agnoscimus praeclaras tuas virtutes teque, dum inter nos versaris, honoramus.» — *maturos*] «tempestivos in vita, non seros post mortem.» — *honores*] praesertim libationes. Od. 4, 5, 34. — *Iurandasque*] «quas

**Iurandasque tuum per nomen ponimus aras,**
**Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.**
**Sed tuus hic populus, sapiens et iustus in uno**
**Te nostris ducibus, te Grais anteferendo,**
**Cetera nequaquam simili ratione modoque**
**Aestimat, et, nisi quae terris semota suisque**
**Temporibus defuncta videt, fastidit et odit,**
**Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes,**
**Quas bis quinque viri sanxerunt, foedera regum**
**Vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis,**
**Pontificum libros, annosa volumina vatum**

v. 16. *numen* Bentl. Mein.

tenentes per tuum nomen iuremus.» Cic. pro Flacco 36: *is, cui, si aram tenens iuraret, crederet nemo.*

18 — 21. *Sed*] «Sed hic idem populus, tibi ex toto deditus» cet. — Iunge autem *in uno te anteferendo*, id est, «te longe anteponens ceteris omnibus.» — *terris semota*] « remota iam e terris (*der Erde entrückt*), propterea quod *suis temporibus defuncta* sunt, id est, quod ex fati legibus mortem obierunt operum illorum auctores.»

23 — 25. *veterum*] gen. neutr., «omnium veterum linguae nostrae monumentorum.» — *tabulas*] XII. a decemviris quattuor seculis ante hanc epistolam conscriptam sanctas. — *Gabiis*] De foedere inter Tarquinium Superbum et Gabinos icto v. Liv. 1, 54. et Dionys. Halic. 4, 58., qui praeter exspectationem aequum fuisse tradit, haec subiungens: *Τούτων ἐστὶ τῶν ὁρκίων μνημεῖον ἐν Ῥώμῃ κείμενον ἐν ἱερῷ Διὸς Πιστίου, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκον καλοῦσιν, ἀσπὶς ξυλίνη βύρσῃ βοείᾳ περίτονος τοῦ σφαγιασθέντος ἐπὶ τῶν ὁρκίων τότε βοός, γράμμασιν ἀρχαϊκοῖς ἐπιγεγραμμένη τὰς γενομένας αὐτοῖς ὁμολογίας.* Eiusmodi igitur foedera similiaque ab antiquariis Horatii aequalibus singulari studio investigabantur atque explicabantur. — *rigidis*] Cic. Vatin. 15: *Sabini severissimi homines.* Foedera autem intelliguntur inter Romulum et T. Tatium vel inter Tullum Hostilium et Sabinos (Dionys. Hal. 3, 33.) vel primis liberae rei publicae temporibus icta. — *aequata*] «aequis et iustis condicionibus icta.»

26. 27. *Pontificum*] Potius quam de pontificum libris ritualibus interpreter de Annalibus maximis a pontifice maximo quotannis circiter usque ad a. u. c. 620. confectis. Cic. de Legg. 1, 2: *Annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse iucundius.* (Ursinus;

**Dictitet Albano Musas in monte locatas.**
**Si, quia Graecorum sunt antiquissima quaeque**
**Scripta vel optima, Romani pensantur eadem**
**Scriptores trutina, non est quod multa loquamur:**
**Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri;**
**Venimus ad summum fortunae, pingimus atque**
**Psallimus et luctamur Achivis doctius unctis.**
**Si meliora dies, ut vina, poëmata reddit,**
**Scire velim, chartis pretium quotus arroget annus.**
**Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter**
**Perfectos veteresque referri debet an inter**
**Viles atque novos? Excludat iurgia finis.**
**Est vetus atque probus, centum qui perficit annos.**

**v. 31.** *olea* **Bentl. v. 33.** *scitius* **Fea. M.**

*tiunius.)* — *volumina vatum*] «vaticinia versibus Saturniis composita a Cn. Marcio:» Liv. 25, 12., ubi ipsa vatis verba, quod erant antiquiora, paullum sunt immutata. — *Albano*] Ut Musae in Parnasso et Helicone Graecam poësin condiderunt, sic ex eorum, quos irridet, opinione a Camenis in monte Albano Iovi Latiali sacro versantibus poësis Latina profecta erat.

28—45. *Si, quia*] «Atqui, si, quoniam, ut ego quoque cum omnibus ultro fateor, scripta Graecorum antiquissima quaeque (in primis Homeri et Archilochi poëmata) eadem etiam praestantissima sunt, idcirco Latini scriptores simili ratione aestimantur, ut priscis primus locus tribuatur, pluribus verbis non iam opus est; immo absurdissima quaeque ἐνθυμήματα illi similia probare licet.» — *Nil intra*] est ἐνθύμημα contractum et implicatum ex his: 1) «Oliva et nux similes sunt fructus, quoniam ex utraque oleum exprimitur. 2) Nihil duri est intra nucem; ergo neque intra olivam. 3) Nihil duri est extra oleam; ergo neque extra nucem.» Iam his falsissimis argumentationibus, aequiparat illam: «Graeci antiquissimi iidem sunt optimi; ergo etiam Latinorum antiquissimi quique.» — *Venimus*] Artissime haec cum praecedentibus cohaerent. Hoc enim dicit: «Eodem prorsus iure, id est, aeque absurde, contendere possumus nos in omnibus rebus primas tenere ideoque nullum progressum facere posse, non solum in arte militari, sed etiam in iis artibus, quas, quicunque caecus non est, scitius a Graecis exerceri fatetur.» — *unctis*] Graeci cum assidue in palaestras suas descen-

Quid, qui deperiit minor uno mense vel anno,
Inter quos referendus erit? veteresne poëtas,
An quos et praesens et postera respuat aetas?
Iste quidem veteres inter ponetur honeste,
Qui vel mense brevi vel toto est iunior anno.
Utor permisso caudaeque pilos ut equinae
Paullatim vello et demo unum, demo et item unum,
Dum cadat elusus ratione ruentis acervi,
Qui redit in fastos et virtutem aestimat annis
Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit.
Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant et somnia Pythagorea.

v. 46. *itidem* Mein. *etiam* Lamb.

dere solerent, frequenter oleo ungebantur. Cfr. Plin. Epp. 10, 49. — *arroget*] «velut arrogatione in comitiis curiatis facta, legitime afferat ac tribuat:» sic Od. 4, 14, 40: *decus arrogavit.* — *decidit*] «mortuus est,» imagine a foliis caducis repetita. — *Excludat*] «Definitio temporis certusque terminus dirimat litem et controversiam componat.» — *deperiit*] Ovid. Trist. 4, 10, 82: *perire* item de morte naturali. — *caudae - - equinae*] Fortasse recordabatur notae de Sertorio narratiunculae apud Plut. Sert. 16.

47 — 49. *cadat elusus*] ut gladiator ab adversario artem magis callente *elusus* et tandem victus concidit. — *ratione*] «eodem modo, quo necessario corruit tandem acervus, cui continuo unum granum post alterum subtraxeris;» cum scita soritae s. *argumentationis acervalis* (Cic. de Divin. 2, 4. Acad. 2, 16.) significatione. — *Qui redit in fastos*] «Qui unice antiquitatis rationem init.» — *Libitina*] Cfr. Od. 3, 30, 7. Sat. 2, 6, 19.

50 — 52. *Ennius et sapiens*] Suum ingenium ipse descripsit (A. Gellius 12, 4. Fragm. Ann. 7, 104—111.), ubi inter alia haec leguntur: *doctu', fidelis - - verbûm Paucûm, multa tenens antiqua, sepulta, vetusta - - Multarum veterum legum diumque hominumque Prudentem.* — *alter Homerus*] «quemadmodum scilicet critici nostri Latini, elegantes illi profecto ac periti, contendunt, aequiparandus Homero.» «Adeo praestans ergo est poëta, ut (*leviter curare*) prorsus securus esse possit de suorum promissorum eventu, quae nunc magis, quam fortasse ipse sperarat, impleta videt.» — *somnia Pythagorea*] Pseudocornutus ad Pers. Sat. 6, 9: *Cor*

**Naevius in manibus non est et mentibus haeret**
**Paene recens? Adeo sanctum est vetus omne poëma.**
**Ambigitur quotiens uter utro sit prior, aufert**
**Pacuvius docti famam senis, Accius alti,**
**Dicitur Afrani toga convenisse Menandro,**
**Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,**
**Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.**

*iubet hoc Enni, postquam desertuit esse Maeonides, Quintus pavone ex Pythagoreo*: «Sic enim ait Ennius in Annalium suorum principio, ubi se dicit vidisse in somniis Homerum dicentem, fuisse se quondam pavonem et ex eo translatum in se animam esse, secundum Pythagorae definitionem, qui dicit, animas humanas exeuntes ex corporibus in alia posse transire.» Ex eo somnio supersunt hae reliquiae: *Transnavit cita per teneras caliginis auras* (anima Homeri:) — *visus Homerus adesse poëta. Tum memini fieri me pavum.*

53. 54. *Naevius*] «Ipse ille Naevius, etsi Ennio sane postponendus, nonne permultos etiam nunc lectores habet atque admiratores?» Cn. Naevius a. u. c. 519. primam fabulam docuit, mortuus a. u. c. 550. Uticae, in exilio. Praeter tragoedias et comoedias celebrabatur eius Bellum Punicum primum, Saturniis versibus conscriptum. — *Paene recens*] «Tamquam prope noster aequalis esset.»

55. *aufert*] «quasi dono vel praemio accipit, et *docti* existimationem obtinet.»

56. *Pacuvius*] M. Pacuvius, Ennii sororis filius, Brundisinus, natus a. u. c. 534., amicus C. Laelii, cum LXXX. annos natus novam docuisset fabulam, Tarentum migravit ibique mortem obiit prope nonagenarius. — *docti*] «probe versati maxime in Graecis poëtis et epicis et tragicis, ex quibus suarum tragoediarum argumenta desumere solebat.» — *Accius*] L. Accius natus a. u. c. 584. vitam eo usque produxit, ut viderit C. Iulium Caesarem Strabonem Vopiscum, oratorem et poëtam tragicum, qui a. u. c. 667. aedilitius periit. — *alti*] «sublimis.» Repete autem *senis*. Quinctil. 10, 1, 97: *Tragoediae scriptores veterum Accius atque Pacuvius clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate personarum. Ceterum nitor et summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus quam ipsis defuisse. Virium tamen Accio plus tribuitur: Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt.*

57. *Afrani*] L. Afranius floruit circiter a. u. c. 660. Quinctil. 1, 10, 100: *Togatis excellit Afranius, utinamque non inquinasset argumenta puerorum foedis amoribus, mores suos fassus.* Cic. Brut. 45: *L. Afranius poëta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut scitis, disertus.* Hoc igitur dicebant

**Hos ediscit et hos arto stipata theatro**
**Spectat Roma potens; habet hos numeratque poëtas**
**Ad nostrum tempus Livi scriptoris ab aevo.**
**Interdum volgus rectum videt, est ubi peccat.**
**Si veteres ita miratur laudatque poëtas,**
**Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat:**
**Si quaedam nimis antique, si pleraque dure**

Critici: «Afranii fabulas togatas, et quidem tabernarias, prope accedere ad Menandri fabulas (palliatas); illum vitam moresque Romanorum eadem felicitate imitatum esse ac Menander expresserit Atticos; hunc in Attico sermone summam elegantiam consecutum esse, illum in Latino.»

58. *Plautus*] mortuus a. u. c. 570. «Plauti comoediae maxime sunt motoriae et, ut in alio genere Homerus, sic ille *semper ad eventum festinat* (A. P. 148.); *properat* igitur, ut rapido progressu ad fabulae καταστροφὴν perveniat, neque unquam in rebus minutis immorando retardat spectatorem.» Eundem autem, ut videtur, χαρακτῆρα in Epicharmo reperire sibi videbantur Critici illi ignoti, quorum iudicia Horatius refert: quocirca huic Plautum aequiparabant, non quod imitatus esset Siculum poëtam; eius enim exemplaria fuerunt poëtae Attici novae comoediae. *Properat* igitur absolute positum est; vv. autem *ad exemplar* ex Latina consuetudine significant, quod minus recte recentiores dicunt *secundum, iuxta exemplar.* — *Siculi--Epicharmi*] Siculus dicitur, quia vix trimestris e patria in Siciliam venit. Est enim in insula Co natus, aequalis Pindaro atque Aeschylo. Vitam produxit usque ad tempus Hieronis tyranni a. ante Chr. 477.

59. *Caecilius*] C. Caecilius Statius, natione Insuber Gallus, servus genere, Ennii familiaris, posteriore parte seculi VI. floruit et anno post Ennii mortem, a. u. c. 586., mortuus est. Cic. de opt. gen. dic. 1: *Caecilius fortasse summus comicus*: sed ad Att. 7, 3, 10: *malus auctor Latinitatis.*

60—62. *ediscit*] frequenter et legendo et spectando. Vera autem ratio, cur tantopere amarentur a populo poëtae, quos enumerat, haec erat, quod post Accium tragoedia, post Afranium comoedia Latina degenerarat, nec eo quo scripsit tempore ulla prope fabula vera laude digna prodierat praeter Varii Thyestem. — *Livi*] Livii Andronici, ut videtur, Tarentini, a C. Livio Salinatore ob ingenii meritum libertate donati, qui a. u. c. 514., anno ante Ennium natum, primus Romae fabulam docuit, Odysseamque in Latinum convertit versibus Saturniis. Cic. Brut. 18: *Odyssea Latina est sic, tamquam opus aliquod Daedali.*

66—68. *nimis antique*] «ἀρχαϊκῶς, in modum, qui praesenti

**Dicere credit eos, ignave multa fatetur,**
**Et sapit et mecum facit et Iove iudicat aequo.**
**Non equidem insector delendaque carmina Livi**
**Esse reor, memini quae plagosum mihi parvo**
**Orbilium dictare; sed emendata videri**
**Pulchraque et exactis minimum distantia miror:**
**Inter quae verbum emicuit si forte decorum et**

v. 67. *cedit* Bentl. Mein.

consuetudini Latinae repugnat.» Sic etiam Augustus, cuius sententiam pulchre noverat poëta, *cacozelos et antiquarios, ut diverso genere vitiosos, pari fastidio sprevit.* Suet. Oct. 86. — *pleraque* «(permulta,» non: «plurima») *dure*] in compositionibus ab reliquae linguae indole abhorrentibus, constructionibus intricatis, scabris versibus. — *ignave*] «sine nervis ac sanguine,» qualia ἀργὰ καὶ τὸν ἀκροατὴν ἠρεμεῖν ἐῶντα nominat Dion. Longin. 34, 4., non satis παθητικά. — *Iove - aequo*] «Propitio sibi; Iove quidem irato fit, ut errent homines ac delirent.» PORPH.

69 — 72. *insector*] Construe: *Non insector carmina Livii delendaque ea esse reor*, id est, «non equidem tam infenso sum animo in veteres nostros poëtas, ut exempli gratia Livii Andronici scripta obliteranda et ex hominum manibus in perpetuum extorquenda censeam.» Orbilius Pupillus autem, teste Suet. Gramm. 9., primum apparitor magistratuum, dein miles, postremum studiis, quae iam inde a puero non leviter attigerat, repetitis, quinquagesimo demum anno Romam rediit a. u. c. 691., adeo ut, cum Horatius natus a. 689. eum audire poterat (a. u. c. 704 — 706.), minimum LXIV. annos natus esset. — *plagosum*] De antiqua scholarum disciplina cfr. Plaut. Bacchid. 3, 3, 27: *ubi revenisses domum, Cincticulo praecinctus in sella apud magistrum adsideres; Tum librum legeres. Si unam peccavisses syllabam, Fieret corium tam maculosum, quam est nutricis pallium.* Suet. Gramm. 9. *Fuit autem* Orbilius *naturae acerbae non modo in antisophistas, quos omni sermone laceravit, sed etiam in discipulos, ut Horatius significat plagosum eum appellans et Domitius Marsus scribens Si quos Orbilius ferula scuticaque cecidit* cet. — *dictare*] ἀποστοματίζειν Plato Euthyd. p. 276. C. «voce lente praeire, ut calamo exciperentur et, explicata cum essent, memoriae mandarentur.» — *exactis*] ἐξειργασμένοις, διακριβωμένοις, perfectis. — *miror*] Idem iam fuerat Ciceronis iudicium nominatim de Livio, Brut.

Si versus paulo concinnior unus et alter,
Iniuste totum ducit venditque poëma. 75
Indignor quidquam reprehendi, non quia crasse
Compositum illepideve putetur, sed quia nuper;
Nec veniam antiquis, sed honorem et praemia posci.
Recte necne crocum floresque perambulet Attae
Fabula si dubitem, clament periisse pudorem 80
Cuncti paene patres, ea cum reprehendere coner,

18: *Livianae fabulae non satis dignae, quae iterum legantur.*

73—75. *emicuit*] «Inter quae carmina Livii et cetera antiqua si verbum ex insperato apparuit et prae ceteris pulchritudinis suae specie animum lectoris ad se advertit.» Intelligit praesertim verba feliciter vel derivata vel composita. — *concinnior*] «non solum regulis metricis satisfaciens, verum etiam sono ipso auribus gratus ac rei, quam exprimit, prorsus conveniens.» — *ducit*] «sine causa et immerito verba et versus aliquot pulchri secum ducunt totum poëma, quo sine his locis illustribus pervenire non posset, id est, in theatra, in grammaticorum scholas, in privatorum quoque bibliothecas, atque talia in loca perductum *vendunt* s. commendant, applausum ei conciliant.» *Vendere* enim et *venditare poëma* vel *orationem* est «eam commendare.» Cic. ad Att. 13, 12: *Ligarianam praeclare vendidisti.* ad Att. 1, 16: *Valde te venditavi.* Sic *vendibilis orator* Cic. Brut. 47., «probabilis, qui populo placet.»

76. 77. *crasse*] ut *crassa Minerva.* (Sat. 2, 2, 3.) Cic. ad Fam. 9, 12: de sua Deiotariana: *munusculum levidense, crasso filo.* Quinctil. 1, 10, 28: *crassiore, ut vocant, Musa*; metaphora desumpta a lanificio, ut *pingui Minerva* ab obesitate. — *illepide*] ἀχαριέντως, *ohne Geschmack und Anmuth.*

79. *Recte*] Fabula vere pulchra *recte*, id est, firmo ac nunquam titubante vel claudicante ingressu scenam *perambulare* dicitur simili metaphora atque dicunt *fabulam stare* vel de contrario eventu *cadere*, ubi explodituri. «Utrum etiamnunc laudem mereantur Attae togatae necne.» — T. (non C.) Quinctius Atta scriptor togatarum, satirarum epigrammatumque mortuus a. u. c. 676. Fronto p. 95. Ed. Rom.: *particulatim elegantem Attam in verbis muliebribus* vocat. — *crocum*] liquidum, *Safranessenz.* Plin. H. N. 21, 6: *Vino mire congruit crocum, praecipue dulci; tritum ad theatra replenda.* Fabulam igitur Attae dicit in scenam productam, quae scena floribus et croco spargi solet. Lucret. 2, 416: *Et cum scena croco Cilici perfusa recens est.*

Quae gravis Aesopus, quae doctus Roscius egit:
Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt;
Vel quia turpe putant parere minoribus et quae
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.
Iam Saliare Numae carmen qui laudat et illud,
Quod mecum ignorat, solus volt scire videri,
Ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.
Quod si tam Graecis novitas invisa fuisset
Quam nobis, quid nunc esset vetus? aut quid haberet,

82—85. *Aesopus*] nobilissimus tragicarum fabularum actor, *summus artifex et semper partium tam in re publica quam in scena optimarum*, ut ait eius familiaris Cicero pro Sestio 46. *Gravis* autem vocatur, quia primas illas partes tragoediarum egregie agebat, ut Agamemnonem, Aiacem, Eurysacen. Vixit certe usque ad a. u. c. 699. V. Onomast. Cic. *Q. Roscius* comoedus aeque nobilis, pro quo exstat Ciceronis oratio, huiusque *amores et deliciae*, de Divin. 1, 36.; *doctus* autem, *quod id est consecutus, ut, in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere* Roscius *diceretur*. De Or. 1, 28. Roscius cum mortuus sit a. u. c. 693. (Cic. pro Arch. 8.), si anno 690. in scena comparebat neque artem desierat, sane qui a. u. c. 744. vivebant circiter septuagenarii, utriusque actoris probe meminisse poterant. «Ab Aesopo et Roscio egregiae tantummodo actae sunt fabulae, quas reprehendere nefas est; atque ex harum numero Attae quoque togatae sunt.» — *parere minoribus*] «iuniorum iudiciis sese accommodare ac fidem tribuere.» — *perdenda*] «missa facienda,» «oblivioni tradenda.»

86. *Iam*] gradationi inservit: *Vollendo nun.* — *Saliare Numae*] Liv. 1, 20: (Numa) *Salios item duodecim Marti Gradivo legit: caelestiaque arma, quae ancilia appellantur, ferre ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis sollemnique saltatu iussit.* Cum carmine fratrum Arvalium hoc Saliare versibus Saturniis scriptum, quod *axamenta* dictum fuisse Festus tradidit, antiquissimum fuit, de quo accepimus. Quinctil. 1, 6, 40: *Saliorum carmina vix sacerdotibus suis satis intellecta.*

92. *tereret*] de assidua lectione. Cic. ad Fam. 9, 25: *Παιδείαν Κύρου - - contriveram legendo.* — *viritim*] «singuli cives Romani et qui praeter hos Latine sciunt.» — *publicus usus*] est usus s. usus fructus rerum, quas antiqui publicas vel communes appellabant, quarum dominium, ut aiunt ICti, nemo ita poterat occupare, ut exclu-

**Quod legeret tereretque viritim publicus usus?**
**Ut primum positis nugari Graecia bellis**
**Coepit et in vitium fortuna labier aequa,**
**Nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum,**
**Marmoris aut eboris fabros aut aeris amavit,**
**Suspendit picta voltum mentemque tabella,**
**Nunc tibicinibus, nunc est gavisa tragoedis;**
**Sub nutrice puella velut si luderet infans,**
**Quod cupide petiit, mature plena reliquit.**
**Quid placet aut odio est, quod non mutabile credas?**

deret alios. Tales sunt aër, aqua profluens, mare eiusque littora. Ita et poëmata publico usui inserviunt, quoniam omnibus aeque iis delectari licet.

93. 94. *Graecia*] Haec omnia praecipue de Atheniensibus valere manifestum est. — *positis - - bellis*] maxime post composita bella Persica. — *nugari*] «se dare ad omnia poësis genera, ad picturae, sculpturae, musicae artes, ad ludos gymnasticos;» quae omnia cum atrocissimis illis bellis comparata partim ingeniorum sunt lusus, partim virium ludicrae exercitationes, *nugae* igitur, sine reprehensionis significatione. — *in vitium*] «in vitium deliciarum propter prosperitatem fortunae.» Comm. Cr. Vocabulo *vitium* admodum malitiose usus est ideo, quod *βαναύσοις* inter Romanos omnia haec Graecorum studia *vitiosa* et supervacanea videbantur. — Significat autem morum mutationem, quae paullatim inde a Pericle usque ad Philippum Macedonem facta est, cum a prisca simplicitate et ab illa *μεγαλοψυχίᾳ*, quam bella Persica iis instillarant, pedetentim recedentes effuse se dederent cunctarum artium illecebris, donec discordiis debilitati atque in mollitiem lapsi tandem in Macedonum potestatem pervenerunt. — *labier*] Cfr. Sat. 1, 2, 35.

96—102. *fabros*] *τεχνίτας*. — *eboris*] Recordare vel Phidiae Iovem Olympium. — *Suspendit*] «Tabulas pictas attentissime spectavit, ita ut oculos cogitationemque ab iis vix removere posset, cum pulchri species atque exemplar in intimos eius affectus penetrasset.» — *tibicinibus*] «symphoniacis,» ex quibus unum genus nominat. — *Sub nutrice*] «moderante nutrice,» ut Epp. 1, 16, 77: *saevo te sub custode tenebo*. Nutrices autem apud antiquos primum fere per triennium infantes educabant. — *mature plena*] Sic iungendum videtur, non *mature reliquit*, quod ingratam efficeret *ἀντίθεσιν* vv. *cupide petiit*. Est autem: «*ἀφίκορος*, celeriter satiata *Graecia*,» non, ut alii volunt, *puella*. — *Quid placet*] «Ex

**Hoc paces habuere bonae ventique secundi.**
**Romae dulce diu fuit et sollemne reclusa**
**Mane domo vigilare, clienti promere iura,**
**Cautos nominibus rectis expendere nummos,** 105
**Maiores audire, minori dicere, per quae**
**Crescere res posset, minui damnosa libido.**
**Mutavit mentem populus levis et calet uno**
**Scribendi studio; pueri patresque severi**
**Fronde comas vincti coenant et carmina dictant.** 110

v. 105. *Scriptos* e Cod. Barthii Bentl. Ib. *certis*. Lamb.

humanae naturae condicione nihil in perpetuum aut placet aut spernitur; haud igitur mirum est, si Graeci quoque ab una ad aliam artem praecipue colendam transierunt.» Hoc versu, si quid in Graecorum studiis inesse videatur levitatis atque inconstantiae, quodammodo excusat. — *ventique secundi*] «prospera fortuna hoc effecit, ut tali modo tantoque cum successu Graeci liberalibus artibus operam darent.»

103—105. *Romae*] «Romanorum contra ab artibus liberalibus primum aversorum haec fuerunt praecipua studia» cet. Cfr. A. P. 323. — *sollemne*] «consuetudine usurpatum.» Comm. Cr. — *Mane*] Sat. 1, 1, 10: *Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.* — *Cautos*] Formularum sermone perquam scite hic usus est, ut apparet ex Plin. Epp. 10, 62: *distribuendam inter decuriones pecuniam ita, ut recte rei publicae caverent*; Cod. 2, 4, 2: *recte cauta pecunia*, Est igitur: «pecuniam *recte*, i. e. a debitore legitimis chirographorum formulis *cautam*, huic credere (fenori dare) atque *expendere* (expensam ferre.)» Iunge autem *nummos cautos nominibus rectis* ablat., non *expendere nominibus* dativ.

108. *Mutavit*] Animi tunc fessi erant discordiis intestinis libenterque fruebantur pace ab Augusto conservata, ita tamen, ut longe minor civium pars quam vetere re publica aut domi negotiis civilibus et eloquentia aut militiae bellica virtute gloriam sibi parare et vellet et posset; praeterea Graecae litterae in dies magis innotescebant. Iam propter haec omnia permulti, ne vitam otio tererent, poëticis studiis sese dederunt, eoque magis, quod Augustum et Maecenatem his favere videbant; quo in fervore omnium aliter vix fieri poterat, quam ut multa poëmata non solum mediocria, sed etiam mala prodirent, ac plerique servilem Graecorum imitationem nunquam egrederentur. Hanc subitam igitur ingeniorum ac studiorum mutationem lepide deridet,

Ipse ego, qui nullos me adfirmo scribere versus,
Invenior Parthis mendacior et prius orto
Sole vigil calamum et chartas et scrinia posco.
Navim agere ignarus navis timet, abrotonum aegro
Non audet, nisi qui didicit, dare; quod medicorum est,
Promittunt medici; tractant fabrilia fabri:
Scribimus indocti doctique poëmata passim.
Hic error tamen et levis haec insania quantas
Virtutes habeat, sic collige: vatis avarus
Non temere est animus; versus amat, hoc studet unum;

εἰρωνείᾳ in semet ipsum quoque usus.

109—113. *severi*] «qui propter aetatem severi esse deberent, ipsi quoque nugis indulgent.» — *Fronde*] lauri, olivae, hederae poëtarum habitum sumentes pro solita corona ex apio et rosis nexa. — *dictant*] «Sub finem coenae carmina (utique prius composita) tam graviter alta et sonora voce recitant, quasi a convivis, quibus interea dura tacendi necessitas imposita erat, calamo excipienda essent.» — *Parthis mendacior*] Proverbium est, ut de Punica et Graeca fide, de Cretensibus ἀεὶ ψευσταῖς. Od. 4, 15, 23: *infidi Persae.* — *scrinia*] librariola (Cic. de Legg. 1, 1.), capsae, in quibus libros et chartas asservabant.

114—117. *Navim*] Similis locus est A. P. 114. et erat omnino locus communis a sophistis decantatus. — *abrotonum*] artemisia abrotonum L., *Stabwurz.* Plin. 21, 21: *usus est foliis, sed maior semini ad excalfaciendum; id nervis utile, tussi, orthopnoeae* cet. Cels. 3, 21: *urinam movet.* — *quod medicorum*] «Sapienter relinquimus medicinam medicis et fabris omnia, quae ad eorum artem pertinent: contra carmina omnes componimus.» — *fabrilia fabri*] Speciem habet proverbii. Eurip. Fragm. inc. 94. Dind.: *Τέκτων γὰρ ὢν ἔπρασσες οὐ ξυλουργικά.* — *passim*] «omnes promiscue et semper.»

118—125. *Hic error*] Hanc tamen carmina pangendi *insaniam*, sed *levem*, neminique noxiam commoda etiam quaedam haberè Augusto candide simulque callide ostendit; callide, quatenus simulat se de tota illa poëtarum turba verba facere, cum ea, quae affert, tantummodo de veris summisque poëtis possint affirmari. — *Non temere*] quomodo sensim pervenerit ad significandum idem prope ac *non facile*, optime perspicitur ex Plauti Bacch. 1, 1, 52: *Rapidus fluvius est hic: non hac temere transiri potest:* ubi cum proprie sit: «non inconsiderate,» simul

**Detrimenta, fugas servorum, incendia ridet;**
**Non fraudem socio puerove incogitat ullam**
**Pupillo; vivit siliquis et pane secundo,**
**Militiae quamquam piger et malus, utilis urbi,**
**Si das hoc, parvis quoque rebus magna iuvari.**
**Os tenerum pueri balbumque poëta figurat,**
**Torquet ab obscoenis iam nunc sermonibus aurem,**
**Mox etiam pectus praeceptis format amicis,**
**Asperitatis et invidiae corrector et irae,**
**Recte facta refert, orientia tempora notis**
**Instruit exemplis, inopem solatur et aegrum.**

inest difficultatis notio. — *socio*] in negotiatione aliqua vel publicanorum societate. — *incogitat*] «intendit, molitur;» verbum Horatianum ex illis, quae Graeco fonte parce detorsit, *ἐννοεῖ*, *ἐπιβουλεύει*. — *siliquis*] «leguminibus omnis generis, pisis, fabis, vicia, fortasse interdum etiam silicula proprie dicta, *κερατίοις*, *Iohannisbrod*.» — *pane secundo*] «non siligineo, non primo nec postremo (prorsus atro?), sed dispensatorio.» Comm. Ca. Dicitur etiam *secundarius*, *cibarius*. — *Militiae*] dativus pro *piger ad militiam*: *bonus* autem *alicui rei* cum rectissime dicatur, quidni apud poëtam etiam *malus*, parum idoneus? — *Si das hoc*] «Si concedis his quietis quoque virtutibus, fide ac temperantia, rem publicam legesque stabiliri.»

126 — 131. *figurat*] «format puerorum ora,» ut ait Quinctil. 11, 3, 31.; ediscendis enim poëtarum locis et accurate recitandis *γραμματισταὶ* id spectabant, ut iam in tenera aetate esset *absolutius os et expressior sermo*, Quinctil. 1, 1, 37., id est, «ut distincta atque eleganti pronuntiatione accurate efferret Latini sermonis singula verba.» — *Torquet*] «Et cum *mature* assuescant pueri ad poëtarum nobilem elegantemque sermonem, eo facilius abstinere se a verbis plebeiis et inficetis omnique *αἰσχρολογίᾳ* discunt.» — *Mox etiam*] «Deinde cum progrediente aetate adolescentes iam idonei fiunt ad praecepta virtutis et sapientiae intelligenda ac retinenda, talia iis praebent poëtae, et *grata* quidem, amica et benevola, minus dura atque aspera, quam sunt pleraque philosophorum.» — *orientia tempora*] «unam hominum aetatem post alteram, ut prima quaeque *oritur*, in lucem editur ac priori succedit.» — *notis*] «veteribus, quae ab omnibus cele-

Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset?
Poscit opem chorus et praesentia numina sentit,
Caelestes implorat aquas docta prece blandus,
Avertit morbos, metuenda pericula pellit,
Impetrat et pacem et locupletem frugibus annum.
Carmine di superi placantur, carmine manes.
Agricolae prisci fortes parvoque beati
Condita post frumenta levantes tempore festo
Corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, pueris et coniuge fida,

brantur.» — *aegrum*] «animi aegrum, sollicitum.» Male nonnulli vertunt *den Kranken*, rectius Voss *die Schwermuth*.

133 — 138. *unde*] «a quo,» ut Od. 1, 12, 17. — *preces*] a choris puellarum et puerorum patrimorum ac matrimorum recitatas, quarum exemplum habes Carmen seculare et Od. 1, 21. — *praesentia*] «propitia, opitulantia.» Sic in Eurip. Bacchis v. 582. chorus dei praesentia, *ἐπιφανείᾳ*, perculsus est. — *Caelestes - aquas*] Si quando Romae aquae inopia erat, sacra instituebantur Iovi Pluvio, aquilicia dicta, quippe quibus imbres caelo elicerentur; nudipedalia agebantur, id est, populus nudis pedibus pompam ducebat per Urbem. — *docta*] «blande supplicans dis carmine, quod poëta eum docuit.» *Docta* est participium, non adiectivum. — *Avertit*] maxime Apolline invocato, ut Od. 1, 21, 13. — *metuenda*] «quippe portentis significata.» — *manes*] «di inferi, Dis pater, Proserpina, Hecate,» ut Virg. Ge. 4, 505: Orpheus *Quo fletu Manes, qua Numina voce vocaret?*

139 — 144. *Agricolae*] Iam poëtarum et poësis in cunctam civitatem ac deorum cultum meritis expositis originem atque historiam poësis Romanae exponere aggreditur, rem scenicam potissimum spectans. — *fortes*] «ad laborem validi et seduli.» Schol. — *Condita*] Arist. Eth. Nic. 8, 9: *αἱ ἀρχαῖαι θυσίαι καὶ σύνοδοι φαίνονται γίγνεσθαι μετὰ τὰς τῶν καρπῶν συγκομιδὰς οἷον ἀπαρχαί μάλιστα γὰρ ἐν τούτοις ἐσχόλαζον τοῖς καιροῖς.* — *spe finis*] «Sententia est, tolerabilem fieri laborem laboris fine proposito.» Porph. — *Cum sociis*] Explica: «cum sociis operum, in primis liberis utriusque sexus et casta

**Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,**
**Floribus et vino Genium memorem brevis aevi.**
**Fescennina per hunc inventa licentia morem,** 145
**Versibus alternis opprobria rustica fudit,**
**Libertasque recurrentes accepta per annos**
**Lusit amabiliter, donec iam saevus apertam**
**In rabiem coepit verti iocus et per honestas**

v. 145. *invecta* B.

coniuge.» Raro enim prisci illi agricolae servos possidebant aut operarios adhibebant. — *Tellurem*] Varro R. R. 1, 1, 4. *duodecim deos* enumerat, *qui maxime agricolarum duces sunt. Primum, qui omnes fructus agriculturae caelo et terra continent, Iovem et Tellurem.* Tum Solem et Lunam, Cererem et Liberum, Robigum ac Floram, Minervam et Venerem, Lympham ac Bonum Eventum. — *Silvanum*] In inscriptione admodum suspecta (Inscr. m. Lat. N. 1604.) vocatur *Lar agrestis*, in certa (Ib. N. 1589.) *Conservator Larum Penatium.* — *Genium*] Cfr. Epp. 2, 2, 187. Censorin. 3: *Genius est deus, cuius in tutela, ut quisque natus est, vivit; -- a* genendo *appellatur. Genius autem ita nobis assiduus observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris exceptos ad extremum vitae diem comitetur. — memorem brevis aevi*] Ipse Genius, quoniam una cum eo, quem tutatur, et nascitur et interit eademque laetitia et maestitia afficitur, qua homo, non minus quam hic memor est brevis vitae, eiusque cursus ut quam prosperrime procedat optat.

145. 146. *Fescennina*] Fescennia, Etruriae oppidum prope Tiberim erat, ubi nuptialia inventa sunt carmina. (Serv. ad Aen. 7, 695.) — *inventa*] «Cum hic mos dierum festorum a rusticis celebratorum semel invaluisset, ex hoc more paullatim eo progressi sunt, ut carmina Fescennina invenirent.» — *opprobria rustica*] Cfr. omnino ad Sat. 1, 7, 29.

147 — 150. *recurrentes*] «quotannis eodem messis tempore revertente.» — *accepta*] «grata Romanis, *willkommen*,» non «recepta.» *Lusit amabiliter*] «iocata est sine cuiusquam offensione, comiter ac facete, nec ulla inde rixa oriebatur.» — *In rabiem*] «Iocus antea innocens in rabiem verti coepit, adeo ut *saevus* fieret.» — *Ire*] «impetuose grassari.» — *impune minax*] «nullâ etiamtunc poenâ famosis carminibus constitutâ.» «Severa illa legis poena deterriti, poëtae ad ioços, qui nullam offensionem haberent, proferendos,

**Ire domos impune minax. Doluere cruento**
**Dente lacessiti; fuit intactis quoque cura**
**Condicione super communi; quin etiam lex**
**Poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam**
**Describi: vertere modum formidine fustis**
**Ad bene dicendum delectandumque redacti.**
**Graecia capta ferum victorem cepit et artes**
**Intulit agresti Latio; sic horridus ille**
**Defluxit numerus Saturnius et grave virus**

nominatim ad comoedias palliatas, togatas, Atellanas componendas redacti sunt.»

151 — 154. *Dente lacessiti*] «obtrectatione et maledicentia, quae lacerat etiam probos.» *Cruentum* autem dicit *dentem* morsu cruorem elicientem. Sat. 2, 1, 82. — *Describi*] ut Sat. 1, 4, 3. «notari, χαραχτηρίζεσθαι.» — *vertere modum*] «*sie stimmten den Ton (die Melodie) um.* — *Poenaque lata*] facillimo zeugmate pro: «lex lata poenaque irrogata est.» — *fustis*] Cum teste Cicerone de Rep. 4, 10. capite sanxerint XII. tabulae, *si quis occentavisset*, de supplicio fustuario (*dem Tödten mit Knitteln*), non de simplici castigatione fustibus, s. baculis et vitibus facta accipiendum est.

156. 157. *Graecia capta*] Ovid. Fast. 3, 101: *Nondum tradiderat victas victoribus artes Graecia, facundum, sed male forte genus.* — *cepit*] *Capit* et is, qui vincit, et is, qui delectat. Hoc igitur dicit: «Artes et disciplinae Graecorum Romanis etiamtunc *agrestibus* (rudioribus) adeo placuerunt, ut, tamquam si ipsi devicti essent a Graecis, propriam indolem ad hos conformarent.» Cato apud Liv. 34, 4: *iam in Graeciam Asiamque transcendimus omnibus libidinum illecebris repletas et regias etiam attrectamus gazas: eo plus horreo, ne illae magis res nos ceperint quam nos illas.*

158—160. *Defluxit*] «Paullatim Latini eo uti desierunt.» — *Saturnius*] Hermannus Epit. doctr. metr. p. 214: «Numeros habet hos: *Dabunt malum Metelli Naevio poëtae.* (Naevius: *Novem Iovis concordes filiae sorores).* Sed et caesuram saepe neglexerunt rudes isti poëtae, et omni genere solutionum usi sunt. — Postremus Romanorum, qui hoc metro uteretur, Varro fuisse videtur in Satiris.» Contra nuper Düntzer et Lersch (*de versu, quem vocant, Saturnio.* Bonnae 1838.) ostendere conati sunt: «Saturniorum, quos vocant, versuum certam formam nunquam exstitisse idque ipsum ex veterum grammaticorum praeceptis manifesto apparere.

Munditiae pepulere; sed in longum tamen aevum
Manserunt hodieque manent vestigia ruris.
Serus enim Graecis admovit acumina chartis,
Et post Punica bella quietus quaerere coepit,
Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.
Tentavit quoque rem, si digne vertere posset,
Et placuit sibi natura sublimis et acer;
Nam spirat tragicum satis et feliciter audet,

Itaque h. l. v. *numerum* non significare certum metrum, sed motum et modum aliquem syllabarum certa lege carentem.» — *virus*] plerumque succus noxius ac venenatus, tum et foedus odor, ut castorei, Virg. Ge. 1, 58., et ingratus sapor, ut aquae marinae, quae notio h. l. aptior videtur quam aut virus serpentium, aut sanies canum rabiosorum aut *virus acerbitatis*. (Cic. Lael. 23.) Non enim tam refertur ad famosa carmina et rabiem (v. 148.), quam ad totam indolem rusticam atque incultam priscae poësis Latinae, ex iudicio saltem Horatii. — *Munditiae*] partim metra Graeca, partim cultior et purior sermo, idem prope atque *elegantia*, quacum iungitur *munditia* a Cic. in Orat. 22. — *hodieque*] Praecipue in carminibus Fescenninis et in mimis Atellanisque. — *ruris*] «rusticitatis.» Catull. 22, 14. de Suffeno: *Idem infaceto est infacetior rure, simul poëmata attigit.*

161 — 163. *Serus*] «Etenim prius litteris Graecis non initiatus, demum post primum et secundum Punicum bellum, cum omnia tranquilla essent, Romanus acutum suum ingenium ad accuratius studium scitamque imitationem poëtarum Graecorum convertit.» Porcius Licinus apud Gell. 17, 21: *Poenico bello secundo Musa pinnato gradu Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram.* — *quietus*] εἰρήνην ἄγων, iunge cum vv. *post Punica bella*, non cum v. *quaerere*. — *Thespis*] h. l. honoris causa nominatur, utpote quem pro tragoediae inventore (Olymp. 61. a. Chr. 536.) haberent Grammatici; non quod eius fabulas, imitati sint Livius Andronicus posteriosque tragici Latini.

164 — 166. *Tentavit*] «Periculum fecit, incertus etiam tunc utrum prosperum successum habiturus foret necne.» — *vertere*] Significat totam poësin tragicam in eo fere versatam esse, ut Graecas fabulas in Latinum converterent, vel saltem admodum presse imitarentur. — *Et pla-*

**Sed turpem putat inscite metuitque lituram.**
**Creditur, ex medio quia res arcessit, habere**
**Sudoris minimum, sed habet comoedia tanto**
**Plus oneris, quanto veniae minus. Adspice, Plautus**
**Quo pacto partes tutetur amantis ephebi,**
**Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi,**
**Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis,**
**Quam non adstricto percurrat pulpita socco.**

v. 167. *putat in scriptis* Lamb.

*cuit sibi*] Refertur hoc in primis ad ingentem illum numerum tragoediarum (sunt autem Livii XV., Ennii XXVI., Naevii IX., Pacuvii XVII., Accii LII.; omnes CIX., quarum nomina novimus:) quae in scenam delatae sunt a Livio usque ad Accium. — *spirat tragicum satis*] «Ii enim sunt Romanorum spiritus, ea animorum elatio, ut idonei sint generi tragico excolendo. — *Spirare* autem *tragicum*, ut Stat. Silv. 5, 3, 12: *altum spirans*. — *feliciter audet*] Spectat non tam ad inventionem novorum argumentorum ac personarum, in quibus sane exemplaria sua satis presse plerumque sequebantur, quam ad lumina sententiarum et ad ipsum sermonem (A. P. 56.), in quo multa innovarunt, quod ad compositiones maxime audaciores et formas verborum attinet.

168 — 172. *ex medio*] «Quia argumenta ex vita quotidiana petita tractat, videtur minimum difficultatis habere.» — *veniae minus*] Quia, ubi quid minus veri simile nec recte e natura moribusque hominum expressum est, statim omnes vident, etiam idiotae. — Plautum, acri *εἰρωνείᾳ* usus, reprehendit, quod minus vere et eleganter quam Menander, Philemo, Diphilus, partes, quas exempli gratia enumerat, *tutatus* sit, id est, usque ad fabulae *καταστροφὴν* scite et ad artis leges accommodate perduxerit. — *attenti*] «ad rem, nimis parci.»

173 — 176. *Dossennus*] Fabius Dossennus, incertae aetatis poëta, togatas potius quam Atellanas videtur scripsisse. Cfr. Seneca Ep. 89. Ille igitur satis rustice scurrarum semper esurientium ac gulosorum personam in tabernariis suis expresserat. — *socco*] *Soccus* comoediae opponitur tragoediae *cothurno*: iam, qui soccis non satis adstrictis (laxis, *schlottrig*) incedit, negligentem et rusticum se esse ostendit. Sine imagine significat rude ac dissolutum dicendi genus, et omnis generis vitia atque errores in moribus imitandis commissos. —

Gestit enim nummum in loculos demittere, post hoc
Securus, cadat, an recto stet fabula talo.
Quem tulit ad scenam ventoso Gloria curru,
Exanimat lentus spectator, sedulus inflat:
Sic leve, sic parvum est, animum quod laudis avarum
Subruit aut reficit. Valeat res ludicra, si me
Palma negata macrum, donata reducit opimum.
Saepe etiam audacem fugat hoc terretque poëtam,
Quod numero plures, virtute et honore minores,
Indocti stolidique et depugnare parati,

*Gestit*] «Non enim laudis poëticae causa antiqui illi, Plautus, Dossennus, alii, comoedias composuerunt, sed ideo dumtaxat, ut quam primum fabulas venderent aedilibus.» — *loculos*] «capsulas asservandae pecuniae destinatas.» Post lucrum autem receptum parum solliciti erant, utrum fabulae *caderent*, id est, exploderentur, (ut ἐκπίπτειν), an *starent* in scena, v. proprium de iis fabulis, quae populo placent frequenterque reposcuntur. — *recto talo*] «firmiter stare,» ut apud Graecos ὀρθῷ ἔστασας ἐπὶ σφυρῷ Pind. Isthm. 6, 12., ὀρθῷ βῆναι ποδί, Eurip. Helen. 1449.

177—181. *Quem tulit*] hinc usque ad v. 213. de tragoedia potissimum agit. — *Gloria*] Gloria dea poëtam verae laudis avidum ad scenam fert, id est, ad fabulas conscribendas excitat; sed cum ipsa sit *ventosa*, s. inconstans, levis, quippe quae a multitudinis arbitrio pendeat, hoc ἐπίθετον eius currui tribuitur. *Gloriae currum* vidimus iam Sat. 1, 6, 23. — *lentus*] «Spectatores languidi et minime attenti poëtam contristant et angunt, quemadmodum qui intenti sunt et alacres animum ei addunt atque faciunt, ut superbiat.» — *Subruit*] «percellit, maerore afficit et affligit;» opponitur *reficit*, «recreat atque erigit.» — *Valeat*] ut χαιρέτω pro ἐῤῥέτω, (*Fahr hin nichtsnützige Spiel!* Passow.) — *res ludicra*] «fabulae scenicae, opus vanum et inutile.» — *macrum*] «afflictum et tristem, *opimum*, laetum ac beatum.» Schol. Plin. Epp. 7, 26: *mollem in posterum et pingu em--, hoc est, innoxiam beatamque destinat vitam.* — *reducit*] domum, ut Olympionicen Od. 4, 2, 17.

184—186. *depugnare*] «manus intentare;» *decertare* ex gloss. erat in Cod. Lamb. *Fäuste zu weisen* Passow. — *eques*] «equites vel propter domesticas facultates litteris instructi atque omnino plebe longe cultiores.» — *ursum*] quocum pugnent molossi. Sic Pompeius sexcentos mulos in Clytaemnestra induxit (Cic. ad Fam. 7, 1.),

Si discordet eques, media inter carmina poscunt
Aut ursum aut pugiles; his nam plebecula plaudit.
Verum equitis quoque iam migravit ab aure voluptas
Omnis ad incertos oculos et gaudia vana.
Quattuor aut plures aulaea premuntur in horas,
Dum fugiunt equitum turmae peditumque catervae;
Mox trahitur manibus regum fortuna retortis,
Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves,
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.

v. 186. *gaudet* e Codd. Bentl.

Augustus tigridem in scena populo exhibuit (Suet. Oct. 43.) — *pugiles*] πύκτας, πυγμάχους diversos a gladiatoribus. Quid, quod ipse Augustus *spectavit studiosissime pugiles et maxime Latinos?* (Suet. Oct. 45.) Similiter autem Terentii Hecyra a funambulo aliquando disturbata est.

187 — 189. *Verum equitis*] «Verum, quod sane dolendum est, ipsi illi equites, qui politioris ingenii esse deberent, iam oblectamenta puerorum praeferunt fabulis.» — *incertos*] «vagos et inconstantes, qui nusquam consistunt, sed modo ad hoc, modo ad illud se convertunt.» — *aulaea premuntur*] Ea aulaea significantur, quae erant ante proscenium et *premebantur*, hoc est, ex alto demittebantur, ita, ut quamdiu in scena ageretur, humi iacerent; tollebantur autem, hoc est, in altum trahebantur, ut scenam obducerent, fabula finita. «In una fabula agenda quattuor aut plures horae interdum consumuntur propter varias pompas pugnasve peditatus et equitatus (Cic. ad Fam. 7, 1.) oblata occasione ipsi fabulae insertas,» veluti cum in Troasin Graeci praedam Troianam in naves importarent, in Epinausimache cum Troianis pugnam pugnarent.

191 — 193. *Mox trahitur*] «Post proelii simulacrum triumphus agitur in scena.» Ried. — *regum fortuna*] «reges olim fortunati, nunc captivi.» — *Esseda*] «vehicula a Belgis primum reperta, quibus ceteri Galli atque Britanni in pugnis utebantur. Duabus rotis imposita erat sella aperta, in qua miles et auriga sedebat. — *pilenta*] vehiculi genus tectum, quo matronae ferebantur, ita libratum duabus rotis, ut considentes in pulvinis in aëre suspensae agitari viderentur. Differebat a petorrito, quod quattuor rotas habebat: pilentum fuit inventum vel Tuscorum vel Hispanorum, petorritum Gallorum. — *naves*] aut navium captarum simulacra aut ipsarum rostra vehiculis imposita. — *ebur*] «signa et omnis generis ornamenta eburnea.» — *captiva Corinthus*]

Si foret in terris, rideret Democritus, seu
Diversum confusa genus panthera camelo,
Sive elephas albus volgi converteret ora;
Spectaret populum ludis attentius ipsis,
Ut sibi praebentem mimo spectacula plura,
Scriptores autem narrare putaret asello
Fabellam surdo. Nam quae pervincere voces
Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?
Garganum mugire putes nemus aut mare Tuscum,
Tanto cum strepitu ludi spectantur et artes,
Divitiaeque peregrinae, quibus oblitus actor
Cum stetit in scena, concurrit dextera laevae.
Dixit adhuc aliquid? Nil sane. Quid placet ergo?

«tanta vis signorum aeneorum marmoreorumque, quanta a L. Mummio Corintho Romam est advecta.»

194 — 199. *Democritus*] Hunc omnes res humanas perpetuo risu, Heraclitum easdem fletu perpetuo prosecutum esse narrabant in scholis philosophi. — *Diversum*] «mire mixtum inter se ex formis quam maxime discrepantibus,» *camelopardalin*, *Giraffe*. Plin. 8, 18: *Camelopardalis dictatoris Caesaris Circensibus ludis primum visa Romae. Ex eo subinde cernitur, aspectu magis quam feritate conspicua, quare etiam* ovis ferae *nomen invenit.* — *albus*] qui rariores sunt. — *Mimo*] pro quovis histrione. — *asello*] Duo proverbia coniunxit: *surdo narrare fabulam*, Ter. Heaut. 2, 1, 10. et Graecum illud: *Ὄνῳ τις ἔλεγε μῦθον· ὁ δὲ τὰ ὦτα ἐκίνει.* Zenob. 5, 42.

201 — 207. *Evaluere*] «Quae voces tantopere validae esse possunt, ut pervincant sonum cet.?» — *Garganum*] montem Campaniae. — *ludi*] «pompae et pugnae ludicrae ac simulatae in fabulas intrusae.» — *artes*] «opera artis, statuae, vasa Corinthia,» ut Od. 4, 8, 5. Epp. 1, 6, 17. — *Divitiae*] «vestimenta splendida, auro picta, ab antiqua simplicitate Romana aliena.» — *oblitus*] «coopertus ac prope nimis ornatus,» *überladen*. — *adhuc*] «usque ad hoc temporis punctum.» — *violas imitata*] «ianthina, violacea vestis.» — *veneno*] «*φαρμάκῳ*, medicamento, id est h. l., muricis succo, purpura,» ut Virg. Ge. 2, 465: *Alba neque Assyrio fucatur lana veneno.*

208 — 213. *recusem*] propria significatione (*sich sträuben, weigern.*) Est igitur: «nolim,» addita tamen causa.» — *laudare*

Lana Tarentino violas imitata veneno.
Ac ne forte putes me, quae facere ipse recusem,
Cum recte tractent alii, laudare maligne;
Ille per extentum funem mihi posse videtur
Ire poëta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Ut magus, et modo me Thebis, modo ponit Athenis.
Verum age et his, qui se lectori credere malunt
Quam spectatoris fastidia ferre superbi,
Curam redde brevem, si munus Apolline dignum
Vis complere libris et vatibus addere calcar,
Ut studio maiore petant Helicona virentem.

v. 216. *Curam impende* e C1d.

*maligne*] «propter nescio quam invidentiam parce ac frigide laudare, et ita quidem, ut quae laus videatur, re vera sit occulta irrisio.» — *Ille*] Ex recentiorum linguarum indole sic pergendum foret: *hoc scito, sic habeto, illum mihi -- videri.* Cfr. Sat. 2, 1, 80. — *Ire poëta*] «Ille rem factu perquam difficilem praestare neque vel tantillum aberrare ab artis regula, summus igitur poëta esse mihi videtur.» — *inaniter*] quia fictum est argumentum. — *Irritat*] «Vehementes animi affectus movet.» — *Ut magus*] «Ut magi exempli causa umbris ex Orco excitatis, cadaveribus ad tempus in vitam revocatis consultores perterrefaciunt.» — *Thebis -- Athenis*] quibus in urbibus plerique μῦθοι a tragicis tractati sedem suam habebant.

216. 217. *redde*] *Reddere* non est idem ac *restituere*, ab alio quod acceperis, nec *dare* simpliciter, sed «dare ea, quae aut propter qualemcunque causam debentur iis, quibus dantur, aut ad eos quocunque modo pertinent, velut *reddere dis votum, reddere alicui epistolam.* H. l. modestissime suadet Augusto, ut pro poëtarum meritis (v. 118.), etiam pro studio, quo eius res gestas celebrent, *reddat*, id est, vicissim rependat iis curam aliquam brevem dumtaxat propter multa eius negotia. — *munus Apolline dignum*] Dio Cass. 53, 1: τὸ Ἀπολλώνιον τότε ἐν τῷ Παλατίῳ καὶ τὸ τεμένισμα τὸ περὶ αὐτὸ τάς τε ἀποδήκας τῶν βιβλίων ἐξεποίησε καὶ καθιέρωσε (a. u. c. 726.) — *addere*] in prosa or. *admovere, adhibere*, etiam *subdere calcar*, h. l. «excitare eorum studia:» quam sententiam ornat *Heliconis virentis* grata imagine.

Multa quidem nobis facimus mala saepe poëtae,
Ut vineta egomet caedam mea, cum tibi librum
Sollicito damus aut fesso; cum laedimur, unum
Si quis amicorum est ausus reprehendere versum;
Cum loca iam recitata revolvimus irrevocati;
Cum lamentamur non apparere labores
Nostros et tenui deducta poëmata filo;
Cum speramus eo rem venturam, ut simul atque
Carmina rescieris nos fingere, commodus ultro
Arcessas et egere vetes et scribere cogas.
Sed tamen est operae pretium cognoscere, quales
Aedituos habeat belli spectata domique
Virtus indigno non committenda poëtae.
Gratus Alexandro regi Magno fuit ille

220 — 228. *vineta*] Proverbium in eos dicitur, qui mentis aliquo errore abrepti, vel iracundia vel stultitia sibi ipsi nocent. Tibull. 1, 2, 100: *Quid messes uris acerba tuas? — loca*] Hac significatione Cicero et Quinctilianus semper utuntur gen. masc. — *revolvimus*] «denuo evoluto libro iterum recitamus locum aliquem, qui pulcherrimus nobis videtur, etsi nemo hoc a nobis petiit.» — Revocari proprie dicuntur actores, qui a spectatoribus ῥῆσιν aliquam insignem repetere iubentur. Cic. pro Sest. 58. — *non apparere*] «non ita, ut deberent, in oculos cuiusque incurrere et mente sive auditoris sive lectoris perspici riteque aestimari.» — *tenui*] frequenti imagine a lanificio ducta carmina elegantia ac suavia comparantur cum *tenui* filo a colo *deducto*; etiam absolute. Virg. Ecl. 6, 5: *deductum dicere carmen.* — *commodus*] ut Od. 4, 8, 1. «facilis ac liberalis,» *zuvorkommend, gefällig.* — *egere vetes*] «largis muneribus nos afficias.» Sed ridicule expressum: «egestate nos liberes, tamquam tibi ipsi rem magnopere gratam facturos, si non iam egeamus.»

230 — 234. *Aedituos*] Virtus Augusti est tamquam dea, quae aedem habet; poëtae igitur, cum panegyricos aliave carmina in Augusti laudem componunt, sunt illius deae quasi *aeditui.* — *Choerilus*] Non Samius, sed Iasensis, (Ἰασεύς, ab Iaso, Cariae oppido:) comes Alexandri M., de quo cfr.

Choerilus, incultis qui versibus et male natis
Rettulit acceptos, regale nomisma, Philippos.
Sed veluti tractata notam labemque remittunt
Atramenta, fere scriptores carmine foedo
Splendida facta linunt. Idem rex ille, poema
Qui tam ridiculum tam care prodigus emit,
Edicto vetuit, ne quis se praeter Apellem
Pingeret aut alius Lysippo duceret aera
Fortis Alexandri vultum simulantia. Quodsi
Iudicium subtile videndis artibus illud
Ad libros et ad haec Musarum dona vocares,
Boeotûm in crasso iurares aëre natum.
At neque dedecorant tua de se iudicia atque
Munera, quae multa dantis cum laude tulerunt

v. 240. *cuderet* de Lamb. coni. B.

A. P. 357. — *versibus*] dativus, ut Ovid. Trist. 2, 10: *Acceptum refero versibus esse nocens.* — *Rettulit*] «*Acceptum referre* et *in acceptum referre* proprie est scribere in tabulis te accepisse, quemadmodum *expensum ferre* est scribere te dedisse vel expendisse.» Riedel. — *regale nomisma*] «gloriatus est vel gloriari potuit se ab Alexandro *Φιλιππείους στατῆρας*, Philippeos nummos, regis effigie ac nomine signatos pro versibus suis accepisse.»

236 — 244. *Atramenta*] «cuiusque generis (scriptorium et pictorium) contrectata maculas *remittunt* (pr. retro mittunt), relinquunt in manibus.» (*Labes* h. l. macula.) — *vetuit*] Plin. H. N. 7, 37: *Idem hic imperator edixit, ne quis ipsum alius quam Apelles pingeret, quam Pyrgoteles sculperet, quam Lysippus ex aere duceret.* — *alius Lysippo*] *ἄλλος Λυσίππου*, ut Epp. 1, 16, 20. — *duceret aera*] pro: «duceret ex aere Alexandri effigiem.» — *simulantia*] «accurate exprimentia,» ut A. P. 20. — *videndis*] «in diiudicandis artium operibus, utrum perfectae sint artifexque speciem, quam mente conceperat, attigerit necne.» — *Boeotûm*] Corn. Nepos Alcib. 11: *Omnes Boeoti magis firmitati corporis quam ingenii acumini inserviunt.*

245. 246. *At neque*] «Tu contra tantummodo praestantissimis poëtis faves.» — *multa dantis cum laude*] «ita dantis, ut ab omnibus Virgilii Variique aequis aestima-

Dilecti tibi Virgilius Variusque poëtae;
Nec magis expressi vultus per aënea signa,
Quam per vatis opus mores animique virorum
Clarorum apparent. Nec sermones ego mallem
Repentes per humum quam res componere gestas,
Terrarumque situs et flumina dicere et arces
Montibus impositas et barbara regna tuisque
Auspiciis totum confecta duella per orbem,
Claustraque custodem pacis cohibentia Ianum,
Et formidatam Parthis te principe Romam,
Si, quantum cuperem, possem quoque: sed neque parvum
Carmen maiestas recipit tua nec meus audet

toribus merito laudarere;» sive, ut Lambinus ait: «multa tua cum laude.» — *Virgilius* mortuus est a. u. c. 735. et *Varius* item videtur ante hanc Epistolam compositam mortem obisse.

250 — 256. *sermones*] «satiras et epistolas, quae sermonem quotidianum referunt.» Scr. ad Her. 3, 13: *Sermo est oratio remissa et finitima quotidianae locutioni*: hinc *repentes per humum*, humili stilo conscriptos dicit. — *arces*] «quae, quamvis montibus impositae essent, tamen a te captae sunt.» — *tuisque Auspiciis*] Suet. Oct. 21: *Domuit partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Delmatiam cum Illyrico omni: item Raetiam et Vindelicos ac Salassos.* — *Ianum*] Od. 4, 15, 9. Suet. Oct. 22: *Ianum Quirinum semel atque iterum a condita Urbe memoriam ante suam clausum, in multo breviore temporis spatio, terra marique pace parta, ter clusit.* (a. u. c. 725. 729. et 744.) — *Parthis*] Od. 3, 5, 2. Carm. sec. 54. Sat. 2, 5, 62. Epp. 1, 12, 27.

258. 259. *recipit*] «admittit.» Liv. 29, 24: *re iam non ultra recipiente cunctationem.* — *pudor*] «rectus sensus eius, quod decet.» — *recusent*] A. P. 39: *quid ferre recusent, Quid valeant humeri.*

260—262. *Sedulitas*] *Dienstgeflissenheit.* Iunge: *quem stulte diligit.* «Talis autem sedulitas (Sidonii Apollinaris *officiositas*) tunc in primis, cum versus suos artificiumque poëticum venditans nobis se commendare studet, molesta nobis accidit.» — *Discit enim*] «aliquis.» «Significat autem maiore studio ridiculos versus panegyrici alicuius ab hominibus festivis edisci ac memoria teneri quam admirabiles; ergo in aeternam memoriam foedatus est, quem tale carmen polluerit.» Acr. Etenim tales loci ridiculi satirae

Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.
Sedulitas autem, stulte quem diligit, urget,
Praecipue cum se numeris commendat et arte:
Discit enim citius meminitque libentius illud,
Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.
Nil moror officium, quod me gravat, ac neque ficto
In peius voltu proponi cereus usquam,
Nec prave factis decorari versibus opto,
Ne rubeam pingui donatus munere et una
Cum scriptore meo capsa porrectus aperta,
Deferar in vicum vendentem thus et odores
Et piper et quidquid chartis amicitur ineptis.

v. 268. *operta* cum Codd. multis B. et Mein.

instar sunt in eum, quem laudare volebat poëta.

265. 266. *in peius*] Plin. Ep. 5, 10: *Ut pictores pulchram absolutamque formam raro nisi in peius effingunt.* — *cereus*] Probabile est Horatii temporibus cereas imagines virorum illustrium, ducum, oratorum, poëtarum, philosophorum, venales fuisse per tabernas, quae ab emptoribus in bibliothecis maxime proponerentur. Iam si a κηροπλάστῃ aliquo imperito in peius effictae erant, eos, quorum erant imagines, propterea stomachatos esse consentaneum est: nec tamen cogitarim consulto in peius fictas (Italorum *caricature*) ludibrii et contumeliae causa exponi solitas esse. — *decorari*] κατ' εἰρωνείαν pro «deturpari.»

268 — 270. *Cum scriptore*] «una cum malo poëta, qui insulse me laudavit.» — *meo*] «Ideo quia in eodem libro et scriptoris nomen est et eius, de quo scribitur, ut in Virgilio Aeneas, in Homero Ulixes.» Acr. — *porrectus*] «Bene *porrectus* et in capsa opertus quasi mortuus in feretro deferar in vicum thurarium.» Porph. Cfr. Epod. 10, 22. — *aperta*] Significat, quam prorsus negligatur et contemnatur talis poëta: «capsa, quae ne operta quidem est.» Ridicula tum dumtaxat, ut debet, remanet imago v. *porrectus*, si multitudo porrectum videt, quod fieri non potest in capsa *operta*, clausa. Hic vicus (Sat. 2, 3, 227.) in loco inferiore Urbis erat; hinc proprie usurpat v. *deferar*. — *odores*] «liquores odoratos atque unguenta.» — *quidquid*] ut scombri (Pers. 1, 43.) ceteraque salgama. Cfr. Mart. 6, 60: *Quam multi tineas pascunt blattasque diserti! Et redimunt soli carmina docta coci.*

# EPISTOLA II.

## AD IULIUM FLORUM.

Flore, bono claroque fidelis amice Neroni,
Si quis forte velit puerum tibi vendere natum
Tibure vel Gabiis et tecum sic agat: Hic et
Candidus et talos a vertice pulcher ad imos,
Flet eritque tuus nummorum milibus octo, 5

II. «Excusaturus se Iulio Floro (cfr. Epist. 1, 3.), quod nihil litterarum neque carminum ad eum miserit, primum lepida similitudine significat, se nihil proficiscenti amico promisisse, immo suam in scribendo pigritiam ingenue professum esse (vv. 1—25.) De carminibus ridens respondet, se quondam non nisi paupertate ad versus faciendos adactum, nunc quidem meliore fortuna utentem beatum otium his laboribus longe praeferre (vv. 25—54.); deinde serio excusat aetatem suam, importuna lectorum fastidia, urbanae vitae impedimenta et turbas (vv. 55—86.), et significat, se pertaesum esse omnis huius carminum pangendorum studii ob ineptos et misellos tot poëtarum sui temporis ad favorem hominum et laudem captandam tumultus et legitimae artis ignorantiam, simulque saniora quaedam et severiora artis praecepta iis opponit (vv. 87—140.) Postremo studium, quod tam frequenter in his epistolis profitetur, sapientiae excusat, cui nunc relictis versuum lusibus unice deditus sit, atque aurea quaedam sanae rationis praecepta hoc ipso studio sibi comparata cum amico communicat. (vv. 141. ad finem.)» Zell. — Scripta videtur Kirchnero a. u. c. 743.

1—6. *Flore*] De Floro v. Epp. 1, 3. — *bono*] De laudibus Ti. Claudio Neroni iuveni impertitis v. Epp. 1, 9, 4. — *Si quis*] «Non magis recte tu mecum agis pigritiam meam reprehendens, quam si quis empto puero mangoni litem postea moveret, quamvis hic emptori omnia mancipii vitia exposuisset.» — *Tibure*] «in villa aliqua Tiburtina vel Gabina, adeo ut *verna* (v. 6.) sit, Latine igitur sciat, liberalibus sit artibus instructus, pluris itaque aestimandus et magis idoneus ad omnis generis ministeria, quam si barbarus esset, Thrax vel Cappadox.» — *Candidus*] Pulchrae formae partem nominat, candidum colorem; (*Lilienweiß* Voss.), non

**Verna ministeriis ad nutus aptus heriles,**
**Litterulis Graecis imbutus, idoneus arti**
**Cuilibet; argilla quidvis imitaberis uda,**
**Quin etiam canet indoctum, sed dulce bibenti.**
**Multa fidem promissa levant, ubi plenius aequo**
**Laudat venales, qui volt extrudere, merces.**
**Res urget me nulla, meo sum pauper in aere.**
**Nemo hoc mangonum faceret tibi; non temere a me**
**Quivis ferret idem. Semel hic cessavit et, ut fit,**

II. v. 8. *imitabitur* cum multis Codd. Fea. Mein.

vero: «integer, sine fallacia.» — *milibus octo*] 763. Flor. Rhen. 1109. Franc. Helvet. Sed Martialis 1, 50. memorat: *pueros centenis milibus emptos* (9549. Flor. Rhen. 13888. Franc. Helv.) — *nutus*] «Singula heri iussa celeriter ac dextre exsequetur.»

7. 8. *Litterulis*] «Litteris Graecis saltem leviter tinctus, utpote qui in divitis alicuius paedagogio educatus sit. Igitur eo uti poteris pro anagnosta, pro servo ab-epistolis, a bibliotheca.» — *argilla*] «Vel, si mavis, tuo arbitratu destina eum arti alicui; quidcunque tibi placebit, ex eo facies atque eum ita prorsus formabis, ut figulus ex argilla omnia conficit, quae volt.» De falsa lectione *imitabitur*, id est, «bonus erit figulus:» consule Ed. maiorem.

9—13. *canet indoctum*] «quod sit indoctum, sine arte, natura tantum duce.» — *bibenti*] «quo tempore faciliores sumus.» — *levant*] «leviorem faciunt, minuunt.» COMM. CR. — *extrudere*] «quam primum, interdum cum aliqua iactura, vendere atque alienare.» — *meo*] «pauper quidem sum; attamen in aere alieno nullo, sed in meo; ut nulli quidquam debeam.» Cic. Verr. 2, 4, 6: *Video hominem non modo in aere alieno nullo, sed in suis nummis multis esse.* — *mangonum*] a μάγγανον, ut vv. *elogium, gerrae, strophae, dicis causa* aliaque videtur ex ils vocabulis esse, quae Latini mature ex Magna Graecia et Sicilia mutuo sumpserunt. — *faceret*] «ut tibi tam exiguo pretio servulum tam formosum ac sollertem venderet.»

14—16. *cessavit*] pr. «in officio exsequendo leve aliquando peccatum commisit:» (sed v. 16. *fuga* satis indicat, quid in se admiserit; id quod simpliciter, sed quam lenissime potest, mango fatetur:) «nec sane fugitivus est, sed rectius erronem tantummodo vocaveris, quippe qui aliquando domo sine heri permissione relicta, post aliquod tempus reversus in

In scalis latuit metuens pendentis habenae;
Des nummos, excepta nihil te si fuga laedet:
Ille ferat pretium poenae securus, opinor.
Prudens emisti vitiosum, dicta tibi est lex:
Insequeris tamen hunc et lite moraris iniqua?
Dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi
Talibus officiis prope mancum, ne mea saevus
Iurgares ad te quod epistola nulla rediret.
Quid tum profeci, mecum facientia iura
Si tamen attentas? Quereris super hoc etiam, quod
Exspectata tibi non mittam carmina mendax.
Luculli miles collecta viatica multis
Aerumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem

v. 22. *veniret* B. Mein.

latebra se primae illius iracundiae subtraxerit.» — *In scalis*] solita latebra. Cic. pro Mil. 15. (Clodius) *fugiens in scalarum se latebras abdidit.* — *habenae*] «Habena s. scutica flagellabantur servi, et media domo a gradibus ad timorem illis incutiendum habenae pendebant.» Comm. Cr. Ulpian. l. 1. §. 53. de SC. Silan.: *Impuberes - - terreri tantum solent et habena vel ferula caedi.* — *Des*] Est ἀπόδοσις vv. 2. 3: *Si quis - - tecum sic agat*; verba igitur Horatii ad Florum, non, ut alii opinantur, mangonis. «Emas eum licet, si fuga a mangone, ut venditionis formula exigit, *excepta*, (id est, indicata tibi et opposita pueri formae bonisque artibus) te minime offendat.» Cic. de Off. 3, 17: *Nec vero in praediis solum ius civile - - malitiam fraudemque vindicat; sed etiam in mancipiorum venditione venditoris fraus omnis excluditur. Qui enim scire debuit, de sanitate, de fuga, de furtis, praestat edicto aedilium:* quod servavit Gell. 4, 2: *Qui mancipia vendunt, certiores faciant emptores, quid morbi vitiive cuique sit, quis fugitivus errove noxiave solutus non sit* cet.

17—21. *poenae securus*] «non curans actionem redhibitoriam quia fugam excepit.» — *lex*] «Propter hoc ipsum, quod prudens et sciens emisti mancipium vitiosum, praefinitum est tibi ius, ex quo necessario litem, quam mangoni intendis, non oblinebis, sed amittes.» — *Insequeris*] «Nihil ominus hunc insectaris et moraris (molestus ei fis) lite manifesto iniqua? Nunquam pro certo, qua

Perdiderat; post hoc vehemens lupus et sibi et hosti
Iratus pariter, ictuque dentibus acer,
Praesidium regale loco deiecit, ut aiunt,
Summe munito et multarum divite rerum.
Clarus ob id factum donis ornatur honestis;
Accipit et bis dena super sestertia nummûm.
Forte sub hoc tempus castellum evertere praetor
Nescio quod cupiens hortari coepit eundem
Verbis, quae timido quoque possent addere mentem:
I, bone, quo virtus tua te vocat, i pede fausto,
Grandia laturus meritorum praemia. Quid stas?
Post haec ille catus quantumvis rusticus: Ibit,
Ibit eo quo vis, qui zonam perdidit, inquit.
Romae nutriri mihi contigit atque doceri,

tu es prudentia, hoc facies. Attamen prope similis est ratio, qua mecum utere.» — *mancum*] pr. manu debilem; qui quasi manu truncus esset aut resolutis nervis, vix scribere potest.»

23—40. *mecum facientia*] ut Epp. 2, 1, 66. — *attentas*] Huic v. plane respondet nostrum *anfechten*, ut dicitur aliquis *tentari, attentari bello*. — *super hoc*] «praeter hoc, ad hoc.» — *Luculli*] «Nunc, cum satis locuples mihi videor, nulla iam carmina compono, prorsus ut miles ille Luculli, cum pecuniam vactus esset, noluit rursus discrimina belli subire.» — *ad assem*] «ad assem ultimum,» ut cum dicimus *ad unum omnes*. — *sibi*] propter negligentiam, qua *zonam* (βαλάντιον, *Geldkatze*) perdiderat. — *loco*] «castello, quod defendebant Mithridatis milites, eos depulit.» — *dictis*] Porphyrio significat ibi Mithridatis thesauros fuisse. — *donis*] militaribus, hastis puris, phaleris, corona murali, cet. — *super*] «insuper.» — *bis dena*] 1909 Flor. Rhen. s. 2276. Franc. Helv. — *sub hoc*] «paullo post hoc tempus.» — *praetor*] ex antiquiore Latinitate pro «duce, imperatore.» — *evertere*] etiam in prosa or. Cic. Off. 1, 24: *de evertendis diripiendisque urbibus* cet. — *catus*] «callidus, astutus,» *verschmitzt*, vocabulum Sabinum.

41—45. *Romae*] «Similis huius militis rationi mea quoque est, ut tibi iamiam exponam.» — *contigit*] «mihi enim contigit esse tam felici, ut optimo patre sic volente non Venusiae, sed Romae educarer atque hic primum recto

Iratus Grais quantum nocuisset Achilles.
Adiecere bonae paullo plus artis Athenae;
Scilicet ut vellem curvo dignoscere rectum,
Atque inter silvas Academi quaerere verum.
Dura sed emovere loco me tempora grato,
Civilisque rudem belli tulit aestus in arma
Caesaris Augusti non responsura lacertis.
Unde simul primum me dimisere Philippi,
Decisis humilem pennis inopemque paterni
Et laris et fundi paupertas impulit audax,
Ut versus facerem; sed, quod non desit, habentem
Quae poterunt unquam satis expurgare cicutae,
Ni melius dormire putem quam scribere versus?

v. 44. *vellem*] e Codd. *possem* Codd. Bern. Bentl. M.

Homero Graecis litteris instituerer.» — *plus artis*] *etwas höhere Kunde* Voss; «culturae exactioris ea, quam Romae dumtaxat degens mihi parare potuissem, ut philosophiae morali operam dans virtutem distinguere a vitio discerem.» — *vellem*] «ut arderem studio veri reperiendi.» — *Academi*] Eupolis: Ἐν εὐσκίοις δρόμοισιν Ἀκαδήμου θεοῦ, herois antiqui. Academicos igitur inter aliarum disciplinarum doctores audiit ab iisque didicit, verum quomodo cum perpetua tamen ἐποχῇ investigandum sit.

46 — 51. *emovere*] «vi, cui resisti non poterat, expulere.» — *Civilis*] Construe: *aestus belli civilis* me *rudem* (belli) *tulit in arma*, imagine desumpta ab torrente omnia secum *ferente*, abripiente. — *lacertis*] «fortitudini ac potentiae,» quasi de luctatore robustissimo. — *simul primum*] Frequentius est *ut primum*, *ubi primum*, *simulac*. — *Philippi*] caeso Bruto et Cassio a. u. c. 712. — *Decisis*] Cic. ad Att. 4, 2, 5: *iidem illi, qui mihi pinnas inciderant, nolunt easdem renasci.* — *fundi*] Cum post Octaviani et Antonii victoriam horum veteranis agri assignarentur, ipse quoque paternum fundum et domum amisit, ut ex parte saltem etiam Virgilius et Tibullus. — *paupertas impulit*] Ironica hyperbola usus dicit se primis suis versibus (satiris et epodis) omnibus demonstrare voluisse, maius sibi ingenium esse, quam ut in scripto quaestorio, quem compararat, consenesceret.

52 — 57. *habentem*] «Postquam habeo, quod mihi satis sit quodque deesse non debeat ad vitam com-

Singula de nobis anni praedantur euntes;
Eripuere iocos, venerem, convivia, ludum;
Tendunt extorquere poëmata: quid faciam vis?
Denique non omnes eadem mirantur amantque:
Carmine tu gaudes, hic delectatur iambis,
Ille Bioneis sermonibus et sale nigro.
Tres mihi convivae prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.
Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod iubet alter;
Quod petis, id sane est invisum acidumque duobus.
Praeter cetera, me Romaene poëmata censes
Scribere posse inter tot curas totque labores?
Hic sponsum vocat, hic auditum scripta relictis
Omnibus officiis; cubat hic in colle Quirini,

mode degendam, tam insanus essem, si scribere versus mallem quam in diem dormire, ut quantumvis est cicutae nunquam posset satis me *expurgare*, aestum febrilem refrigerare.» Plin. 25, 12: *Cicutae semini et foliis refrigeratoria vis.* — *euntes*] Ovid. A. A. 3, 62: *Ludite: sunt anni more fluentis aquae.* — *extorquere*] «invito mihi,» quo v. significat se multo magis retinere cupere facultatem poëticam quam *cetera ludiera* (Epp. 1, 1, 10.) — *quid faciam vis?*] «Sed cedendum est necessitati.»

59. 60. *Carmine*] «genere lyrico,» ut ad Florum scribens Epp. 1, 3, 24: *seu condis amabile carmen.* — *iambis*] «ad Archilochi exemplar compositis, ut sunt Epodi.» — *Bioneis*] Bion Borysthenites, discipulus Theophrasti, exemplar Luciani, floruit circa Ol. 120. Cyrenaicae, post Cynicae sectae addictus. Diog. Laërt. 4, 52: *Εὐφυὴς ἦν καὶ παρῳδῆσαι οἷά ἐστιν αὐτοῦ καὶ ταῦτα, Ὦ νέπον Ἀρχύτα, ψαλληγενές, ὀλβιότυφε, Τῆς ὑπάτης ἔρεδος πάντων ἐμπειρότατ' ἀνδρῶν· καὶ ὅλως καὶ μουσικὴν καὶ γεωμετρίαν διέπαιζεν.* «Sunt disputationes Bionis philosophi, quibus stultitiam arguit volgi, cui paene consentiunt carmina Luciliana. Hic autem Bion, qui Sophistes cognominatus est, in libro, quem edidit, mordacissimis salibus ea, quae apud poëtas sunt, ita laceravit, ut ne Homero quidem parceret.» Acr.

65 — 72. *Praeter cetera*] «prae ceteris, ante omnia,» ut saepe apud Cic. — *sponsum*] Sat. 2, 6, 23: *Romae sponsorem me rapis.* — *officiis*] non moralibus,

Hic extremo in Aventino, visendus uterque;
Intervalla vides humane commoda. Verum
Purae sunt plateae, nihil ut meditantibus obstet.
Festinat calidus mulis gerulisque redemptor,
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum,
Tristia robustis luctantur funera plaustris,
Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus:
I nunc et versus tecum meditare canoros.
Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbem,
Rite cliens Bacchi somno gaudentis et umbra:
Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere et contracta sequi vestigia vatum?

v. 77. *urbes* B. Mein.

ut ita dicam; sed civilibus, erga amicos praesertim. — *cubat*] «aeger iacet.» Schol. — *extremo*] «in extrema parte collis Aventini, qui Quirinali e regione oppositus multum ab eo distat.» — *humane*] prorsus ut ἐπιεικῶς et μετρίως, pro «satis, admodum, plane.» Plat. Polit. 261. A.: τοῦτο μετρίως ἀφίστησιν ἐκ ἐκείνων. Sic nos *hübsch, fein, charmant* eadem εἰρωνείᾳ. — *Verum*] Haec sibi ipse κατ' εἰρωνείαν obiicit, ut statim refutet. — *Purae*] «vacuae obstaculis,» non: «coeno.» — *calidus*] «studio aedificandi incensus et valde occupatus, ita ut occurrentium nullam curam gerat.» — *mulis gerulisque*] ablat. «cum mulis et bajulis.» — *redemptor*] ἐργολάβος, *Bauunternehmer*. Od. 3, 1, 35. 73 — 78. *Torquet*] «Torquendo per trochleas attollit lapidem, qui, nisi cavemus, facile nos collidat.» — *funera*] Cfr. Sat. 1, 6, 43. «Ex una platea parte venient funera, ex altera ingentia rusticorum plaustra et vicissim sese impediunt atque urgent.» — *fugit*] «celerrime currit,» ut est natura huius morbi pestiferi. — *I nunc*] «si potes.» Cfr. Epp. 1, 6, 17. — *canoros*] «bene modulatos.» — *fugit urbem*] «vitat multitudinem» cum *fugit urbes* potius significet: «non accedit ad urbes.» — *Rite*] «merito, quemadmodum debet, cliens» cet.

80. 81. *contracta*] Propert. 3, 1, 15: *Non datur ad Musas currere lata via.* «arta, nondum imitatorum turba protrita ac dilatata.» — *Ingenium*] «Quid, quod saepe videmus eos ipsos, qui per longum tempus in loco ab omni strepitu vacuo et quietissimo, ut sunt Athenae, summum per otium dit-

Ingenium, sibi quod vacuas desumpsit Athenas
Et studiis annos septem dedit insenuitque
Libris et curis, statua taciturnius exit
Plerumque et risu populum quatit; hic ego rerum
Fluctibus in mediis et tempestatibus urbis
Verba lyrae motura sonum connectere digner?
Frater erat Romae consulti rhetor, ut alter
Alterius sermone meros audiret honores,
Gracchus ut hic illi, foret huic ut Mucius ille.
Qui minus argutos vexat furor iste poëtas?
Carmina compono, hic elegos. Mirabile visu
Caelatumque novem Musis opus! Adspice primum,
Quanto cum fastu, quanto molimine circum —

teris, poësi in primis, vacare potuerunt, non eo pervenire, ut in Urbem reversi cum successu et popularium applausu poësin colant, sed saepe sibimet ipsis displicentes ac timidos silentium servare, adeo ut simplicem eorum timiditatem volgus irrideat; quanto minus ego in his perpetuis molestiis turbisque potero componere carmina mihi ipsi satis facientia?» — *vacuas*] «otiosas, quietas,» ut Epp. 1, 7, 45: *vacuum Tibur*.

82—86. *insenuit*] «ex librorum assidua lectione senium (*greisenhafte Grämlichkeit*) contraxit.» — *statua taciturnius*] Lucian. Imagg. 1: *ἀχανῆ σε καὶ τῶν ἀνδριάντων ἀκινητότερον ἀποφανεῖ*. — *Verba — connectere*] «carmina componere tam laudabilia, ut digna sint quae ad lyram canantur, dum nemo mediocria et mala modulatur.»

87—90. *Romae*] «Duo erant Romae fratres, iureconsultus unus, alter orator, et quidem uterque ita animatus, ut propter mutuam caritatem alter alterum continuo collaudaret; idcirco oratorem alterum C. Gracchum appellabat iuris peritus, hunc orator alterum Q. Mucium Scaevolam, pont. max. Nonne eodem prope furore se invicem nimis laudandi percussi sunt etiam nostri poëtae?» — *meros honores*] *Ehrenbezeugungen, Complimente*; plane ut apud Catull. 13, 9: *contra accipies meros amores, nichts als Liebe*. — *argutos*] «canoros.»

92. 93. *Musis*] «ab omnibus Musis ideoque absolutum.» (Cfr. ad v. 100. *τορευτὸν ἔπος*.) — *fastu*] «Ego lyricus et alter elegorum scriptor multo cum fastu et eximia gravitate, quae voltu gestuque se prodit, incedimus

Spectemus vacuam Romanis vatibus aedem;
Mox etiam, si forte vacas, sequere et procul audi,
Quid ferat et quare sibi nectat uterque coronam.
Caedimur et totidem plagis consumimus hostem
Lento Samnites ad lumina prima duello.
Discedo Alcaeus puncto illius; ille meo quis?
Quis nisi Callimachus? Si plus adposcere visus,
Fit Mimnermus et optivo cognomine crescit.
Multa fero, ut placem genus irritabile vatum,
Cum scribo et supplex populi suffragia capto;

per plateam ante templum Apollinis Palatini, cui contigua est bibliotheca publica, asservandis optimis quibusque scriptis Latinis destinata. In hanc igitur nos ambo cupidos oculos conticimus, sperantes mox fore, ut nostra quoque carmina in eam recipiantur.»

95 — 98. *procul*] «ex quadam distantia, unde exaudire eorum sermocinationem possis.» Cfr. ad Sat. 2, 6, 105. — *Quid ferat*] «Quid proferat; quibus verbis et quo fine alter alterius praeconium faciat.» — *Caedimur*] «Adeo certamus in mutuis laudibus proferendis, ut totum certamen simile sit gladiatorum pugnae in divitis alicuius epulis. Ego et novus ille Callimachus sumus velut Samnitium par (Liv. 9, 40.); laudes similes sunt crebris illis plagis, quos uterque accipit, uterque reddit, atque ita alterum, quasi adversarium in pugna ludicra *consumit*, id est, defatigat.» — *ad lumina prima*] «Graeci περὶ λύχνων ἁφάς. «usque ad primas faces nocturnas, quibus accensis finitur gladiatorium illud ludicrum.»

99 — 101. *puncto*] Cic. pro Planc. 22: *nonnullas tribus punctis paene totidem tulerunt.* A. P. 343. — *Callimachum*] Notus poëta Cyrenaeus, a. a. Chr. 280. Magna iam haec erat laus: Crinagoras in Anthol. Palat. II. p. 193: *Καλλιμάχου τὸ τορευτὸν ἔπος τόδε· δὴ γὰρ ἐπ' αὐτῷ Ὠνὴρ τοὺς Μουσέων πάντας ἔσεισε κάλως.* Quinct. 10, 1, 58: *elegiae princeps habetur Callimachus.* Attamen vere Ovid. Am. 1, 15, 13: *Battiades semper toto cantabitur orbe; Quamvis ingenio non valet, arte valet.* Haud prorsus inscita fuit Torrentii coniectura Horatium teste hic iocatum esse in Propertium, qui de semet ipso 4, 1, 64: *Umbria*, inquit, *Romani patria Callimachi.* — *Mimnermus*] Colophonius a. a. Chr. 594. Is multorum iudicio ingenio et nativa simplicitate superabat Callimachum nimis plerumque arti indulgentem. Propert. 1, 9, 11. *Plus in amore valet Mimnermi versus*

Idem, finitis studiis et mente recepta,
Obturem patulas impune legentibus aures.
Ridentur mala qui componunt carmina; verum
Gaudent scribentes et se venerantur et ultro,
Si taceas, laudant quidquid scripsere beati.
At qui legitimum cupiet fecisse poëma,
Cum tabulis animum censoris sumet honesti;
Audebit, quaecunque parum splendoris habebunt
Et sine pondere erunt et honore indigna ferentur,
Verba movere loco, quamvis invita recedant

*Homero.* — *adposcere*] «Si hoc illi parum fuerit et plus a me exegerit laudis.» Porph. — *captivo*] «nomine ex libera optione assumpto:» «quodcunque nomen ei placet, hoc ei dare soleo.» — *crescit*] «maior etiam poëta evadit.»

102—105. *Multa fero*] «Multas molestias patienter sustineo, dum, ut inurbanitatis ac superbiae reprehensionem effugiam neque iracundos poëtas offendam, vanis eorum sermonibus aurem praebeo, fastum tolero, recitationibus adsum; quae mala ferre necesse erit, quamdiu ipse carmina componere pergam ac propterea populi applausum magni facere debebo.» — *supplex*] κατ' εἰρωνείαν. — *Idem finitis*] «Verum cum finiero semel studia poëtica et ad sanam mentem rediero, facili opera me ab his aerumnis liberabo.» — *Obturem patulas impune legentibus aures*] Ipsa versus caesura iubet nos cum Iacobsio Lect. Ven. p. 206. iungere: *impune legentibus*. «Si nullis iam recitationibus adero, mali illi poëtae recitabunt carmina sua prorsus securi a periculo, ne ego vicissim eos puniam et enecem mea scripta recitando.»

107. 108. *Gaudent scribentes*] Graeca constructione, ἥδονται γράφοντες. — *quidquid scripsere beati*] «propter id ipsum, quod laudant propria scripta, εὐδαίμονες ὄντες.»

109—112. *legitimum*] Poëma genere dicendi artis regulis consentaneum. — *Cum tabulis*] «Cum scribere incipit, simul acre iudicium exercere debet de singulis prope verbis, quibus utitur;», grata comparatione cum censore *honesto*, id est, «integro.» — *Audebit*] «Facile a se impetrabit, falso pudore non impeditus.» Cfr. Epp. 1, 2, 40. — *parum splendoris*] «verba humilia ac sordida.» — *sine pondere*] «gravitate carentia et inania.» A. P. 320. — *feruntur*] Imago repetita est a turbida aqua torrentis, quae rapido cursu fertur, *fluit lutulenta* (Sat. 1, 4, 11.)

113. 114. *movere loco*] quemadmodum censor indignos hominos senatu vel tribu movet. — *invita*

**Et versentur adhuc intra penetralia Vestae.**
**Obscurata diu populo bonus eruet atque**
**Proferet in lucem speciosa vocabula rerum,**
**Quae priscis memorata Catonibus atque Cethegis**
**Nunc situs informis premit et deserta vetustas;**
**Adsciscet nova, quae genitor produxerit usus.**
**Vehemens et liquidus puroque simillimus amni**
**Fundet opes Latiumque beabit divite lingua;**
**Luxuriantia compescet, nimis aspera sano**

*recedunt*] Sine imagine: «Quamvis difficile tibi videatur alia aptiora iis substituere ac te interdum tacite excuses apud animum tuum, ea nondum edita esse nec iudicio publico exposita, quocirca negligentiae culpam nemodum in te conferre queat.» — Cum *penetralibus* autem *Vestae*, in quae nemini introire neque res sacras ibi asservatas intueri licebat nisi Virginibus Vestalibus, comparat carminum singula verba, tamquam si res essent arcanae, custoditae *adhuc* (usque ad hoc temporis punctum) in domo poëtae, Musarum sacerdotis.

115—119. *Obscurata*] «Poëta *bonus*, id est, benevolus ac liberalis, obsoleta, sed speciosa rerum vocabula *populo* (in usum populi.), cui eadem diu *obscurata* (tenebris involuta) sunt, eruet ex antiquis scriptoribus atque denuo consuetudini reddet.» — *speciosa*] «quae φαντασίαν ita movent, ut certam et claram *speciem*, imaginem rei, quam significant, nobis proponant.» — *memorata*] «quae olim usurpare solebant veteres.» — A M. Cornelio Cethego cos. a. u. c. 550. (Ennio *Suadae medulla*) Cic. Brut. 15. Latinorum oratorum seriem orditur; quem statim excipit M. Porcius Cato Censorius sive *priscus*. — *situs*] *Schimmel, Moder;* «qui res a se obductas deformat.» — *genitor - usus*] Singularis βραχυλογία pro his: «quae simulac facta sunt, ab omnibus approbata usurpantur, ita ut ab ipsis linguae primordiis in consuetudine fuisse videantur.»

120—123. *Vehemens*] per synizesin in spondeum coalescit. — *Fundet opes*] «insignis erit poëta et verborum et sententiarum copia (A. P. 317.) atque propter hoc ipsum Latinos, quorum linguam et ornat et auget, summopere delectabit.» — *Luxuriantia*] «Dum beata copia praeditus est, luxuriem tamen sermonis ac tumorem vitabit.» — *Levabit*] «Utique expoliet et levia (nitida ac plana) reddet, quae sunt nimis aspera et scabra, ita tamen, ut hic cultus s. perpolitio nervos ac sanita-

Levabit cultu, virtute carentia tollet,
Ludentis speciem dabit et torquebitur, ut qui
Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.
Praetulerim scriptor delirus inersque videri,
Dum mea delectent mala me vel denique fallant,
Quam sapere et ringi. Fuit haud ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire tragoedos,
In vacuo laetus sessor plausorque theatro;
Cetera qui vitae servaret munia recte

tem eis non detrahat.» A. P. 26. — *tollet*] Quinctil. 10, 4, 1: *Sequitur emendatio*, cuius est: - - *premere tumentia, humilia extollere, luxuriantia astringere, inordinata digerere, soluta componere* cet. Id. 8, 6, 11: *Praecipue ex his oritur sublimitas, quae audaci et proxime periculum translatione tolluntur.* Est igitur *heben*, «vim qualicunque modo addere verbis, sententiis, ipsi versuum sono.»

124. 125. *Ludentis*] «Cum summa facilitate eius poëmata se commendent lectori, tamen *torquebitur*, id est, externam hanc speciem multis laboribus et continuo limae usui debebit, velut pantomimus, qui difficillimas partes et quidem contrarias diversasque pari cum dexteritate agit, nunc petulantem agilemque Satyrum, nunc Cyclopa rusticum ac propter immanem corporis molem tarde sese moventem.» — *Cyclopa movetur*] «ita saltat, ut exprimat Cyclopa.»

126—128. *delirus*] «absurdus, quod partim ad inventionem et compositionem, partim ad sententias et versificationem attinet.» — *iners*] «qui artis praecepta non callet.» — *dum*] «dummodo mei errores atque vitia mihi placeant, vel nisi me delectent, tamen in universum fallant.» — *ringi*] proprie dicuntur canes, cum rictum diducendo, dentes ostendendo et hirriendo viatoribus morsus minitantur; «stomachari et cruciari, cum *sapiam* quidem, id est, norim artis regulas, nec tamen iis satisfacere queam, ac propterea mihimet ipsi iratus perspiciam mea vitia et peccata.»

128—137. *Fuit*] «Sic,» inquit, «cum notus ille *Argivus delirus* mente recepta rursus *sapiebat*, *ringebatur* (sese excruciabat) propter violenter sibi extortam continuo spectandi tragoedias voluptatem.» — *haud ignobilis*] «Hic Lycas dictus est.» Comm. Cr. — *Argis*] Est ex iis historiis, quae in scholis philosophorum narrari solebant. Idem refert de Thrasyllo Atheniensi Aelianus V. H. 4, 25., de Abydeno quodam Pseudaristot. de mirab. Ausc. 30. —

More, bonus sane vicinus, amabilis heres,
Comis in uxorem, posset qui ignoscere servis
Et signo laeso non insanire lagenae,
Posset qui rupem et puteum vitare patentem.
Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus
Expulit helleboro morbum bilemque meraco
Et redit ad sese: Pol me occidistis, amici,
Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas
Et demptus per vim mentis gratissimus error.
Nimirum sapere est abiectis utile nugis
Et tempestivum pueris concedere ludum,
Ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis,
Sed vera numerosque modosque ediscere vitae.
Quocirca mecum loquor haec tacitusque recordor:
Si tibi nulla sitim finiret copia lymphae,
Narrares medicis: quod quanto plura parasti,

*posset*] «facile a se impetraret.» — *signo laeso*] Est igitur: «qui furenter non irasceretur ut plerique, cum lagenam (*λάγηνος*, *λάγυνος*, *Lagel*, *Legel:*) a se obsignatam comperisset a servulo esse resignatam.» — *rupem*] Cfr. Sat. 2, 3, 56. A. P. 457. — *cognatos*] Epp. 1, 1, 102. — *opibus*] in prosa or. «ope, auxilio,» ut Epp. 1, 10, 36. — *Expulit*] Tibull. 4, 4, 1: *tenerae morbos expelle puellae.* — *helleboro*] «veratro albo,» solito adversus insaniam medicamento. — *bilemque*] *μέλαιναν χολήν*, quae pro morbi causa habebatur. — *meraco*] «puro et nulla sorbitione diluto, quo vis eius esset efficacior.»

141—144. *Nimirum*] Narrata hac historia, quae exemplo illustrat sententiam v. 126., ultimam addit rationem, cur relinquat poësin certe lyricam; «reliquam enim vitam sapientiae studiis esse dicandam.» — *sapere*] «ad sapientiae praecepta vitam componere, omissis vanis oblectamentis, etiam studiis poëticis.» — *tempestivum*] pr. «cui tempus est, ut incidatur, *καίριον*.» — *Ac non*] *und sonach nicht.* — *sequi*] «sectari, quaerere» cet., id est, «summa cum cura componere carmina lyrica.» — *numerosque modosque*] *ῥυθμοὺς καὶ μέλη*: quibus saepe comparatur vita, recte constituta et secum ipsa concordans.

Tanto plura cupis, nulline faterier audes?
Si volnus tibi monstrata radice vel herba
Non fieret levius, fugeres radice vel herba
Proficiente nihil curarier. Audieras, cui
Rem di donarent, illi decedere pravam
Stultitiam; et, cum sis nihilo sapientior, ex quo
Plenior es, tamen uteris monitoribus isdem?
At si divitiae prudentem reddere possent,
Si cupidum timidumque minus te, nempe ruberes,
Viveret in terris te si quis avarior uno.
Si proprium est, quod quis libra mercatur et aere,
Quaedam, si credis consultis, mancipat usus;
Qui te pascit ager, tuus est, et villicus Orbi,
Cum segetes occat tibi mox frumenta daturas,
Te dominum sentit. Das nummos, accipis uvam,
Pullos, ova, cadum temeti: nempe modo isto

v. 158. *mercatus et aere est* Sangall. B. v. 161. *daturus* Codd. multi. Fea.

145—159. *recordor*] «Proprie est *rursus in cor revocare*, ut ait Varro L. L. 6, 46. h. e. in mente agitare, cogitando repetere, reputare. Forcell. — *lymphae*] Stob. I. p. 256. G.: *Διογένης ὡμοίου τοὺς φιλαργύρους τοῖς ὑδρωπικοῖς κτλ.* — *fugeres*] «indignabundus nolles, recusares.» — *audieras*] a volgo. — *donarent*] Bentleii *donarint* obstat rectae temporum consecutioni, quae est: *audisti, cui rem donent* vel *donarint; audieras, cui rem donarent* vel *donassent*. — *libra*] Gaius 1, 119: *Est - mancipatio - - imaginaria quaedam venditio; - - eaque res ita agitur, adhibitis non minus quam quinque testibus, civibus Romanis puberibus, et praeterea alio eiusdem condicionis, qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens: is, qui mancipio accipit, rem tenens ita dicit: Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio, isque mihi emptus est hoc aere aeneaque libra: deinde aere percutit libram, idque aes dat ei, a quo mancipio accipit, quasi pretii loco. — usus*] id est, usucapio, quae auctore Ulpiano Fr. 19, 8. est *dominii adeptio per continuationem possessionis anni vel biennii, rerum mobilium anni, immobilium biennii.*

160—167. *Orbi*] Orbius, ignotus ceteroquin illius aetatis latifun-

Paullatim mercaris agrum fortasse trecentis
Aut etiam supra nummorum milibus emptum.
Quid refert, vivas nūmerato nuper an olim?
Emptor Aricini quondam Veientis et arvi
Emptum coenat olus, quamvis aliter putat; emptis
Sub noctem gelidam lignis calefactat aēnum;
Sed vocat usque suum, qua populus adsita certis
Limitibus vicina refugit iurgia; tamquam
Sit proprium quidquam, puncto quod mobilis horae
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc morte suprema,
Permutet dominos et cedat in altera iura.
Sic quia perpetuus nulli datur usus et heres
Heredem alterius velut unda supervenit undam,

v. 171. *refugit* B. v. 173. *sorte* Lamb. v. 176. *alternis* B. *coni.*

diorum possessor. — *trecentis milibus*] 26648. Flor. Rhen. 33760 Franc. Helv. — *Aricia* oppidum Latii, notum propter lacum Nemorensem et cultum Dianae; *Veii*, hodie *Isola Farnese*.

170—174. *usque*] «usque ad eum locum, ubi populus terminos agri signat.» Comm. Cr. — *adsita*] «iuxta sata sive plantata.» Virg. Ecl. 9, 7: *qua se subducere colles incipiunt — usque ad aquam et veteres, iam fracta cacumina, fagos*, itidem finium agri notas. — *refugit*] quasi ipsa populus limitaris iurgia odisse soleat; perfectum *ἀορίστως*: «impedit semper atque etiamnunc impedit, ne iurgia, rixae, lites inter vicinos oriantur.» — *proprium*] Antiphanes in Grotii Exc. p. 627: *ὅστις ἄνθρωπος φυσὶς ἀσφαλές τι (quod sit certum ac proprium:* Grot.) *κτῆμ' ὑπάρχειν τῷ βίῳ λογίζεται, Πλεῖστον ἡμάρτηκεν.* — *cedat in altera iura*] «transeat in alterius ius ac dominium.» Eadem constr. Gaius 4, 13; 16: *in publicum cedebat summa sacramenti.*

175—177. *usus*] usus fructus. — *heres Heredem alterius*] Tres igitur memorantur personae, velut avus, pater, filius. Bentleii *alternis* significaret duas dumtaxat, et quidem, quod fieri nequit, ut Titius Seio, Seius rursus Titio hereditatem traderet. — *supervenit*] «Ut fluctus super se invicem veniunt, cum ex immenso volvuntur mari.» — *vici*] h. l. rustici, id est, villae, ubi aestate habitat dominus, cum pluribus tuguriis, in quibus degunt coloni partiarii. — *Calabris*] «Lucani saltus cum Calabris coëmpti et continuati,» ut Epod. 1, 27.

Quid vici prosunt aut horrea? quidve Calabris
Saltibus adiecti Lucani, si mittit Orcus
Grandia cum parvis, non exorabilis auro?
Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas,
Argentum, vestes Gaetulo murice tinctas,
Sunt qui non habeant, est qui non curat habere.
Cur alter fratrum cessare et ludere et ungi
Praeferat Herodis palmetis pinguibus, alter
Dives et importunus ad umbram lucis ab orto
Silvestrem flammis et ferro mitiget agrum,
Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturae deus humanae, mortalis in unum-
Quodque caput, voltu mutabilis, albus et ater.

v. 182. *curet* Lamb.

180 — 182. *Tyrrhena sigilla*] signa Tuscanica aerea, parva deorum simulacra. Tertull. Apolog. 25: *Ingenia Tuscorum fingendis simulacris urbem inundaverunt.* — *argentum*] factum, caelatum. — *Gaetulo*] «Afro ac per hoc Mauro; significat enim purpuram Girbitanam.» Porph. — *est, qui non curat*] «sapiens;» quod quia certum est, indicativo utitur.

183 — 186. *Cur alter*] «Unde autem oriatur tanta ingeniorum studiorumque diversitas saepe vel inter fratres, ut unus voluptati sit deditus, alter laboriosus et nimis ad rem attentus, equidem nescio; est enim humanae naturae arcanum.» — *cessare*] «otiari ac iucunde vivere.» Comm. Cr. — *Herodis*] Magni filius, mortui a. u. c. 750. Maximus eius reditus constabat ex *pinguibus* (fertilibus) palmetis prope Hiericuntem. Plin. 5, 14: *Hiericuntem palmis consitam, fontibus irriguam.* — *importunus*] «semper irrequietus sibique et aliis molestus.» — *flammis*] «incensis virgultis et rubis, caesis abietibus, fagis, ilicibus.»

187—189. *Genius*] Varro apud August. de C. D. 7, 13. dicit: *Genium esse uniuscuiusque animum rationalem, et ideo esse singulos singulorum.* — *natale - - astrum*] ἄστρον γενεθλιον, horoscopus, quo cuiusque vita et vicissitudines praefiniuntur; huius autem vim quatenus potest mitigat atque in melius flectit Genius. — *Naturae*] «deus cuiusque, qui humanam sortitus est naturam s. qui homo natus est.» — *mortalis in unumquodque caput*] «in singulos homines, *absterbend für jedes einzelne Haupt.*» Voss. Ete-

Utar et ex modico, quantum res poscet, acervo
Tollam, nec metuam, quid de me iudicet heres,
Quod non plura datis invenerit; et tamen idem
Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti
Discrepet et quantum discordet parcus avaro.
Distat enim, spargas tua prodigus, an neque sumptum
Invitus facias neque plura parare labores,
Ac potius, puer ut festis Quinquatribus olim,
Exiguo gratoque fruaris tempore raptim.
Pauperies immunda *domus* procul absit: ego, utrum
Nave ferar magna an parva, ferar unus et idem.
Non agimur tumidis velis aquilone secundo;
Non tamen adversis aetatem ducimus austris;

v. 199. *domus* est falsum suppl. voc., quod excidit.

nim cum leto fatali exstinguitur homo, eius Genius redit in Iovem, id est, in aetherem s. animam mundi, ex qua processerat, ut homini et animam et vitam daret eumque tutaretur, donec in vivis esset. — *mutabilis*] «Ut vicissitudines singulorum mortalium variant, ita ipse quoque fit vel laetus vel maestus, vel *albus* (felix) vel *ater* (aerumnosus et infelix.)»

190—197. *Utar*] «Libere fruar modicis meis facultatibus, quantum necesse est ex iis absumens, non ut mea disperdam; *usus* enim rationi consentaneus est, non *abusus*, id est, omnium consumptio.» *spargas*] v. rarioris usus pro «dissipes, prodigas, dilapides.» — *Quinquatribus*] Festus Lind. p. 218: *Quinquatrus appellari quidam putant a numero dierum, qui feriis celebrantur; qui scilicet errant: --forma autem vocabuli eius exemplo multorum populorum Italicorum enuntiata est, quod post diem quintum Iduum* (Martiarum, d. 19. m. Martii.) *est is dies festus ut apud Tusculanos Triatrus et Sexatrus et Septematrus et Faliscos Decimatrus. — olim*] ut Epp. 1, 3, 18. «Ut solent pueri omnes per quinque illos dies, quibus ludi litterarii clausi sunt.»

199—202. *Pauperies*] Nihil impedit, quo minus pauperies (probe distinguenda ab egestate, inopia, mendicitate) munda sit; quocirca addit *immunda*, «sordida et propterea molesta et mihi et aliis, qui mecum versantur.» — *Non agimur*] Eadem constructio Epp. 1, 6, 31. — *aetatem ducimus*] Non est: «vitam regimus,» sed ut Epod. 17, 63: *Ingrata misero vita*

Viribus, ingenio, specie, virtute, loco, re
Extremi primorum, extremis usque priores.
Non es avarus: abi. Quid? cetera iam simul isto
Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine et ira?
Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures portentaque Thessala rides?
Natales grate numeras? ignoscis amicis?
Lenior et melior fis accedente senecta?
Quid te exempta iuvat spinis de pluribus una?
Vivere si recte nescis, decede peritis.
Lusisti satis, edisti satis atque bibisti:
Tempus abire tibi est, ne potum largius aequo
Rideat et pulset lasciva decentius aetas.

*ducenda est*, «totam vitam lente ac maeste agimus.»

205—209. *abi*] Est sermonis quotidiani. Plauti Trinum. 4, 1, 11: *Abi: laudo; scis ordine, ut aequomst, tractare homines.* Est igitur idem prope atque «euge, macte virtute, *schon gut.*» — *terrores magicos*] maxime in *νεκρομαντείαις*, quibus indulgebat vel Appius Claudius Pulcher, Ciceronis in auguratu collega. — *Nocturnos lemures*] Plato Phaedo p. 81. D.: *ψυχῶν σκιοειδῆ φαντάσματα.* Sunt animae mortuorum propter desiderium aliquod in terris haud expletum ad vivos redeuntes eosque noctu terrentes. — *Thessala*] Thessalia propter sagas harumque praestigias infamis erat. Od. 1, 27, 21. Epod. 5, 45.

210—216. *Natales*] «Quod non faciunt nimium timidi senectutis et mortis, quia ex natalibus multis mortem iam propinquam perhorrescunt.» Cfr. Epp. 1, 4, 14. — *spinis*] Sollicitudines vanas atque animi perturbationes cum spinis comparat. — *decede peritis*] «Quoniam recte vivere nescis, qui vivas omnino indignus es; quocirca meriendo da locum sapientioribus, quibus tua pravitate ac desidia obstas.» — *Lusisti*] Livius Andronicus apud Festum in v. *Affatim: Affatim edi, bibi, lusi.* — *Tempus abire*] «Tota tua vita cum lusui ac luxuriae dedita fuerit, omni merito omnique laude caret. Ergo, ut quam primum finiatur, optandum est, ne mox ludibrio fias iuniioribus turpis senex.» — *pulset*] ut solet fieri in *παροινίᾳ*. — *lasciva decentius*] «quam magis decet lascivire ac ludere quam senectutem.»

# Q. HORATII FLACCI

# DE ARTE POETICA

## LIBER.

---

## PRAEFATIO.

De Pisonibus haec tradit Porphyrio et Comm. Cruq. p. 695: «Hunc librum, qui inscribitur de arte poëtica ad L. Pisonem, qui postea urbis custos fuit, eiusque liberos misit. Nam et ipse Piso poëta fuit et studiorum liberalium antistes.» Quae de hoc viro scimus, haec fere sunt: Tacit. Ann. 6, 10. a. u. c. 785.: *L. Piso pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit, nullius servilis sententiae sponte auctor et, quotiens necessitas ingrueret, sapienter moderans. Patrem ei censorium fuisse memoravi.* (Ubi, ignoramus.) *Aetas ad octogesimum annum processit, decus triumphale in Thracia meruerat. Sed praecipua ex eo gloria quod praefectus urbi recens continuam potestatem et insolentia parendi graviorem mire temperavit.* Propter hanc praefecturae urbis administrationem magnificas laudes ei tribuit Velleius 2, 98. Consul autem fuit suffectus a. u. c. 739. Post consulatum obtinuit Pamphyliam provinciam, unde cum a. u. c. 743. contra Besses et Sialetas bellum gerere iussus esset, hos post varia proelia debellavit; propter quas res feliciter gestas ei supplicatio et honores triumphales decreti sunt. Dio 54, 30. Flor. 4, 12, 16. Iam cum Artem poëticam nos quoque ultimum vel certe unum ex ultimis Horatianorum operum esse iudicemus atque intra annos 743—746. compositam arbitremur, aetatis et patris et filiorum rationem ineamus necesse est. Natum igitur L. Pisonem ex Tacito scimus a. u. c. 705., consulem a. u. c. 739. annos natum XXXIV., intra a. u. c. 743—746. annos XXXVIII—XLI. Quodsi vicenarius uxorem duxit a. u. c. 725. maiorque filiorum natus est sequenti, iisdem illis tribus annis adolescentulus erat XVII—XX. annorum, qua aetate cur ad poëtica studia incumbere non potuerit, nequaquam video.

Dignum est memoratu illud, quod tradit Porphyrio: «In hunc librum congessit praecepta Neoptolemi τοῦ Παριανοῦ de arte poëtica, non quidem omnia, sed eminentissima.»

Quod ad ipsam poëmatis formam attinet, illi tantummodo Interpretes verum viderunt, qui «epistolam didacticosatiricam» esse contenderunt, non poëma didascalicum universae poësis leges ac regulas proponens, ut olim plerique rati sunt, non animadvertentes praecepta paene omnia referri ad genus dramaticum, ea vero genera, in quibus ipse excellebat, lyricum (quod leviter dumtaxat attingit vv. 83—85.), satiras, epistolas, epigramma, poëma didascalicum, quamquam ipse Lucretium suspiciebat, prorsus praeteriri. Id igitur teneto, hanc epistolam Pisonibus praeter ceteros destinatam atque ab his intra domesticos parietes lectam esse, antequam ederetur. Poëta autem benevolentia in Pisonem maiorem, boni haud dubie ingenii adolescentem, sed nimis fortasse cupidum novum aliquod genus tentandi, metuisse videtur, ne si nimio ardore ferretur ad drama satyricum componendum, antequam universam artem poëticam probe perdidicisset, mediocris tantummodo poëta evaderet et a popularibus derideretur. Propterea multus est in significandis praesertim difficultatibus, quae poëtae necessario sint vincendae, si omnium plausum ferre velit. Verum enimvero, ne nimis aridum siccumque evaderet huiusce argumenti poëma didascalicum, quale quidem apud Graecos, quod sciam, nullum exstabat, exhilarandi erant lectorum animi iocis interdum satis acerbis in poëtarum vitia, in prava grammaticorum iudicia, in perversam Romanorum educationem; nec vero oblitus est se suique similes poëtas defendere adversus antiquarios, atque omnino persaepe *ridendo dicere verum*. Sententiarum ordo atque mutuus nexus a multis reprehensus, a pluribus etiam haud perspectus, mihi quidem semper admirabilis visus est et talis profecto, qualis debet esse in epistola, vera sermonis familiaris imagine, id est, occultior et laxior, quam qui requiritur in poëmate mere didascalico.

---

## Humano capiti cervicem pictor equinam
## Iungere si velit et varias inducere plumas

1—5. In exordio (vv. 1—23.) hoc potissimum inculcat, *simplex dumtaxat et unum* esse debere quodvis artis opus. Unde oppositionis causa primum proponit foedum ac ridiculum monstrum, in quo nullum est vestigium simplicitatis illius, quam nunc *unitatem organicam* dicere solent. «Nec φαντασίας audacia se quisquam excuset, ubi in illam peccarit; neque vero singulae descriptiones ac ῥήσεις per se fortasse pulcherrimae, illa ubi deest, poëma aliquod absolutum ac perfectum reddunt.» — *varias*] «disparium colorum.» — *inducere*] «penicillo imponere.» Acr. «cetera membra praeter caput humanum et piscis caudam insuper

**Undique collatis membris, ut turpiter atrum**
**Desinat in piscem mulier formosa superne,**
**Spectatum admissi risum teneatis, amici?** 5
**Credite, Pisones, isti tabulae fore librum**
**Persimilem, cuius velut aegri somnia vanae**
**Fingentur species; ut nec pes nec caput uni**
**Reddatur formae. Pictoribus atque poëtis**
**Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.** 10
**Scimus et hanc veniam petimusque damusque vicissim,**
**Sed non ut placidis coëant immitia, non ut**
**Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.**

v. 5. *teneatis? Amici*, *Credite* Markland.

plumis variegare, adeo ut totum monstrum compositum sit ex muliere, equo, aliis animalibus (nominatim in trunco et pedibus) avibus et pisce.» — *collatis membris*] Non est dativus v. *inducere*, sed ablat. absol.: «cum undique ita conferantur membra, *ut*» cet. — *turpiter atrum*] Sic iunge, non *turpiter desinat*. Cfr. Epp. 1, 3, 22: *ingenium - turpiter hirtum*. — *piscem*] «in beluam marinam, id est, pistricem.» Acr. — *risum*] Primus enim sensus est ridiculi in huiusmodi forma ex partibus naturâ sibi repugnantibus composita, ut in deorum Indicorum et Sinensium monstris. — *admissi*] Ubi tabulam finierat pictor, primum familiares suos spectatum advocabat.

7—9. *vanae*] «in rerum natura haud reperiendae.» — *nec pes*] Plaut. Asin. 3, 3, 140: *nec caput nec pes sermonis apparet*. — *Reddatur*] «conformetur ac respondeat.» Natura rerum *dat*, *reddit* ut debitum poëta. — *uni*] «certae ac finitae.»

10 — 13. *Quidlibet audendi*] Lucian. Pro imagg. 18: *Παλαιὸς οὗτος ὁ λόγος, ἀνευθύνους εἶναι καὶ ποιητὰς καὶ γραφέας*. — *aequa*] «iure permissa;» *billig*, non *gleich*, ut dicimus *aequam legem*, *aequa iura*. — «*Petimus* quasi poëtae, *damus* quasi critici.» Acr. — *placidis coëant immitia*] Ut si in tragoedia saevus aliquis tyrannus repente fieret rex clementissimus ac iustissimus. «Arcte,» inquit, «copulari res insociabiles et contrariae a poëta non debent.» — *coëant* autem, ut Epp. 1, 5, 25: *ut coëat par Iungaturque pari*. — *Serpentes*] *geminari* significat «copulari et placidam societatem amicitiamque inire.» Cfr. Epod. 16, 30.

14 — 18. *Inceptis*] «Poëmata epica et tragoediae, quae magna

Inceptis gravibus plerumque et magna professis
Purpureus, late qui splendeat, unus et alter
Adsuitur pannus; cum lucus et ara Dianae
Et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum aut pluvius describitur arcus:
Sed nunc non erat his locus. Et fortasse cupressum
Scis simulare: quid hoc, si fractis enatat exspes
Navibus, aere dato qui pingitur? Amphora coepit
Institui; currente rota cur urceus exit?
Denique sit quidvis simplex dumtaxat et unum.
Maxima pars vatum, pater et iuvenès patre digni,

v. 23. *quod vis* Cod. B. Lamb. Al. *quodvis*.

promittunt, saepe in eo peccant, quod scriptores falsis lenociniis utentes, hic illic non suo loco ornatum adhibent.» — *pannus*] Intellige vel de togae praetextae lato clavo vel de instita stolae. Loquitur enim maxime de intempestivis a re digressionibus, *ἐπεισοδίοις*. Singulis autem quae mox memorat notare videtur certa quaedam suae aetatis poëmata, veluti probabiliter Furium Bibaculum in flumine Rheno. Cfr. Sat. 1, 10, 37. — *lucus*] Respicit ad h. l. Persius 1, 75: *nec ponere lucum artifices*. — *flumen Rhenum*] adiectiv. ut Od. 4, 4, 33: *Metaurum flumen*. Tacit. Hist. 4, 12: *mare Oceanum*.

19 — 23. *cupressum*] Proverbium est in malum pictorem, qui nesciebat aliud pingere quam cupressum. Ab hoc naufragus quidam petivit, ut voltum suum et naufragium exprimeret. Ille interrogavit, num ex cupresso vellet aliquid adpingi; quod proverbium Graecis in usu est: *μή τι καὶ κυπαρίσσου θέλεις;* Schol. — *simulare*] «*μιμεῖσθαι*, penicillo exprimere.» — *exspes*] «in summo vitae discrimine versans omnibusque bonis suis exutus, quocirca tabulam illam prae se ferens mendicatum it.» Cfr. Iuven. 14, 301: *mersa rate, naufragus assem Dum rogat et picta se tempestate tuetur.* — *Amphora*] Nova imago: «talibus digressionibus fit, ut prodeant poëmata deformia, quorum exitus nequaquam respondet argumento, quod tractandum susceperat scriptor.» — *rota*] figulari, *Töpferscheibe*. — *urceus exit*] quia temere ac fortuito rem peregit figulus, h. l. poëtae caeco impetu abrepti imago. — *quidvis*] «quodcunque poëma; cuius generis, nunc nihil refert.» — *unum*] «una forma organica;» *ὥσπερ ζῷον ἓν ὅλον*. Arist. P. 23.

**Decipimur specie recti: brevis esse laboro,**
**Obscurus fio; sectantem levia nervi**
**Deficiunt animique; professus grandia turget;**
**Serpit humi tutus nimium timidusque procellae;**
**Qui variare cupit rem prodigialiter unam,**
**Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum.**
**In vitium ducit culpae fuga, si caret arte.**
**Aemilium circa ludum faber unus et ungues**
**Exprimet et molles imitabitur aere capillos;**
**Infelix operis summa, quia ponere totum**

v. 26. *lenia* Mein. v. 32. *imus* multi Cod. Lamb.

25—27. *Decipimur*] Vitia omni poëseos generi communia, in quae poëtae facile incurrant, enumerat, ac se quoque in errorem incidere posse ingenue fatetur. — *specie*] *ἰδέᾳ*· «id quod rectum et vere pulchrum nobis videtur unice sectantes, incidimus in vitia.» — *levia*] in his duobus vv. *lenis* et *levis* librorum praestantissimorum auctoritas plurimum valet, cum et Graeci et Latini *τὴν λειότητα*, *levitatem*, non solum *τῇ τραχύτητι*, *asperitati*, sed etiam *τῇ ὀεινότητι*, *τῷ παδητικῷ καὶ ἐμφύχῳ*, *animis*, *nervis*, *viribus* opponant; ut Quinctil. 8, 3, 6: *effeminatam levitatem ornatus virili, forti, qui sanguine et viribus nitet.* — *professus grandia*] «qui sublime genus dicendi affectat.»

28—31. *Serpit humi*] Duae imagines sunt contractae, eius, qui nunquam ad altiora eniti constur, et eius, qui procellarum formidine litus radit. — *Qui variare*] *Variare*, *ποικίλλειν*, est efficere, ut *una* (eadem) *res* sine necessitate ac sine oblectatione lectoris praebeat plúres adspectus; in quod vitium haud raro inciderunt Ovidius, Lucanus, Statius. — *prodigialiter*] *höchst wunderbar.* — *Delphinum*] Est velut proverbium. Ion ap. Plut. Demosth. 3: *ὀελφῖνος ἐν χέρσῳ βία.* — *In vitium*] «Qui vitia studiose vitat, eo ipso vitiosus solet fieri, si propriis virtutibus poëticis caret.» Dionys. Long. 33: *ἄπτωτος ὁ Ἀπολλώνιος* · - - *ἀφ' οὗ γὰρ Ὅμηρος ἂν μᾶλλον, ἢ Ἀπολλώνιος ἐθέλοις γενέσθαι;*

32—37. *Aemilium*] Est ludus gladiatorius ab Aemilio Lepido constitutus, («quod nunc Polycleti balneum est.» Porph.) P. Victor in Regione VIII., id est, Foro Romano, ponit. — *unus*] «praeter ceteros,» «melius quam reliqui omnes,» ut Lucil. ap. Non. 4, 64: *optimu' longe Post homines natos gladiator qui fuit unus.* Epod. 12, 4. Ille igitur excellebat utique in statuarum suarum capil-

Nesciet. Hunc ego me, si quid componere curem,
Non magis esse velim quam naso vivere pravo,
Spectandum nigris oculis nigroque capillo.
Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc nec lucidus ordo.
Ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor,
Ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici,
Pleraque differat et praesens in tempus omittat;

v. 42. *haud* e Codd. Fea.

Hilo, haud facili capitis parte, et unguibus exprimendis: ut Plinius 34, 8. Pythagoram et Lysippum propter hoc ipsum eximie laudat: sed idem in *operis summâ* (si quis totam operum eius formam spectaret,) infelix et reprehensione dignus erat. «Non satis est,» inquit, «ut una alterave pars poëmatis excellat, sed tota eius compositio perfecta esse debet.» — *molles*] «ita ut aeque molles *(weichwallend)* viderentur, ac sunt in homine ipso.» — *ponere*] fingere, *gestalten*, ut Od. 4, 4, 8. — *pravo*] sensu proprio, «dextrorsum vel sinistrorsum detorto,» *schief*, *krumm*. — *Spectandum*] propter pulchritudinem, ut Od. 1, 32, 11.

38—41. Prima *κυρία δόξα* fuerat de unitate, quam dicunt, organica; iam agit de eligenda materia, id est, de inventione. — *aequam*] «accommodatam; cui pares sint vires vestrae.» — *versate*] animo, «deliberate;» imagine tamen desumpta a baiulis, qui onera manibus versant, antequam in humeros tollant. — *potenter*] «*κατὰ δύναμιν*, pro suis viribus.» — *ordo*] Hic transit ad ordinem, quem *τεχνογράφοι διάθεσιν*, dispositionem, vocant. Opponitur *τῇ εὑρέσει*, inventioni. Vida Poët. 3, 20: *Ille ego sim, cui Pierides dent carmina Musae Lumine clara suo, externae nihil indiga lucis.*

42—45. *aut ego fallor*] Hac formula utuntur, qui rei a se affirmatae prorsus certi sunt. Seneca de Tranq. an. 8: *Aut ego fallor aut regnum est inter circumscriptores, latrones, plagiarios unum esse, cui nocere non possit.* — *Ut iam nunc dicat*] «Ut iam nunc dicat ea, quae re vera nunc ipsum dici debent, id est, necessaria, multa autem, quae alius poëta *toto sacco serens*, etsi non prorsus necessaria iam hic inculcasset, differat in locum magis opportunum atque propterea in praesentia omittat, magis artificioso et

**Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.**
**In verbis etiam tenuis cautusque serendis,**
**Dixeris egregie, notum si callida verbum**
**Reddiderit iunctura novum. Si forte necesse est**
**Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,**
**Fingere cinctutis non exaudita Cethegis**
**Continget, dabiturque licentia sumpta pudenter.**
**Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si**

vv. 45. 46. invertit Bentl. coni. v. 52. *factaque* B.

poëtico ordini studens, ut suspensum teneat lectorem; et quidem ita, ut persentiscat lector acutus, cur hunc μῦθον, hanc sententiam vel hanc imaginem *amarit*, ea consulto et cum dilectu quodam *(con amore)* usus sit, alias, in quibus poëta deterior facile luxuriatus esset, sapienter *spreverit* reservaritque ad alium poëmatis locum, ubi id efficiant, ut priorum rursus memor factus lector utramque poëmatis partem mente connectat.» — *promissi carminis*] «quod, ut scimus, in manibus habet praestans poëta, sed fortasse demum post plures annos edet:» plane ut Aeneis, quam omnes cupide exspectabant, identidem repetentes illud Propertii: *Nescio quid maius nascitur Iliade.*

46 — 52. *In verbis*] Iam (vv. 46 — 59.) dat praecepta de stili virtutibus in verborum dilectu, in iunctūris, in verbis faciendis. — *tenuis*] ut λεπτός, subtilis indicii, *fein*. — *cautus*] «cavens praesertim, ne in verbis insit aliquid ambigui aut obscuri.» — *serendis*] «inter se coniungendis atque recte collocandis,» *Verknüpfung*. — *callida*] «occulta quadam arte lectoris mentem movens,» ut sunt apud ipsum Horatium *splendide mendax, insanientis sapientiae consultus, animae magnae prodigus* cet. — *Indiciis*] σημείοις, *Bezeichnung*. — *abdita rerum*] ut Sat. 2, 2, 25: *vanis rerum*, 8, 83: *fictis rerum*; «notiones novas, quas nemo ante verbis Latinis manifestavit.» — *cinctutis*] qui *cinctu* induebantur, quae erat vestis infra pectus corpus ambiens et ad pedes pertingens; a viris gestabatur loco tunicae, ut expeditiores essent ad agendum; habebant enim soluta brachia et ad exserendum habiliora. Forc. Hinc Lucan. 2, 543: *exsertique manus vesana Cethegi*. Omnino est: «verba maioribus nostris ante haec duo secula plane incognita.» — *pudenter*] «Sed est modus in hoc quoque servandus, ne nimis crebro ac licenter verbis a nobis factis utamur.» Quinctil. 1, 5, 71: *Usitatis tutius utimur; nova non sine quodam periculo fingimus.* — *habebunt fidem*] «ita proba-

**Graeco fonte cadent, parce detorta. Quid autem**
**Caecilio Plautoque dabit Romanus ademptum**
**Virgilio Varioque? Ego cur, acquirere pauca**
**Si possum, invideor? cum lingua Catonis et Enni**
**Sermonem patrium ditaverit et nova rerum**
**Nomina protulerit. Licuit semperque licebit,**
**Signatum praesente nota producere nomen.**
**Ut silvae foliis pronos mutantur in annos,**

v. 59. *procudere nummum* Bentl.

buntur propter evidentiam atque elegantiam, ut oblata occasione alii quoque iis libenter usuri sint.»

53—59. *Graeco fonte*] maxime in compositionibus ad Graeci sermonis analogiam factis, cuius generis apud Horatium sunt *centimanus*, *tauriformis*, *beluosus* (*μεγαχήτης*), *inaudax*, *aurum vestibus illitum* (*χρυσόπαστος*). «Verum,» inquit, «in hoc quoque *parcimonia* opus est, ne nimis graecisset oratio peregrinumque colorem ducat.» — *detorta*] «deducta et translata in linguam Latinam;» sic iam Cato apud Priscian. p. 871. P.: *Marrucini vocantur, de Marso detorsum* (sic) *nomen.* — *Caecilio*] Caecilio Statio, comoediarum scriptori. Vide Epp. 2, 1, 59. «Quid negatum erit praestantissimis nostrae aetatis poëtis, quod libenter nunc concedunt comicis seculi sexti atque in his probant?» — *acquirere pauca*] Admodum modeste: «paucis saltem verbis et constructionibus augere linguam Latinam;» ut videtur hoc ipso loco fecisse in v. *invideor*, *φθονοῦμαι*, pro *invidetur mihi.* — *praesente nota producere nomen*] Imagine ex parte desumpta a nummis, quorum notae tunc quotannis mutabantur ex arbitrio annuorum triumvirorum monetalium: (recte enim vertunt *vom heutigen, jetzigen Stempel:*) in altera parte servat verba propria. *Producere nummum* (veluti in hominum conspectum) significat nummo nuper cuso primum uti in commercio quotidiano; sic *producere nomen* eo primum uti in sermone vel scripto. Quinctil. 1, 6, 18: *Utendum plane sermone velut nummo, cui publica forma est.*

60. 61. Vv. 60—72. ex ipsa vitae humanae natura fluxa et caduca necessitatem linguae semper novandae, ne corporum mortalium instar intereat, magna cum arte demonstrat, insertis elegantibus Augusti laudibus. — *Ut silvae foliis*] ablat. instrum. proprie «silvae per folia quotannis decidentia aliae fiunt,» *an Laub.* Fundus frequentis similitudinis est Iliad. ζ, 146: *Οἵη περ φύλλων γενεή, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.* — *pronos*] «ad finem

**Prima cadunt; ita verborum vetus interit aetas,**
**Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque.**
**Debemur morti nos nostraque; sive receptus**
**Terra Neptunus classes aquilonibus arcet,**
**Regis opus, sterilisve diu palus aptaque remis** 65
**Vicinas urbes alit et grave sentit aratrum,**
**Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis**
**Doctus iter melius: mortalia facta peribunt,**
**Nedum sermonum stet honos et gratia vivax.**

v. 65. *sterilisve palus prius aptaque* B. v. 68. *cuncta* Bentl.

vergentes,» ut *pronus Orion* Od. 3, 27, 18. — *Prima*] «prima quaeque,» «unum post alterum.» — *vetus aetas*] «verba inveterascentia atque obsoleta.»

63—65. *Debemur*] Simonides p. 178. Schn.: ἀνάγκῃ πάντες ὀφειλόμεθα. — *Terra*] Egregia arte usus Augusti laudes propter magnifica opera publica attexit, peritura haec quoque, ut periere, vaticinans. Virg. Ge. 2, 161: *An memorem portus Lucrinoque addita claustra Atque indignatum magnis stridoribus aequor, Iulia qua ponto longe sonat unda refuso, Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernis?* A. u. c. 717. cum contra Sex. Pompeium male rem gessisset Octavianus Caesar, ut reficiendis classibus locum tutum haberet, Agrippae consilio portum Baianum in sinu Puteolano commodiorem ita reddidit, ut lacum Lucrinum interiecto aggere a mari seclusum cum lacu Averno, qui Lucrino adiacebat, coniungeret, aggerem autem, qui V. stadiorum erat, postquam eo perfosso, aditum navibus in portum fecerat, ita muniret, ut a fluctibus superari nequiret navibusque tutus intra eum esset receptus. Hic Portus Iulius vocatus; (nunc est arundinetum palustre, *Mar morto.*) — *aquilonibus*] pro omnibus procellis, ut Virg. Aen. 4, 310. Est autem dativus. «Aquilones arcet a classibus.» — *Regis opus*] «dignum vel rege potentissimo,» ut Od. 2, 15, 1: *regiae moles.* — *Sterilisve diu palus*] Sane statuendum est, licentia poëtica usum esse Horatium in ultima syll. v. *palus* corripienda. — *aptaque remis*] «navigabilis.» Pomptinas paludes Augustus exsiccavit et habitabiles reddidit, iniecto aggere lapidum et terrae.» Schol. Tale tamen Augusti opus a nemine praeterea memoratur.

67—72. *amnis*] Minime interpretandum esse cum Scholiastis de Velabro ab Agrippa Augusti iussu exsiccato, sed de cursu Tiberis ab Augusto aggeribus correcto (tempore quidem et modo nobis ignoto) demonstravit Fea. Equidem hac

Multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque
Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.
Res gestae regumque ducumque et tristia bella
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.
Versibus impariter iunctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant et adhuc sub iudice lis est.

retulerim eluvionem memoratam Od. 1, 2. 13., a. u. c. 732., post quam Tiberis ripam aggere munitam esse perquam veri simile est. — *stet*] «firmiter duret stabilisque permaneat.» — *renascentur*] Ut Frontonis potissimum aetate permulta verba obsoleta quasi postliminio in sermonem Latinum redierunt. — *arbitrium et ius et norma*] *arbitrium* quod statuimus nulla causa allata; *ius*, facultas, quam ceteri ultro agnoscunt; *norma*, lex a nobis lata, cui ceteri obtemperant.

75—78. Iam expositis generalibus de inventione, dispositione, stilo praeceptis vv. 73—85. praecipua poësis genera enumerat ac describit, carmen epicum, elegiam, iambos, comoediam, tragoediam, genus lyricum. — *impariter*] «Hoc adverbium figuravit Horatius.» Terentius Scaurus apud Charis. 2. p. 182. P. — *querimonia*] non de spretis a puellis poëtarum amoribus, sed luctus et maeror de amicis vel civibus egregiis morte ereptis. Θρηνῳδή. Iugubrem, igitur putavit fuisse ab initio elegiam, secutus, ut videtur, volgarem illam, sed falsam, notationem ab ἔ ἔ λέγειν. — *voti sententia compos*] maxime in rebus amatoriis. «Post θρηνητικὴν elegiam,» inquit, «orta est ἐρωτική,» cuius Mimnermus auctor et exemplar erat; Callini ac Tyrtaei προτρεπτικὴν illam et διδακτικὴν Solonis ac Theognidis non memorat. — *exiguos elegos*] «tenues atque humiles,» ubi compararis et argumento et metro cum carminibus epicis. Ovid. Am. 2, 1, 21: *elegosque leves*. — *Grammatici certant*] Orion p. 58: *Εὕρετὴν δὲ τοῦ ἐλεγείου φασὶν οἱ μὲν τὸν Ἀρχίλοχον, οἱ δὲ Μίμνερμον· οἱ δὲ Καλλῖνον παλαιότερον· οὕτω Δίδυμος* (Horatii aequalis) *ἐν τῷ περὶ Ποιητῶν*. Quae posterior opinio non sine causa invaluit: certe omnium, quae ad nos pervenerunt, antiquissima est Callini elegia: *Μέχρις τῶ κατακεῖσθε; κόν' ἄλκιμον ἔξετε θυμόν, Ὦ νέοι; οὐδ' αἰδεῖσθ' ἀμφιπερικτίονας;* Stob. T. 51, 19.

**Archilochum proprio rabies armavit iambo:**
**Hunc socci cepere pedem grandesque cothurni,** 80
**Alternis aptum sermonibus et populares**
**Vincentem strepitus et natum rebus agendis.**
**Musa dedit fidibus divos puerosque deorum,**
**Et pugilem victorem et equum certamine primum**
**Et iuvenum curas et libera vina referre.** 85
**Descriptas servare vices operumque colores**
**Cur ego si nequeo ignoroque poëta salutor?**

Floruisse autem videtur Bodio circiter a. 730. a. Chr., Archilochus a. 715.

79—82. *rabies*] Cfr. Epod. 6, 13. Epp. 1, 19, 25. — *proprio*] «a se invento atque egregie tractato et huic generi unice apto.» — *iambo*] Ovid. Ib. 53: *in te mihi liber iambus Tincta Lycambeo sanguine tela dabit.* Aristot. Poët. 5: *ἐν τοῖς ψόγοις τῶν φαύλων καὶ τὸ ἁρμόττον ἰαμβεῖον ἦλθε μέτρον· διὸ καὶ ἰαμβεῖον καλεῖται νῦν, ὅτι ἐν τῷ μέτρῳ τοὐτῳ ἰάμβιζον ἀλλήλους.* — *Hunc socci*] «Et comoedia et tragoedia potissimum senario usa est.» — *Alternis*] Aristot. Poët. 4: *μάλιστα λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖόν ἐστιν· σημεῖον δὲ τούτου· πλεῖστα γὰρ ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους, ἑξάμετρα δὲ ὀλιγάκις.* — *populares Vincentem strepitus*] «altius sonantem in scena quam clamor populi.» Acr. «Etsi strepit interdum spectatorum pars, nihilominus a reliquis facile exaudiuntur iambi propter ipsum numerorum genus, in quo facillime aures animadvertunt *ἄρσεις* et *θέσεις*.» — *natum*] *μέτρον πρακτικόν.* Arist., P. 24.

83—85. *Musa dedit*] Poësis lyricae varia genera enumerat, hymnos, paeanes, dithyrambos, heroum laudes, *ἐπινίκια*, *ἐρωτικά*, *παροίνια*, omittens *θρήνους*. — *equum - primum*] «victorem», ut Pind. Olymp. 1, 18. *Φερενίκου*, Hieronis equi, meminit. — *libera*] de *παῤῥησίᾳ* compotantium, ut Sat. 1, 4, 89: *Condita cum verax aperit praecordia Liber;* non: «larga vina.»

86—92. *Descriptas - vices*] «Cum haec varia, quae enumeravit, poësis *opera* s. genera certis legibus semel *descripta*, id est, singulatim constituta et divisa sint a Graecis potissimum, his legibus, quarum causa et ratio inest in ipsa mentis humanae natura, religiose obtemperandum est; quique eas leges vel non novit vel licenter migrat, poëtae nomine indignus est. In primis autem vitanda est prava generum confusio ac permixtio,» cuius exemplum sta-

Cur nescire pudens prave quam discere malo?
Versibus exponi tragicis res comica non volt:
Indignatur item privatis ac prope socco
Dignis carminibus narrari coena Thyestae.
Singula quaeque locum teneant sortita decenter.
Interdum tamen et vocem comoedia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore;
Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri
Telephus et Peleus, cum pauper et exsul uterque

v. 92. *decentem* B. v. 96. *aut Peleus* B.

tim subiungit v. 89. — *colores*] Hoc voc. complectitur et dicendi genus (stilum quem dicimus, Graeci τὸν χαρακτῆρα τοῦ λόγου, ἀδρόν, ἰσχνόν, μέσον. Gell. 7, 14.) et versificationem cuique generi aptam. — *privatis - carminibus*] «sermone versibusque vitae quotidianae, qualem imitatur comoedia, aptis, non heroum tragicorum actionibus ac facinoribus. Quod si tam imperite aliquis genera confundat, *indignatur* lector;» pro quo, ut simul exemplum afferat, coenam Thyestae, summi horroris tragici argumentum, ponit. Ea vero *narratur* ab ἐξαγγέλῳ, cum in scenam produci non possit. — *Singula*] Rursus inculcat praeceptum, quod inest in v. 86. «Locum,» inquit, «quem singula sortita, sua natura nacta sunt vel in tragoedia vel in comoedia, teneant *decenter*, κατὰ τὸ πρέπον.»

93. 94. *Interdum tamen*] «Noli,» pergit, «confundere χαρακτῆρα tragoediae et comoediae; quamquam probe novi, iram aliosque vehementiores affectus personarum comicarum partim sublimiore, partim acriore genere dicendi exprimendos esse, quam ubi tranquillus est animus eorum, qui in scena comparent.» — *vocem tollit*] Sic pater Caecilianus apud Cic. pro Cael. 16: *Nunc enim demum mihi animus ardet, nunc meum cor cumulatur ira.* — *Chremes*] ille Terentianus Heaut. 5, 4., ubi irascitur filio Clitiphoni propter meretricis amorem nimis prodigo eumque acriter castigat.

95. 96. *plerumque*] «ubicunque eiusmodi partes, quales sunt Telephi cet., inducuntur.» — *pedestri*] τῷ πεζῷ λόγῳ, simplici atque minime τὸ ὕψος affectante. Demetr. Phal. 28: Ἁπλοῦν καὶ ἀποίητον βούλεται εἶναι τὸ πάθος. Telephi, Herculis filii ex Auge Alei filia, Mysiae regis, fabulas lege apud Diod. 4, 34. Hygin. 99—101. — *Peleus*] «Peleus, pater Achillis, ipse filius Aeaci, duos habuit fratres, Telamonem ex eodem patre et matre, Phocum ex patre tantum, sed natum dea marina, Salmace nomine, quem ipse in-

**Proiicit ampullas et sesquipedalia verba,**
**Si curat cor spectantis tetigisse querela.**
**Non satis est pulchra esse poëmata; dulcia sunto**
**Et quocunque volent animum auditoris agunto.**
**Ut ridentibus arridենt, ita flentibus adsunt**
**Humani voltus: si vis me flere, dolendum est**
**Primum ipsi tibi; tunc tua me infortunia laedent,**
**Telephe vel Peleu: male si mandata loqueris,**

v. 101. *adflent* Bentl.

terfecit, inde furiis exagitatus et exsilio damnatus est. Tandem receptus hospitio a Ceyce filio Solis a caede expiatur.» ACRON NANNII. — *pauper*] Salse deridetur Euripides aliquoties ab Aristophane, quod Telephum pannosum et mendicum induxerat, quo spectatorum misericordiam acrius moveret. Prodibat enim *Πτωχ' ἀμφιβλήτα σώματος λαβὼν ῥάκη Ἀρκτήρια τύχης·* et apud Ennium Both. P. Sc. p. 24: *Regnum reliqui*, inquit, *saeptus mendici stola. Exul* autem Telephus dici poterat et cum ex Arcadia oraculi iussu matrem quaesitum in Mysiam ad Teuthrantem regem est profectus, et cum volneratus ab Achille Argis Graecorum principum concilium, ut ab eodem sanaretur, precatus est.

97. *Proiicit*] «respuit, talibus non utitur.» — *ampullas*] Primus Horatius vv. Latinis *ampulla* et *ampullari* (Epp. 1, 3, 14.) eodem sensu usus esse videtur, quo Graeci λήκυθος et ληκυθίζειν usurpabant «de oratione nimis ornata (veluti ex colorum ac pigmentorum vase, ληκύθῳ·) ambitiosa et pigmentis veluti tumida.» — *sesquipedalia*] polysyllaba, qualia ἁμαξιαῖα vocat Aristophanes. Huiusmodi vv. praesertim in compositionibus vocabulorum Latinorum apud veteres tragicos nescio quid affectati habent minusque apposita sunt verae maestitiae ac timori. Gellius 19, 7. ex Laevii Alcesti: *Aurora pudoricolor — curis intolerantibus — Nestor triseclisenex et dulcioreloquus.*

99. *Non satis*] Artissime haec (vv. 99—107.) connexa sunt cum antecedentibus, quippe cum ille dumtaxat, qui *servat operum colores*, qui *proiicit ampullas* cet., intimos spectatorum affectus movere, vel laetitiam vel commiserationem ac maerorem in nobis excitare possit. — *pulchra*] «artis legibus prorsus satis facientia.» «Sunt quaedam poëmata, quae habent οἰκονομίαν et diserta probataque verba, sed interdum carent ea venustate et dulcedine, quibus opus est ad movendum spectatoris animum.» COMM. CR. — *dulcia*] ψυχαγωγικά, *lieblich*, quae

Aut dormitabo aut ridebo. Tristia maestum
Voltum verba decent, iratum plena minarum,
Ludentem lasciva, severum seria dicta.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum; iuvat aut impellit ad iram
Aut ad humum maerore gravi deducit et angit;
Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites peditesque cachinnum.

v. 113. *equitesque patresque* Bentl. coni.

suavi etiam commiserationis voluptate afficiant animos.

101—107. *Ut ridentibus*] Exponit vim *συμπαθείας*. — *adsunt*] «praesto sunt; eos anxie comitantur semper variati spe metuque.» Aristot. Rhet. 3, 7: *συνομοιοπαθεῖ δὲι ὁ ἀκούων τῷ παθητικῶς λέγοντι.* Cum Bentleii *adflent* comparare possis Lucian. de Salt. 72: *ὁρᾷς τὸ θέατρον μισοῦν μὲν τὰ κακῶς γιγνόμενα, ἐπιδακρῦον δὲ τοῖς ἀδικουμένοις.* — *Humani voltus*] *Humani* otiosum non est, sed significat: «adsunt propter id ipsum, quod homines sumus et condolescere cum aliis possumus, id quod brutis animalibus negatum est.» — *ipsi tibi*] Quinctil. 6, 2, 26: *Summa enim circa movendos affectus in hoc posita est, ut moveamur ipsi* cet. — *laedent*] «maestitia me afficient lacrimasque mihi excutient.» — *male si mandata loqueris*] «si verba, quae te recitare iubet poëta, intimae illi animi tui sententiae, quam pro condicione tua promere deberes, non respondent, sed vel tumida sunt vel frigida.» — *severum seria*] Inter *serius* et *severus* hoc discriminis est, ut prius fere semper dicatur de rebus, posterius de hominibus. Ruhnken. ad Ter. Eun. 3, 3, 7.

108—113. *Format enim*] Confirmat praecedens praeceptum his vv.: «Veritas autem haec *ἠθῶν καὶ παθῶν* a bonis poëtis religiose servata vel ideo necessaria est, quod animorum habitus et affectus maxime pendent ac temperantur ab externis personarum fortunis; quae cuiusque fortuna cum nota sit spectatoribus, suo iure postulant, ut quae loquitur, cum affectibus tali fortuna conciliatis prorsus congruant: quod ni fit, fabulam explodunt.» — *habitum*] «statum et condicionem.» — *iuvat*] «Vel laetitia nos afficit, vel affligit.» — *equites peditesque*] Est veluti formula universos Quirites complectens. Cic. de Legg. 3, 3: *Censores equitum peditumque prolem describunto*, Liv. 1, 44: *Omnes cives Romani equites peditesque.* — *pedites*] «tenuiore loco orti.» Nam etiam homines de volgo *συμπαθείᾳ* tacti persentiscunt, utrum

**Intererit multum divusne loquatur an heros,**
**Maturusne senex an adhuc florente iuventa**
**Fervidus, et matrona potens an sedula nutrix,**
**Mercatorne vagus cultorne virentis agelli,**
**Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis.**

v. 114. *Davusne* Codd. aliq.

affectus recte an secus expressi sint a poëta.

114. *Intererit*] Iam cum in affectus animorum, in sententias, quas proferunt fabularum personae, atque in ipsum cuiusque personae genus dicendi praeter mutabilem fortunam magnam vim exerceat etiam aetas, sexus, vitae genus, stirps, natio, cautionum, quae ex his dissimilitudinibus oriantur, admonet Pisones vv. 114—118. Equidem propter hanc potissimum rationem *divusne* praetuli, quod per totum h. l. de tragoedia agit, a qua transit ad Satyros v. 220.; satis inconvenienter igitur hic immisceretur persona comica, cum ceterae omnes rite ad tragoediam referri possint. Et qui favent alteri lectioni *Davusne* quomodo non viderunt re vera differre inter se sermones deorum et heroum in tragoediis Graecis? Quippe illi (Apollo et Minerva in Eumenidibus, Minerva in Aiace, Diana in Hippolyto, ceteri) prae se ferunt nescio quid sublimioris spiritus, plus quam humani, vere caelestis, quippe qui summa tranquillitate ac beatitudine perfruantur, dum vel aestuant vel mortalium aegrimoniis malisque conflictantur heroes.

116—118. *matrona potens*] ut Atossa, Iocasta, Phaedra. — *nutrix*] ut in Trachiniis et Hippolyto. — *Mercatorne vagus*] ἔμπορος in Philocteta. — *cultor - - agelli*] tragicus ille αὐτουργὸς in Euripidis Electra. — *Colchus*] barbarus ferus et trux, Aeetes. — *Assyrius*] «Astutum» exponunt Schol. Est potius «quaevis persona Asiatica, mollis, luxu diffluens, pusilli animi, in rebus adversis meticulosa,» ut in Persis Xerxes, in Oreste Phryx. — *Thebis - Argis*] Barbaris opponuntur Graeci, inter quos ipsos rursus est discrimen; ut inter Thebanos, Eteoclem et Creontem, et Argivos, illorum hostes. Cfr. Septem adversus Thebas et Euripidis Supplices.

119. *Aut*] Vv. 119—135. haec primaria sententia est: «Aut μῦθον, prout semel ab antiquis est traditus, servatis etiam personarum moribus atque tota indole, in tragoedia sequere, neque vero addendo, demendo, mutando eum deforma; nam, qui in talibus res novas molitur, plerumque offendit spectatores, qui volunt Achillem esse verum illum Achillem, non perverse mixtum cum alia, ut puta, Nestoris vel Ulixi persona: aut si argumentum eligis

**Aut famam sequere aut sibi convenientia finge.**
**Scriptor honoratum si forte reponis Achillem,** 120
**Impiger, iracundus, inexorabilis, acer**
**Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.**
**Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,**
**Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.**

a nemine adhuc tractatum vel a temet ipso inventum fac, ut omnibus eius partibus inter se conveniat ac personarum χαραχτῆρες scite serventur; id quod, verum ut fatear, longe difficilius est quam sequi famam.» *(Tradition, Sage.)*

120—122. *Scriptor*] h. l. «poëta tragicus.» — *honoratum*] Homeri ἀγαυόν, κλυτὸν Ἀχιλῆα, *den gefeierten*; «tam illustrem, ut omnes tamquam summi herois exemplar ultro eum praedicent,» ut Cic. Or. 9, 32: *cum praesertim fuisset* (Thucydides) *honoratus et nobilis.* — *reponis*] «si post tot alios tragicos rursus Achillis personam in scenam reducis.» Cfr. v. 190. — *inexorabilis*] Iliad. ι, 635. Aiax ad Achillem: σοὶ δ' ἄλληκτόν τε κακὸν τε Θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι θεοὶ θέσαν. — *acer*] Iliad. υ, 467: Οὐ γάρ τι γλυκύθυμος ἀνὴρ ἦν, οὐδ' ἀγανόφρων, Ἀλλὰ μάλ' ἐμμεμαώς. — *Iura*] «Affirmet nulla se teneri lege, quae aliis imposita sit: immo omnia in armorum vi posita esse.» Iliad. α, 295. ita Agamemnonem alloquitur: Ἄλλοισιν δὴ ταῦτ' ἐπιτέλλεο, μὴ γὰρ ἔμοιγε Σήμαιν'· οὐ γὰρ ἔγωγ' ἔτι σοι πείσεσθαι ὀΐω. — *arroget armis*] dativus; «tribuat armis, semper violentus.»

123. 124. *Medea ferox*] ζαμενῆ vocat Pind. Pyth. 4, 17. — *invicta*] «inexorabilis.» Eurip. Med. 1279. Chorus: Τάλαιν', ὡς ἄρ' ἦσθα πέτρος ἢ σίδαρος, ἅτις τέκνων ὃν ἔτεκες Ἄροτον αὐτόχειρι μοίρᾳ κτενεῖς. — *flebilis Ino*] «propter amissionem filiorum. Ino enim uxor Athamantis et ex eo mater duorum filiorum, Learchi et Melicertae. Athamas de venatione rediens, in furorem versus, cum vidisset uxorem cum duobus liberis, putans se leaenam cum duobus catulis videre, irruit in eam et unum de pueris rapiens discerpsit. Illa autem cum altero fugiens se in mare praecipitavit.» Acron Nannii. — *Perfidus Ixion*] Schol. in Apollon. 3, 62: Ἰξίων γαμήσας Δίαν τὴν Ἠϊονέως θυγατέρα, πολλὰ ὑπέσχετο δώσειν ἕδνα. Ἐλθόντος δὲ ἐπὶ ταῦτα τοῦ Ἠϊονέως, βέρεθρον ποιήσας καὶ πυραχτώσας, σκεπάζει αὐτὸ λεπτοῖς ξύλοις καὶ κόνει λεπτῇ· ἐμπεσὼν δὲ ὁ Ἠϊονεὺς ἀπόλυται· λύσσα δὲ τῷ Ἰξίονι ἐνέπεσε διὰ τοῦτο κτλ. — *Io vaga*] et propterea anxia, ut comparet in Aeschyli Prometheo. — *tristis*]

**Si quid inexpertum scenae committis et audes** 125
**Personam formare novam, servetur ad imum,**
**Qualis ab incepto processerit et sibi constet.**
**Difficile est proprie communia dicere; tuque**
**Rectius Iliacum carmen deducis in actus,**

v. 129. *diducis* Fea.

Virg. Aen. 3, 311: *scelerum furiis agitatus Orestes.*

125—128. *Si quid*] Refertur ad v. 119. — *inexpertum*] «argumentum nondum ab alio poëta tractatum.» «Si μῦθον ipse fingere audes, ante omnia necesse est, ut nulla eius pars alii repugnet. Verum,» inquit, «*difficile est proprie communia dicere.*» Quae vv. videntur quasi conversa ex Graeco: χαλεπὸν τὰ κοινὰ ἴδια ποιεῖν. — Ut *communia* in iure civili vocantur ea, quae omnium sunt, ut aër, mare, litora, quaeque a nemine sunt occupata ac possessa et possunt fieri primi cuiusque occupantis, sic in poësi et eloquentia *communia* sunt omnia ea, quibus alius aeque uti potest atque ego, h. l. potissimum ἤδη generalia (*abstracta* quae appellant:), ut sunt hominis iracundi, crudelis, ferocis, callidi proditoris, viri generosi, sed infelicis cet. Talia autem in argumento prorsus ficto, id est, non ex mythologia repetito, *proprie dicere* (*concreta* reddere, *individualisiren*), id est, ita formare et exprimere, ut sibi constent ac veritatis poëticae speciem prae se ferant, sane difficillimum est.

129. 130. *Rectius*] «Longe melius feceris, si utére in tragoedia μύθοις et personis Homericis,» ut Aeschylus fabulas suas τεμάχη τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων appellare ipse solebat. — *deducis*] quasi filum; *ausspinnen*. Cfr. Epp. 2, 1, 225. «Rectius extendis μῦθον aliquem Homericum actione tragica, in qua et personae, quas inducis, et μῦθος ipse copiosius explicentur quam fieri potest in ἐπίσαοδίῳ epico.» Nam de his potissimum agit, ut caedes Agamemnonis Odyss. λ, 404. deducta est in Agamemnonem Aeschyleum, Rhesus ex Dolonea Iliad. κ, cet. — *Quam si proferres*] «Rectius facis, si deducis — quam faceres, si proferres.» — *ignota indictaque*] «a temet ipso inventa et a nemine ante te tractata.»

131. 132. *Publica materies*] Ita haec nectuntur cum prioribus: «Sed, dices, ubi eiusmodi argumenta Homerica, nimis iam trita, tractabimus, periculum est, ne despiciamur ac reprehendamur. Tu contra sic habeto» cet. Male hanc *publicam materiem* nonnulli confuderunt cum *communibus illis* v. 128., cum sit universa copia μύθων ab epicis et tragicis tractatorum vel etiamnunc apud

Quam si proferres ignota indictaque primus.
Publica materies privati iuris erit, si
Non circa vilem patulumque moraberis orbem,
Nec verbo verbum curabis reddere fidus
Interpres, nec desilies imitator in artum,
Unde pedem proferre pudor vetet aut operis lex.

*λογογράφους* latentium, quibus cuique poëtae denuo uti licet. Verum laudem merebitur tunc tantummodo, si eam privati ac sui iuris reddiderit, id est, si novus exit in *οἰκονομίᾳ* totius fabulae, in *ἤδεσι, πάθεσι, ῥήσεσιν, γνώμαις.* — *orbem*] Hoc quoque *Graeco fonte cecidit*, ut *orbem* sic simpliciter vocaret locos communes et ab omnibus fere pertritos. Cfr. Eupolin apud Stob. T. 35. 2: *Καὶ τοῦ μὲν ἐν κύκλῳ γε παύσομαι λόγον, φράσω δέ σοι τὸ πρᾶγμα διὰ τῶν χωρίων. Patulum* autem orbem vocat propterea, quod *omnibus*, etiam perquam mediocribus, poëtis introitus in eum *patet;* sine imagine, quod nihil novi atque exquisiti tales Graecorum imitationes prae se ferunt.

133 — 135. *curabis reddere*] «nec in eo elaborabis, ut quam fidelissime Graecum aliquod exemplar in Latinum convertas; nam pravum hoc studium officit etiam sermonis elegantiae et pusillum prodit ingenium.» Secundum hoc erat vitium, ad quod proni erant Romani, cum Graecos imitarentur; vide modo Medeae Ennianae reliquias. (Eurip. Med. 502: *Νῦν ποῖ τράπωμαι; πότερα πρὸς πατρὸς δόμους, Οὓς σοὶ προδοῦσα καὶ πάτραν ἀφικόμην; Ἢ πρὸς ταλαίνας Πελιάδας;* Ennius: *Quo nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi? Domum paternamne? anne ad Peliae filias?*) — *nec desilies*] Significare videtur fabellam Aesopiam de capra in puteum desiliente. V. *desilire* temeritatem tālis incepti notat. — *in artum*] «Si in rebus ac *περιπετείαις* (de verbis antea monuerat:) statim ab initio nimis te applicaveris tragoediae alicui Graecae, te coartabis ipse et quasi vincula tibi iniicies; ex quo fie, ut mox proprius pudor te impediat, quin liberius interdum exspatiere. Non audebis neque addere quidquam nec demere nec mutare, timens, ne quaevis immutatio spectatoribus inscita ac temeraria videatur eosque laedat.» — *aut operis lex*] «*οἰκονομία*, ordo ac descriptio eius tragoediae, quam imitandam sumpsisti; oeconomica dispositio omnibus nota et a qua deflecti vix poteris, cum, si hoc facere audeas, mutando in primis *καταστροφήν* atque exitum sapienter a Graeco poëta constitutum, statim omnes imperite te egisse clament.»

**Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim:**
**«Fortunam Priami cantabo et nobile bellum.»**
**Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?**
**Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.**
**Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:** 140
**«Dic mihi, Musa, virum, captae post tempora Troiae**

136. *Nec sic*] Hoc loco (vv. 136 — 152.) a genere tragico digredi videtur tantummodo, re vera non digreditur, sed exempla et virtutum et vitiorum poëticorum, quae afferre volebat, longe facilius repeti poterant ex poëtis epicis quam ex tragoediis Graecis harumque exordiis. — *cyclicus*] Poëtarum cyclicorum nomine Grammatici Alexandrini et Horatii aequales eos potissimum complectebantur, quos nominat Proclus in Chrestomathiae Excerptis apud C. G. Müllerum de Cyclo p. 39. Erant *τὰ Κύπρια* Stasini vel Hegesini, Arctini *Αἰθιοπίς* (Olymp. 1—9.) *Ἰλιὰς μικρά*, cuius scriptor ferebatur Lesches (Olymp. 30.) usque ad *τὸν δούρειον ἵππον* in Troiam introductum; Arctini *Ἰλίου πέρσις*; *Νόστοι* heroum ab Agia (post Olymp. 20.) compositi, poëma *παράλληλον* Odysseae. *Τηλεγονία* Eugammonis (Olymp. 53.) de quibus omnibus recte Scholiasta Clementis Alex. Ed. Lips. T. 4. p. 104: *Κυκλικοὶ καλοῦνται ποιηταὶ οἱ τὰ κύκλῳ τῆς Ἰλιάδος* (adde Odysseam) *ἢ τὰ πρῶτα ἢ τὰ μεταγενέστερα ἐξ αὐτῶν τῶν Ὁμηρικῶν συγγράψαντες.*

137 — 139. *Fortunam*] Huius versiculi exemplar Graecum nondum repertum est; unde triplex oritur suspicio: 1) vel fuit exordium cycli Pseudopisandrei (Macrob. Sat. 5, 2. Welcker p. 97.): 2) vel alius brevioris poëmatis cyclici, omnes Priami et Troiae vicissitudines complexi, sed nobis ignoti, cuiusmodi aliquod Tzetzae *Ἰλιακῶν* simile Horatii temporibus exstitisse nec pro certo affirmari neque negari potest; 3) vel *olim* ita explicandum est, ut solet usurpari in exemplis ac fabellis: «Ut fere consueverunt incipere scriptores cyclici.» Quarta aliorum olim opinio fuit ab Horatio liberius expressum esse Iliadis parvae initium: *Ἴλιον αἰείδω καὶ Δαρδανίην ἐὔπωλον, Ἧς πέρι πολλὰ πάθον Δαναοὶ θεράποντες Ἄρηος.* — *feret*] «afferet lectori.» Cum permagna et quod ad ambitum et ad varietatem attinet magno ore promittit, nihil aliud dat quam informe poëma cyclicum. — *promissor*] ut nos *Verheisser*, «qui magna pollicetur, nihil praestat.» — *hiatu*] «ore ridiculum in modum late aperto.» — *Parturiunt*] proverbium Graecum: *Ὠδῖνες ὄρος· εἶτα μῦν ἀπέτεκεν·* ductum ex nota fabella Aesopia.

«Qui mores hominum multorum vidit et urbes.»
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphaten Scyllamque et cum Cyclope Charybdin; 145
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo;

141 — 145. *Dic mihi*] In duos vv. contraxit Odysseae exordium: *Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα, πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ Πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε, Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.* Cfr. Epp. 1, 2, 19. — *fulgore*] *Fulgor*, lumen subitum et oculos praestringens, mox tamen in fumum ingratum desinens; contra *lux* oculis grata; sine imagine: «initium splendidum ac prope arrogans, quod excipit narratio taedii plena; contra initium simplex et prope humile, quod egregiae narrationes sequuntur.» — *speciosa - miracula*] «*Θαύματα, φαντασίας*, in quibus, etsi sunt miraculosae, ut quae narrat de Antiphate, Laestrygonum rege, Od. *κ*, 100., de Scylla et Charybdi Od. *μ*, 85., de Cyclope Od. *ι*, 187., inest tamen veri similitudo poëtica. Tales autem narrationes apud Cyclicos haud reperias.»

146. *Nec reditum Diomedis*] «Antimachus fuit cyclicus poëta; hic adgressus est materiam, quam sic extendit, ut viginti quattuor volumina impleverit, antequam septem duces usque ad Thebas perduceret.» Porph. Notatur hic Antimachi, Platonis aequalis (ante Chr. 405.), Thebais, longum quidem ac diffusum poëma, sed tamen magnis virtutibus non carens. Cfr. Quinctil. 1, 10, 53. «Antimachus nimis longe repetiit finem totius actionis, id est, Diomedis in Aetoliam post Epigonorum victoriam reditum, ab interitu Meleagri per fatalem illum titionem ab Althaea matre crematum.» Iam modo nobis ignoto cum Meleagri nece coniunxit Tydei exilium e Calydone, matrimonium cum Deïpyle Adrasti filia, expeditionem adversus Thebas, mortem (Stat. 8, 717.), in qua ipsa Menalippi occisoris caput corrosit; deinde quomodo Diomedes patris occisionem in altera Thebarum expugnatione per Epigonos facta ultus, atque ab Alcmaeone in Aetoliam restitutus sit, ut Thersander, Polynicis filius, item feliciter Thebas rediit; hinc demum Diomedes cum ceteris Achivis Agamemnone duce adversus Troiam profectus est; sed eius reditus a Troia extra Thebaidis ambitum situs erat.

147. *Nec gemino*] «Neque vero orditur bellum Troianum ab Helenae prodigioso partu.» V. *gemino* videtur explicandum cum Schol. Rhenaug. inedito: «Iuppiter cum Leda in specie cygni

**Semper ad eventum festinat et in medias res**
**Non secus ac notas auditorem rapit et, quae**
**Desperat tractata nitescere posse, relinquit,**
**Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,**
**Primo ne medium, medio ne discrepet imum.**
**Tu, quid ego et populus mecum desideret, audi:**
**Si plausoris eges aulaea manentis et usque**
**Sessuri, donec cantor Vos plaudite dicat;**
**Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,**
**Mobilibusque decor naturis dandus et annis.**

v. 157. *maturis* Cod. b. Bentl. Fea.

concubuit. Inde illa duo ova posuit; ex altero Pollux et Castor, ex altero Helena exivit.» Helenae partum, ut probabile est, haud procul ab exordio memorabant carmina Cypria, quae Stasino vel Hegesino tribuuntur, apud Athen. 8. p. 334. c: *Τοῖς δὲ μετὰ τριτάτην Ἑλένην τέκε, θαῦμα βροτοῖσι· Τήν ποτε καλλίκομος Νέμεσις φιλότητι μιγεῖσα Ζηνί, θεῶν βασιλῆι, τέκε κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης.*

148 — 151. *festinat*] «ita procedit, ut nunquam rhapsodiarum exordiis epilogisque et degressionibus supervacaneis se ipse implicet atque impediat.» — *in medias res*] «ita, ut lector earum principium haud desideret.» Cic. ad Att. 1, 16: Respondebo tibi *ὕστερον πρότερον*, *Ὁμηρικῶς*. Quinctil. 7, 10, 11: *ubi ab initiis incipiendum, ubi more Homerico e mediis vel ultimis. — Desperat tractata*] «Omittit omnia, quae ex suo sensu vere poëtico tractari ideo non debent, quia nulla ars *its nitorem*, id est, ornatum ac venustatem, praebere potest, itaque fines poësis nunquam migrat.» — *mentitur*] Aristot. Poët. 24: *Δεῖ μὲν ἐν ταῖς τραγῳδίαις ποιεῖν τὸ ἄλογον, μᾶλλον δ' ἐνδέχεται ἐν τῇ ἐποποιίᾳ τὸ ἄλογον. — Δεδίδαχε δὲ μάλιστα Ὅμηρος καὶ τοὺς ἄλλους ψευδῆ λέγειν ὡς δεῖ.* 153—155. *Tu*] Vv. 153—178. docet, quomodo in tragoedia et in comoedia exprimi debeant diversa diversarum aetatum mores et affectus, ut veritas poëtica sibi constet ac servetur. Usus autem esse videtur Aristotelis Rhetor. 2, 12. — *aulaea manentis*] «usque ad fabulae finem attenti;» quibus verbis simul significat se deinceps de genere dramatico praecepta daturum esse. Cfr. Epp. 2, 1, 189. Virg. Ge. 3, 25. Ovid. Met. 3, 111. «Pro forma et constructione theatrorum apud veteres aulaeum picturis ornatum vel intextum, ut scena aperiretur, non tollebatur in altum ut nunc; sed sub pulpita demittebatur sensim involo-

Reddere qui voces iam scit puer et pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere et iram
Colligit ac ponit temere et mutatur in horas.
Imberbis iuvenis tandem custode remoto
Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus aeris,
Sublimis cupidusque et amata relinquere pernix.
Conversis studiis aetas animusque virilis
Quaerit opes et amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet quod mox mutare laboret.

lutum cylindro. Finito actu vel integro spectaculo in altum tollebatur.» Fea. — *cantor*] Hermannus Opusce. I. p. 302: «Horatius aperte cantorem et histrionem eundem esse significat.»

157—160. *Mobilibus*] «Naturae humanae mutabiles sunt pro singulorum hominum aetate progrediente; hae igitur mutationes sensim factae et notandae et decore imitandae sunt poëtae.» — *Reddere - voces*] «clare loqui, quasi reddens, id est, suo loco partim repetens ac proferens voces, quas a parentibus et nutrice *accepit*, *didicit*, partim interrogatis apposite respondens.» — *Colligit ac ponit*] «uti temere irascitur, ita facile rursus mitigatur.» *Iram colligere* ut nos *Zorn fassen*. — *mutatur*] significatu formae mediae, «in singulas horas alius fit.»

161 — 165. *custode*] «paedagogo remoto post sumptam togam virilem.» Cfr. Sat. 1, 6, 81. — *Gaudet equis*] Ter. Andr. 1, 1, 28: *Quod plerique omnes faciunt adolescentuli, Ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos Alere aut canes ad venandum aut ad philosophos* cet. — *campi*] Martii, ubi corpora exercebant adolescentes Romani. — *Cereus*] «flexibilis cerae instar.» — *asper*] «repugnans ac pervicax.» — *Utilium*] Aristot. Rhet. 2, 12: *οἱ νέοι φιλοχρήματοι ἥκιστα· διὰ τὸ μήπω πρὸς τὸ συμφέρουν κρίνειν μηδέν.* — *Sublimis*] *μεγαλόψυχος*, elatus, *hochfahrend*. Aristot. l. l. *φιλότιμοι μέν εἰσι, μᾶλλον δὲ φιλόνικοι.* — *relinquere pernix*] Idem: *εὐμετάβολοι δὲ καὶ ἀψίκοροι πρὸς τὰς ἐπιθυμίας, καὶ σφόδρα μὲν ἐπιθυμοῦσι, ταχέως δὲ παύονται.*

166—168. *Conversis*] «prorsus mutatis.» — *inservit honori*] «cupide petit honores.» Cfr. de vv. *servire* et *inservire* Cic. ad Fam. 16, 17. — *Commisisse*] *ἀορίστως*, ita tamen, ut significet infectum quod commiserit fieri non posse. — *quod mox mutare laboret*] «quod, ubi cum paullo post poenituerit,

**Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod**
**Quaerit et inventis miser abstinet ac timet uti,**
**Vel quod res omnes timide gelideque ministrat,**
**Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,**
**Difficilis, querulus, laudator temporis acti**
**Se puero, castigator censorque minorum.**
**Multa ferunt anni venientes commoda secum;**
**Multa recedentes adimunt. Ne forte seniles,**
**Mandentur iuveni partes pueroque viriles,**
**Semper in adiunctis aevoque morabimur aptis.**
**Aut agitur res in scenis aut acta refertur.**

v. 172. *spe lentus - pavidusque* Bentl.

corrigere plerumque frustra conetur.»

172—178. *spe longus*] «Senex sperat se vel post decennium hoc vel illud perfecturum vel adepturum, et cum iners sit, nihil studiose alacriterque peragat, avidus tamen semper eorum est, quae futurum tempus afferat.» — *avidusque futuri*] Aristot. l. l. φιλοζώους vocat. Sophocl. Fr. 64. Dind.: *Τοῦ ζῆν γὰρ οὐδεὶς ὡς ὁ γηράσκων ἐρᾷ.* — *Difficilis*] Cic. Cat. mai. 18: *At sunt morosi et anxii et iracundi et difficiles senes; si quaerimus, etiam avari* cet. — *querulus*] et de singulis, quae sentit, incommodis, et de tota temporum condicione, cui minus iam se adaptare potest. — *anni venientes*] Cfr. ad Od. 2, 5, 14: *illi, quos tibi dempserit, Apponet annos.* «Anni autem *venire* dicuntur ad quadragesimum sextum usque annum, inde *abire* iam accedente senectute.» Comm. Ca. — *Ne forte*] «Ut ne pervertamus aetatum χαρακτῆρας, studiose ad naturam ipsam eos describemus.» — V. *aevo* ad utrumque v. *adiunctis* (τοῖς παρακειμένοις, propriis), et *aptis* pertinet.

179 — 181. *aut acta refertur*] In tragoediis Graecis, quae extra scenam geruntur, ut Antigonae Haemonisque mors apud Sophoclem, pugnae exitus in Euripidis Supplicibus, ab *ἀγγέλῳ*, quae pone scenam in regia, ut mortes Eurydicae, Iocastae, Deïanirae, ab *ἐξαγγέλῳ* facunde narrantur. — *Segnius*] Est veluti proverbium iam apud Herodotum 1, 8: *ὦτα γὰρ.τυγχάνει ἀνθρώποισιν ἐόντα ἀπιστότερα ὀφθαλμῶν.* — *fidelibus*] «quibus quisque necessario fidem habet.»

182 — 188. *intus Digna geri*] partim foeda et atrocia, quae nimio horrore ac terrore spectatorem afficerent, partim incredibilia, ut transformationes illae Pro-

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus et quae
Ipse sibi tradit spectator: non tamen intus
Digna geri promes in scenam multaque tolles
Ex oculis, quae mox narret facundia praesens.
Ne pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
Aut in avem Procne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.
Neve minor neu sit quinto productior actu
Fabula, quae posci volt et spectata reponi:
Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus

cnes et Cadmi a mythologis traditae, quae, si coram populo fierent, speciem praeberent prope ridiculam. — *facundia praesens*] «nuntius, qui horribilis aut prodigiosi alicuius facti testis fuit oculatus ac vel propterea facunde illud narrabit,» *welche dabei war* Voss. — *pueros*] «quorum nomina Medus et Mermerus.» Acr. — *Procne*] in Sophoclis Tereo, de quo tyranno in upupam mutato cfr. Aristoph. Aves 100. — *incredulus*] Refertur non tam ad Medeam et Atreum filios Thyestae fratris coquentem, quam ad Procnen in hirundinem (cfr. Od. 4, 12, 6.) et Cadmum in draconem mutatum. — *odi*] «respuo;» «intolerabile mihi videtur.»

189. *Neve minor*.] «Certum modum et ἁρμονίαν requirit fabula; nam si nimium brevis est, spectatoris mentem non explet nec satis δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνει τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν. (Aristot. Poët. 6.) Sin iustum modum excedit, ipsa haec productio minuit sensimque consumit spectantium affectus.» — *quinto-actu*] In quinos actus post grammaticos Alexandrinos Romani dividebant fabulas; contra veteres Graeci in πρόλογον, ἐπεισόδια (τρία) et ἔξοδον, ita ut reapse divisio ad idem rediret.

191. 192. *Nec deus*] Qua solutione nimis facili, sed arti contraria, cum solutio ex ipsius fabula oeconomica dispositione prodire ac per se dilucida esse debeat, saepe abusi sunt Euripides et illi, de quibus Aristoteles Poët. 18: πολλοὶ δὲ πλέξαντες εὖ λύουσι κακῶς. Idem 15: φανερὸν ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ ἀπὸ μηχανῆς. — *dignus vindice*] «cum aliter fieri nequit, ut apud Sophoclem sine Herculis

Inciderit; nec quarta loqui persona laboret.
Actoris partes chorus officiumque virile
Defendat, neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat et haereat apte. 195
Ille bonis faveatque et consilietur amice,
Et regat iratos et amet pacare tumentes;
Ille dapes laudet mensae brevis, ille salubrem
Iustitiam legesque et apertis otia portis,

v. 197. Volge: *peccare timentes.*

interventu Philoctetes non Troiam, sed in patriam proficisceretur, in Euripidis Hippolyto, nisi Diana intercederet, ille cum patre in gratiam non rediret. *Vindex* igitur (*Entscheider*) «qui summo in periculo versantem subito liberat et eripit.» Gesn. — *nec quarta*] «Tragicus id cavere debet, ne attentum spectatoris animum eo dividat, quod in eadem scena post πρωταγωνιστήν, δευτεραγωνιστήν, τριταγωνιστήν inducat etiam quartam personam, cuius partes paene supervacaneae sint, adeo ut *loqui laboret*, difficulter ac moleste sermoni sese intrudat.» Quod studiose vitarunt Aeschylus et Sophocles. Sic in Choëphoris Pyladi tribuuntur tres dumtaxat versus 900—902., in Sophoclis Electra muta est persona.

193—195. *Actoris*] Absolutis his, quae de singulis personis et de iis, quae ἀπὸ μηχανῆς vocabant, erant tradenda, iam transit ad chori officium et ἁρμονίαν cum integra tragoedia vv. 193—201. «Chorus,» inquit, «particeps sit actionis eamque *pro virili parte* adiuvet, hoc est, pro eo, quod officii eius est.» — *Defendat*] ut Sat. 1, 10, 12. «strenue officio fungatur.» — *neu quid*] «Ne canantur inter actus μέλη χορικά, in quibus de aliis omnibus agatur quam de actione ipsa.» — *conducat*] «iuvet et prosit primum ad implicationem, postremo ad solutionem fabulae, ut cum chorus praesagit sensim appropinquantem vindictam divinam.»

196—200. *bonis faveat*] «Semper cum personis probis atque honestis faciat;» etsi interdum veluti coactus atque cedens tyrannorum impotentiae, eorum minis atrocibusque iussis se subiicit, ut fit in Antigona. — *consilietur*] Cfr. Od. 3, 3, 17. — *regat iratos*] ut facit in Oedipo rege, in Antigona cet. — *amet pacare tumentes*] Chorus *regit iratum*, qui adversario absente saevum aliquod facinus in eum molitur, *pacat tumentes*, minas alterum

Ille tegat commissa deosque precetur et oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.
Tibia non, ut nunc, orichalco vincta tubaeque
Aemula, sed tenuis simplexque foramine pauco
Adspirare et adesse choris erat utilis atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu;
Quo sane populus numerabilis utpote parvus
Et frugi castusque verecundusque coïbat.

v. 202. *iuncta* Lamb. Bentl.

in alterum iacientes. Exempla manifesta reperies Oed. Tyr. 404. Aiax 1091—1118. et ubi non? — *mensae brevis*] «sobriae.» Gloss. Mon. Omnino chorus ubique inculcat illam Graecorum primariam *γνώμην* · *Τὸ μέτρον ἄριστον.* — *Iustitiam*] Innumerabilibus enim locis celebratur in tragoediis Graecis *Δίκη ξύνεδρος Ζηνὸς ἀρχαίοις νόμοις.* (Oed. Col. 1382.) — *legesque*] praesertim ubi a tyrannis violantur. Cfr. Oed. Tyr. 865. — *apertis otia portis*] Od. 3, 5, 23: *Portasque non clausas* cet. Sic Euripides Cresph. Fr. 15: *Εἰρήνα βαθύπλουτε καὶ Καλλίστα μακάρων θεῶν, Ζῆλός μοι σέθεν, ὡς χρονίζεις.* — *tegat commissa*] Illustria exempla sunt Soph. Electr. 469. D.: *σιγὴ παρ' ὑμῶν πρὸς θεῶν ἔστω, φίλαι.* Eurip. Hippol. 713: *σιγῇ καλύψαθ' ἁνδάδ' εἰσηκούσατε.*

202—206. *Tibia*] Vv. 202—219. agit de necessaria tragoediae antiquae parte, *τῇ μελοποιΐᾳ*, aptissime hunc locum capiti quo chori officium tractaverat subiungens. — *non, ut nunc*] Plutarch. de music. 30. *ἀλλὰ γὰρ καὶ αὐλητικὴ ἀπὸ ἁπλουστέρας εἰς ποικιλωτέραν μεταβέβηκε μουσικήν κτλ.* — *orichalco*] Cfr. Strab. 13. p. 909. Schneideri Ecl. phys. p. 116. *(Zinkerz mit Eisen vermischt,* alii *Messing).* — *vincta*] Est tibia duplex, cuius partes *vinciuntur* orichalco. — *tenuis*] «quod ad sonum spectat.» — *foramine*] «Varro ait in tertio Disciplinarum et ad Marcellum de lingua Latina, quattuor foraminum fuisse tibias apud antiquos, et se ipsum ait in templo Marsyae vidisse tibias quattuor foraminum. Quare quaterna tantum foramina antiquae tibiae habuerunt; alii dicunt, non plus quam tria.» Acr. — *adspirare*] *den Ton angeben, adesse, begleiten.* — *numerabilis*] *εὐαρίθμητος* Theocr. 16, 86: *ἀριθματοὺς ἀπὸ πολλῶν.* Stat. Theb. 3, 163: *numerandaque funera passi.*

**Postquam coepit agros extendere victor et urbes**
**Latior amplecti murus vinoque diurno**
**Placari Genius festis impune diebus,** 210
**Accessit numerisque modisque licentia maior.**
**Indoctus quid enim saperet liberque laborum**
**Rusticus urbano confusus, turpis honesto?**
**Sic priscae motumque et luxuriem addidit arti**
**Tibicen traxitque vagus per pulpita vestem;** 215
**Sic etiam fidibus voces crevere severis**
**Et tulit eloquium insolitum facundia praeceps,**

v. 208. *urbem* Iidem.

208 — 213. *victor*] populus. Apud Graecos refertur ad tempora post *τὰ Περσικά*: cfr. ad Epp. 2, 1, 98.; apud Romanos post profligata bella Punica. — *urbes*] Recte se habet pluralis Codicum antiquiss., cum de Graecis et Romanis communiter loquatur. — *vinoque diurno*] «conviviis tempestivis; indulgebant enim Genio.» — *impune*] «nec more iam nec lege id vetante; «sine cuiusquam metu aut reverentia.» Comm. Cr. — *numerisque modisque*] «rhythmis ac modulationibus.» Gloss. Cod. Tur. — *liberque laborum*] «cum diebus festis ab opere rustico requiescens unice voluptatem et oculorum auriumque oblectationem quaereret indocta (*ἀπαίδευτος*) illa et permixta ex omnibus hominum generibus multitudo.» — *turpis*] «infimae sortis homines.»

214—216. *motum*] *κίνησιν, Lebhaftigkeit.* — *vagus*] «modo dextrorsum, modo sinistrorsum, chorum praecedens.» — *vestem*] «syrma tragicum.» Cfr. Epp. 2, 1, 207. — *fidibus*] «*Sic*, eadem necessitate, *fidibus* prius *severis* et habentibus gravem sonum *crevere voces* propter gravitatem, quia semitonium est inventum, ut acutae voces gravibus consonarent.» Schol. Cod. Mon.

217—219. *tulit eloquium*] «Quo aemularetur musicam concitatiorem, poësis chorica ipsa quoque concitatior facta est et *tulit* (*gewann* Voss.), id est, creavit sibi atque assumpsit elocutionem a volgari consuetudine longe remotam, unde difficilior semper intellectu et similis facta est oraculorum, partim nobiles *γνώμας* proferens, partim quasi ipse chorus futuri gnarus esset occulte significans, quem fabula esset exitum habitura, cui personarum mores, cui victoria fato destinata esset.» — *facundia praeceps*] Sic etiam Graeci. Phot. Cod. 81: *τροχαὶ ἀπότομοι*, tropi audaciores. Quinctil. 12, 10, 73: *genus dicendi, quod prae-*

Utiliumque sagax rerum et divina futuri
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.
Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agrestes Satyros nudavit et asper
Incolumi gravitate iocum tentavit eo, quod
Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator functusque sacris et potus et exlex.
Verum ita risores, ita commendare dicaces
Conveniet Satyros, ita vertere seria ludo,
Ne quicunque deus, quicunque adhibebitur heros,
Regali conspectus in auro nuper et ostro,

*cipitia pro sublimibus habet. — Sortilegis*] Priscum morem Italicum (recordare Fortunarum Antiatium et Praenestinae) ad oraculum Delphicum transfert. *Χρησμοὶ* autem *καὶ ποικίλως πως καὶ σοφῶς ᾄνιγμένοι.* Aristoph. Eq. 196.

220. *Carmine*] Vv. 220—250. a tragoedia transit ad drama satyricum eiusque leges. — Sequitur autem opinionem communem, ex qua, cum Thespis invenisset tragoediam, non ita multo post trilogiis tragicis addita sunt dramata satyrica. «Iam cum in his quoque dei atque heroes inducantur, praecipue demonstrandum est, quibus in rebus differat a tragoedia.» Ita enim connectendus hic locus videtur cum tragoediae recte componendae praeceptis, quae praecedunt. — *qui*] Non dicit, Thespin invenisse drama satyricum, sed hoc: «non ita multum post inventam tragoediam illud quoque genus inventum esse,» (et quidem a Pratina, Aeschyli aequali.) — *hircum*] Vide ad v. 276.

221 — 226. *nudavit*] «primus nudos induxit in scenam,» id est, «hoc fabularum genus invenit.» — *asper*] *rauh und derb*, ut elucebit ex Aeschyli versibus satyricis Fragm. Dind. 166. 255. et Sophoclis Fr. 147. 334. — *exlex*] «feriatus ac propter hanc summam hilaritatem iam non facile in ordinem cogendus, ubi interpellare vellet actores.» — *risores*] «ridicula dicta proferentes.» Satyrici autem dramatis scriptores eligebant actiones, quarum participes fuisse aut spectatores saltem fingi possent Satyri, veluti Euripides Cyclopem, Autolycum, Sisyphum, Scironem, Syleum. — *dicaces*] Quinctil. 6, 3, 21: *Dicacitas proprie significat sermonem cum risu aliquos incessentem.*

227. 228. *quicunque*] «Sive deum in scenam produces sive heroëm, sive utrosque simul.» *Nuper* pro notione huius v. inter-

**Migret in obscuras humili sermone tabernas,**
**Aut, dum vitat humum, nubes et inania captet.**
**Effutire leves indigna Tragoedia versus,**
**Ut festis matrona moveri iussa diebus,**
**Intererit Satyris paullum pudibunda protervis.**
**Non ego inornata et dominantia nomina solum**
**Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo;**
**Nec sic enitar tragico differre colori,**
**Ut nihil intersit, Davusne loquatur et audax**

pretandum est: «iidem dii atque heroës, qui in tragoediis saepe conspecti, notissimi nobis sunt:» ut satis festive Antiphanes in Grotii Exc. p. 623: *Ἂν πάλιν Εἴπῃ τις Ἀλκμαίωνα, καὶ τὰ παιδία Πάντ' εὐθὺς εἴρηχ' ὅτι μανεὶς ἀπέκτονε Τὴν μητέρα.*

229. 230. *Migret*] «Ne persona tragica in fabula satyrica in scena comparens utatur sermone tam humili ac plebeio, quam solent homines, qui in tabernas popinasque confluunt, faex populi.» — *humili sermone*] in quo quidem genere permultum sibi permiserunt Graeci, plerumque tamen in Satyrorum partibus. Nota sunt Aeschyli *νηδύος χειλώματα*, Sophoclis *Μαστιγίαι κέντρωνες*, *ἀλλοτριοφάγοι*. — *nubes et inania*] Persius 5, 7: *Grande locuturi nebulas Helicone legunto. Οὐ τραγικὰ ἔτι, ἀλλὰ παρατράγῳδα — καῦνα καὶ μετέωρα* talia vocat Dionys. Long. 3. «Rursus in aliud vitium facile incidet satyricae fabulae scriptor, ut dum vitat genus humile turgidus fiat, dithyrambicis verbis atque tropis utens.»

231 — 233. *Effutire*] «temere blaterare» *herschwatzen*. — *leves*] quales personam comicam magis decent quam tragicam, ut est ille Aeschyleus in Sisypho *ἁρπέτης* Fr. 212. D.: *ἀρυφαῖος σμίνθος*. — *Tragoedia*] *προσωποποιΐα*, ut in Tabula Iliaca comparet *Τραγῳδία* dea; sine imagine, «partes deorum atque heroum in fabulis satyricis.» — *matrona*] Cfr. Od. 3, 14, 5. «Ut matrona Romana pontificum iussu in supplicatione cum aliis movetur in numerum (cfr. Epp. 2, 2, 125.), chorumque pudice ducit nec ut proterva mima gesticulatur, ita Tragoedia nativum suum decorem servans adiuvabit drama satyricum ad opus suum peragendum.» «Sunt enim quaedam sacra, in quibus saltant matronae, sicut in sacris Matris deum.» Acr. — *paullum pudibunda*] «*ein wenig verschämt.*» — *Satyris protervis*] propter iocos agrestes et obscoenos. Hesiodi Fr. 94. Goettl.: *Καὶ γένος οὐτιδανῶν Σατύρων καὶ ἀμηχανοέργων.*

**Pythias emuncto lucrata Simone talentum,**
**An custos famulusque dei Silenus alumni.**
**Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis**
**Speret idem, sudet multum frustraque laboret**
**Ausus idem: tantum series iuncturaque pollet,**
**Tantum de medio sumptis accedit honoris.**
**Silvis deducti caveant me iudice Fauni,**
**Ne velut innati triviis ac paene forenses**

v. 244. *educti* Markland, Codd. Feae.

234 — 239. *inornata*] ut *pura* Sat. 1, 4, 54. sine tropis. — *dominantia*] nomina sunt, quae κυρίοις, id est, propriis vocabulis nuncupantur, (nullis metaphoris immixtis) ut *liber*, *capsa*, *pagina*. PORPH. — *nomina - Verbaque*] ut Graeci ante Aristotelem vv. ὀνόματα καὶ ῥήματα omnes orationis partes complectebantur. — — *Pythias*] Persona comica in comoedia Caecilii, quae inducitur per astutias accipere argentum a Simone, domino suo, in dotem filiae.» SCHOL. — *emuncto*] Caecilius p. 17: *Hodie me ante omnes comicos stultos senes Vorsaris atque emunxeris lautissume.* Nos *abzapfen*. — *custos*] Bacchi paedagogus et postea perpetuus comes, mire mixtus ex ebrietate et sapientia iocosa, σίρων divinus, quem propterea non decet loqui eodem modo atque servulum comicum.

240—243. *Ex noto*] «Etiam in fabula satyrica, ut in tragoedia (v. 129.) tractabo potius argumentum aliquod omnibus notum, vel ipsum Cyclopem, ita tamen ut drama scita mutatione, novis ἤθεσι καὶ γνώμαις *fictum* sit, id est, meum, non mera interpretatio, (ut Q. Ciceronis illae,) non servilis imitatio. — *de medio sumptis*] Cfr. v. 131. Significat mediocres poëtas in eo nescio quid gloriolae quaerere, quod omissis μύθοις antiquis, sectarentur vel ab Alexandrinis vel a semet ipsis fictos.

244—249. *Silvis deducti*] a poëta in scenam. Qui praeferunt *educti*, explicant «educati,» ut Virg. Aen. 6, 765: *Educet silvis regem. Fauni* proprie respondent Graecorum Paniscis, qui cum Sileno ac Satyris perpetui Bacchi comites sunt; hic autem manifesto iidem sunt atque Satyri. — *Ne, velut innati triviis*] videtur chiasmus, duo ut vitia notet, primum si Fauni, *paene forenses*, in foro continuo versantes (*circumforanei* apud Ciceronem) *iuvenentur*, id est acuta ac festiva dicta sectentur, vel praesertim in amoribus agendis verbis utantur nimis teneris ac delicatis; alterum, si, ut plebecula in triviis innata, obscoene atque ignominiose in alios loquantur,

**Aut nimium teneris iuvenentur versibus unquam,**
**Aut immunda crepent ignominiosaque dicta:**
**Offenduntur enim, quibus est equus et pater et res,**
**Nec, si quid fricti ciceris probat et nucis emptor,**
**Aequis accipiunt animis donantve corona.** 250
**Syllaba longa brevi subiecta vocatur iambus,**
**Pes citus; unde etiam trimetris accrescere iussit**
**Nomen iambeis, cum senos redderet ictus**
**Primus ad extremum similis sibi: non ita pridem,**
**Tardior ut paullo graviorque veniret ad aures,** 255

qua ratione aeque absunt ab agresti illa quidem, sed nativa simplicitate, quae eos unice decet. — *iuvenentur*] ἅπαξ λεγόμενον formatum ad Graecorum νεανιεύεσθαι et μειραχιεύεσθαι, «nunc lascivo, nunc nimis tenero modo et cum nescio qua leporis perpetui affectatione inter se colloqui.» — *immunda*] «obscoena, magis apta mimis quam satyris.» Acr. — *equus*] «equites Romani.» — *pater*] sine patre nati dicebantur servi ac liberti; sunt igitur «ingenui.» — *fricti ciceris*] δῆμος κναμοτρώξ Aristoph. Eq. 41., infimus popellus, qui per plateas talia emit fissque unice vescitur. *Nuces* complectuntur etiam avellanas et castaneas.

251—254. *Syllaba*] Loco maxime apto praecepta de versificatione tradit vv. 251—275. et quidem de iambo tantummodo; nam ceteros numeros tractare in hac epistola putidum fuisset. Verum cum de legibus iambi a poëtis Latinis negligentius elaborati acturus esset, vafre incepit a primis elementis, tamquam verus ac simplex grammaticus. — *Pes citus*] Od. 1, 16, 24: *celeres iambos.* — *unde*] «Quae celeritas effecit, ut, cum bini iambi in dipodiam coniungerentur, solitus dramatis versus *trimetri iambici* apud Graecos nomen acciperet, etsi sex ictus (ἄρσεις) habet, unde Latinis est *senarius.* — *Primus ad extremum*] «A primo usque ad sextum pedem iambis constans,» ut Eurip. Herc. fur. 533: *Τί φῄς; τὶν' ἐς ταραγμὸν ἥκομεν, πάτερ;*

254. *non ita pridem*] quomodo explicabimus vv. *non ita pridem*? Nam et in antiquissimis trimetris Graecis (v. Archiloch. Fr. Lieb. p. 57. *Πολλὸν δὲ πίνων καὶ χαλίκρητον μέθυ* cet.) iam reperiuntur spondei; unde fuerunt, qui hoc de primis tragicis Latinis dictum opinarentur, non inspectis Livii Andronici et Naevii reliquis neque attendentes ad v. 259., ubi propter spondei nimium usum reprehenditur ipse pater Ennius. Verum enimvero iambi historiam nobis tradit

Spondeos stabiles in iura paterna recepit
Commodus et patiens, non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter. Hic et in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus et Enni
In scenam missos cum magno pondere versus
Aut operae celeris nimium curaque carentis
Aut ignoratae premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poëmata iudex,
Et data Romanis venia est indigna poëtis.
Idcircone vager scribamque licenter? an omnes

Horatius non ut grammaticus, sed ut poëta: «Quod ad θεωρίαν et legem huius versus attinet,» inquit, «esse debebat atque initio fortasse fuit senarius purus, ut *Πάτερ Δυχάμβα, ποῖον ἐφράσω τόδε*; sed paullatim, quo gravior evaderet, invaluit mos, ut sedibus imparibus reciperetur etiam spondeus.» Vv. autem *non ita pridem*, ut saepe *nuper*, accipienda sunt de tempore infinito, quod ei, qui loquitur, cum omni aevo comparatum propter qualemcunque rationem brevius quam fortasse alii videtur.

256—258. *stabiles*] Opponuntur spondei iambis motoriis atque celeribus. — *in iura paterna*] sunt iura singulorum filiorum in universum ius, quod pater vita defunctus tempore mortis habebat. «Spondeos consortes sibi fecit, quibuscum velut hereditatem paternam cerneret.» — *Commodus*] «facilis ac benignus, non tamen ita ut item de sedibus paribus cederet:» quam legem nunquam migrarunt Graeci. — *socialiter*] Pergit in *χροαωχοποιΐᾳ* iambi: «ut decet bonum socium.» Est *ἄπαξ λεγόμενον*.

257 — 262. *Hic*] «*Hic* iambus raro reperitur apud Ennium et Accium in sede secunda et quarta;» cum tragici Latini persaepe id unum servarent, ut in sexta maneret iambus: (Ennius Med. p. 52, B.: *Argo, qua vecti Argivi delecti viri.*) — *Nobilibus*] «quos nostri aequales tantopere admirari solent:» non sine *εἰρωνείᾳ*. — *missos*] veluti e balista. Nota huius versus spondeos, quibus egregie imitatur nimis graves Ennii senarios. — *crimine*] «Iambus ex sedibus suis expulsus velut accusator convincit Ennii versus» cet.

263. *Non quivis*] «Non quivis auditor tam accurate animadvertit rhythmi vitia, ut propter haec totam fabulam explodat; ideoque factum est, ut Latinis poëtis concederetur id, quod Atticis nunquam condonatum foret.»

265—269. *Idcircone vager*] «Hac venia ipse quoque abusus scribamne sine ullo certo consilio versus, spretis accuratioribus legibus me-

**Visuros peccata putem mea tutus et intra**
**Spem veniae cautus? Vitavi denique culpam,**
**Non laudem merui. Vos exemplaria Graeca**
**Nocturna versate manu, versate diurna.**
**At vestri proavi Plautinos et numeros et**
**Laudavere sales: nimium patienter utrumque,**
**Ne dicam stulte, mirati, si modo ego et vos**

270. *nostri* Cruq.

tricis? sperans videlicet non quemvis lectorem, immo paucissimos, id esse animadversuros? An fortasse, contrario errore actus, putem omnes quidem visuros esse mea peccata, sed nihilo minus a reprehensione tutum me arbitrer, dummodo caveam, ne versus nimis scabri vel etiam prorsus ἄμετροι mihi passim excidant? Verum equidem tantae negligentiae nunquam reus fiam; nam *denique (am Ende)* vitarem quidem reprehensionem, laudem vero, quam quaero, apud peritos iudices non invenirem. Hanc ipsam autem laudem unice appetiverunt summi Graecorum poëtae, omni negligentia severe sibi interdicentes; quocirca vos, Pisones, hos mecum sequimini.» — *tutus*] Cfr. v. 28. — *intra spem*] «eum ultimum finem haud excedens, usque ad quem sperare liceat me reprehensum non iri.» — *exemplaria*] «perfectos cuiusque generis scriptores Graecos.»

270 — 273. *At*] «At,» inquit, «maiores magni fecere Plautum.» «Utique,» respondet poëta, «sed propter hoc ipsum, quod exemplaria Graeca non satis norant neque eximiam horum perfectionem perspexerant, praeposterе iudicarunt de Plauti et versibus et facetiis.»

274. *digitis*] quibus non tam simpliciter numerantur versuum pedes, quam pollicis ictu notantur ἄρσεις, ut in symphoniis, *ubi tempora etiam animo metiuntur et pedum et digitorum ictu intervalla signant quibusdam notis.* Quinctil. 9, 4, 51.

275 — 277. *Ignotum*] Quia maxima epistolae pars versatur in poësis scenicae praeceptis, recte h. l. vv. 275 — 288. adumbrat historiam tragoediae et comoediae Graecae, quibus vel propter vv. 258—274. opponuntur Latinorum in his generibus fabulae, et quidem ex iusta meritorum utriusque nationis existimatione de iis iudicare videtur. — *Thespis*] In his omnibus videtur sequi grammatici vel historici alicuius Graeci opinionem, nisi ipse tragoediae et comoediae primordia confudit. — Thespis pro inventore tragoediae habebatur. Chron. Par. 58. p. 301. Boeckh.: Ἀφ' οὗ Θέ-

Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.
Ignotum tragicae genus invenisse Camenae
Dicitur et plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quae canerent agerentque peruncti faecibus ora.
Post hunc personae pallaeque repertor honestae
Aeschylus et modicis instravit pulpita tignis
Et docuit magnumque loqui nitique cothurno.

σπις ὁ ποιητὴς [ἐφάνη], πρῶτος ὃς ἐδίδαξε [δρ]ᾶ[μα ἐν ἄ]στ[ει καὶ ἐ]πέδη ὁ [τ]ράγος [ἆθλον] ἔτη ΗΗΠ[ΔΔ] - ἄρχοντος Ἀθ[ήνησι] .... ναίον τοῦ προτέρου. «Quod ad annum attinet, consistendum sane in Olymp. 61. eiusque tribus prioribus annis.» Boeckh. a. Chr. 536—534. sub Pisistrato. — *plaustris*] Error hic ortus videtur ex confusione cum iis, quae τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν vocabant. Suidas: τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν· ἐπὶ τῶν ἀπαρακαλύπτως σκωπτόντων· Ἀθήνησι γὰρ ἐν τῇ τῶν Χοῶν ἑορτῇ οἱ κωμάζοντες ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν τοὺς ἀπαντῶντας ἔσκωπτόν τε καὶ ἐλοιδόρουν· τὸ δ' αὐτὸ καὶ τοῖς Ληνείοις ὕστερον ἐποίουν. Certe antiquissimum scenae genus erat non plaustrum, sed ἐλεός, τράπεζα ἀρχαῖα, ἐφ' ἧν πρὸ Θέσπιδος εἷς τις ἀναβὰς τοῖς χορευταῖς ἀπεκρίνατο. Pollux 4, 123. *faecibus ora*] «ne cognoscerentur.» Schol. ac similiter Tzetzes Cr. p. 335, 29: τρυγὶ κατακρίσαντες αὐτῶν τὰς ὄψεις Ἀγνωστοφανῶς· — sed fortasse tantum ioci et lasciviae causa. Verum haec potius ad primas comoediae origines pertinent, nisi omnia ficta sunt ex v. τρυγῳδία (*Hefengesang.*)

278. 279. *personae*] Hoc inventum nonnulli tribuebant iam Thespidi, teste Suida: πρῶτον μὲν χρίσας τὸ πρόσωπον ἐτραγῴδησεν, εἶτα ἀνδράχνῃ ἐσκέπασεν ἐν τῷ ἐκδεικνυσθαι, καὶ μετὰ ταῦτα εἰσήνεγκε καὶ τὴν τῶν προσωπείων χρῆσιν ἐν μόνῃ ὀθόνῃ κατασκευάσας. Hanc personam perfecisse Aeschylus videtur, ut χαρακτῆρας deorum, heroum ceterorumque actorum accuratius exprimeret. — *pallae*] σύρματος. — *Aeschylus*] Philostratus V. Soph. 9: Εἰ γὰρ τὸν Αἰσχύλον ἐνθυμηθείημεν ὡς πολλὰ τῇ τραγῳδίᾳ ξυνεβάλετο, ἐσθῆτί τε αὐτὴν κατασκευάσας καὶ ὀκρίβαντι ὑψηλῷ καὶ ἡρώων εἴδεσιν, ἀγγέλοις τε καὶ ἐξαγγέλοις καὶ οἷς ἐπὶ σκηνῆς τε καὶ ὑπὸ σκηνῆς χρὴ πράττειν, τοῦτο ἂν εἴη καὶ ὁ Γοργίας τοῖς ὁμοτέχνοις. — *magnumque loqui*] Aristoph. Ran. 823. de Aeschylo: βρυχώμενος ἤσει Ῥήματα γομφοπαγῆ, πινακηδὸν ἀποσπῶν Γηγενεῖ φυσήματι.

Successit vetus his comoedia, non sine multa
Laude; sed in vitium libertas excidit et vim
Dignam lege regi; lex est accepta chorusque
Turpiter obtinuit sublato iure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere poëtae,
Nec minimum meruere decus, vestigia Graeca
Ausi deserere et celebrare domestica facta,
Vel qui praetextas vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret clarisve potentius armis
Quam lingua Latium, si non offenderet unum-

281—284. *Successit his*] Thespidi atque Aeschylo ante Chr. 523—456.) Cratinus (a. Chr. 519—422); Eupolis (natus a. 446.) huiusque aequalis Aristophanes. — *libertas excidit*] «παῤῥησία impetu quodam suo delapsa est in petulantiam.». Cic. de Rep. 4, 40: *Apud Graecos fuit etiam lege concessum, ut quod vellet comoedia de quo vellet* (praeterquam de archonte: Schol. Arist. Nub. 31.) *nominatim diceret. Quem illa non attigit, vel potius, quem non vexavit? cui pepercit?* cet. — *vim*] ea prope significatione, qua utuntur ICti, *gewaltsame Verletzung anderer*; quae non secus ac *vis hominibus armatis coactisve civi illata*, lege coërceri debebat. Ac re vera eiusmodi ψηφίσματα lata sunt ab Antimacho et Syracosio; quorum tamen tempus incertum est: fluctuant enim chronologi inter Olymp. 90, 4. et Ol. 94, 1. (ante Chr. 417 — 404.) Suidas in Ἀντίμαχος· ἐδόκει οὗτος ψήφισμα πεποιηκέναι, μὴ δεῖν κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος, (alibi *ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν*·) id est, «ne quis proprio suo nomine ut fabulae persona in scenam produceretur;» «contra licebat, sicuti antea, quemcunque vel nomine addito attingere passim atque lacessere.» — *Turpiter*] Schol. Arist. Ran. 404: *ἐπὶ γοῦν τοῦ Καλλίου τούτου* (Ol. 93, 3. ante Chr. 405.) *φησὶν Ἀριστοτέλης, ὅτι σύνδυο ἔδοξε χορηγεῖν τὰ Διονύσια τοῖς τραγῳδοῖς καὶ κωμῳδοῖς· χρόνῳ δὲ οὐ πολλῷ ὕστερον καθάπαξ τὰς χορηγίας περιεῖλε Κινησίας.*

287. 288. *domestica facta*] Nos: *Nazionalstücke dichten.* — *praetextas*] *Praetextatas*, id est, tragoedias Latinas Romani argumenti (Brutus, Decius, Marcellus) ita nominatas, quia illustres viri toga praetexta induti in iis agebant, atque oppositas *crepidatis* argumenti Graeci, scripserunt in primis Naevius, Pacuvius, Accius. — *togatas*] quas grammatici etiam *tabernarias* appellant, dicebant comoedias Romani argumenti, oppositas *palliatis*, argumenti Graeci.

Quemque poëtarum limae labor et mora. Vos, o
Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies et multa litura coërcuit atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem.
Ingenium misera quia fortunatius arte
Crédit et excludit sanos Helicone poëtas
Democritus, bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium nomenque poëtae,

v. 294. *Praesectum* Lamb. Bentl.

«Et togatas Aelius Lamia, Antonius Rufus, Cn. (l. C.) Melissus, (Titinius), Afranius, Pomponius scripserunt.» Acr.

289—294. *Nec virtute*] Iam enumerat vitia, in quae plerumque incurrere solent poëtae Latini (vv. 289—308.), et quidem primum esse ait limae taedium, nimiam contra opinionem de insito cuique ingenio, quod saepe ridiculis modis affectent ac suis popularibus ostentent. — *Pompilius*] «Quia Calpus (μυθικὸς) filius est Numae Pompilii, a quo Calpurnii Pisones traxerunt nomen.» Porph. Panegyr. in Pis. v. 14: *nam quid memorare necesse est, Ut domus a Calpo nomen Calpurnia ducat?* — *coërcuit*] «omnia supervacanea et nimis turgida removit, ut fit in vitium pampinis.» Quinctil. 9, 4, 5: *vites coërcemus manu.* — *Perfectum*] «ita ut perfectum sit, perfectionem attingat.» — Sic Polycletus dicere solebat, χαλεπώτατον εἶναι τὸ ἔργον, ὅταν ἐν ὄνυχι ὁ πηλὸς γίγνεται. — *castigavit*] «expolivit;» simili metaphora ut *coërcuit* desumpta ab arboribus. Theophr. C. Pl. 1: κολάζειν τὰ δένδρα. Philostr. Ep. 13: Μοχθηρὸν οὐκ ἀφανῶς νοῦς διαλόγους κολάζοντος.

295—300. *Ingenium*] «Sed permulti poëmata sua ideo non elimant, quia Democriti auctoritate abusi, ingenium atque ἐνθουσιασμόν, furorem poëticum, quem ipsi sibi tribuunt, longe anteponere solent arti, atque illi omnia licere contendunt, hanc *miseram* esse, nimis laboriosam nec dignam, qua exercenda poëta ingeniosus sese frustra vexet.» — *Democritus*] Cic. de Or. 2, 46. de Divin. 1, 37: *Negat sine furore Democritus quemquam poëtam magnum esse posse.* Scripsit autem περὶ ποιήσεως et περὶ Ὁμήρου. Diog. L. 9, 48. — *bona pars*] prorsus ut nos, *ein guter Theil.* Cf. Od. 4, 2, 42. Sat. 1, 1, 61. — *ungues ponere*] «Quo videantur divino illo furore periti, summam negligentiam in corpore curando affectant.» —

Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Licino commiserit. O ego laevus,
Qui purgor bilem sub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poëmata: verum
Nil tanti est. Ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi;
Munus et officium nil scribens ipse docebo,
Unde parentur opes, quid alat formetque poëtam,
Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.
Scribendi recte sapere est et principium et fons:
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae;
Verbaque provisam rem non invita sequentur.

*tribus Anticyris*] cfr. ad Sat. 2, 3, 83. Hoc dicit: «Insania, cui ter tantum hellebori, quantum Anticyrae quotannis crescit, mederi non possit, id est, prorsus insanabilis.»

301—309. *Licino*] «Nomen est tonsoris famosi, qui postea dicitur factus senator a Caesare, quod odisset Pompeium, de quo hoc scriptum est epitaphium: *Marmoreo tumulo Licinus iacet, at Cato nullo, Pompeius parvo: quis putet esse deos?*» Schol. — *O ego laevus*] Virg. Ecl. 1, 16. et Aen. 2, 54: *Si mens non laeva fuisset.* «O me hominem praeposterum, qui magnos istos poëtas non imitatus, remediis ad purgandam bilem aptis quotannis utor!» Bili enim tribuebant μελαγχολίαν. — *horam*] «anni tempus,» ut Od. 3, 13, 9. — *Nil tanti est*] «Nihil tanti aestimo, nulla prorsus mihi causa est, cur magnus poëta ad illorum scilicet modulum fieri cupiam. Ergo quoniam hoc mihi negatum est, criticum saltem agam.» — *cotis*] Isocrates rogatus, cur cum alios artem dicendi doceret, ipse taceret, respondit: *Καὶ αἱ ἀκόναι αὐταὶ μὲν τεμεῖν οὐ δύνανται, τὸν δὲ σίδηρον ὀξέα καὶ τμητικὸν ποιοῦσιν.* Lamb. (Plut. Vit. X. Or. p. 838. E.) — *nil scribens ipse*] «nullum poëma epicum aut dramaticum, sed sermones dumtaxat et lyrica quaedam.» Inest tamen festiva εἰρωνεία. — *opes*] ingenii, *quae constant copia rerum ac verborum* (Quinctil. 10, 1, 15.) iuncta cum facultate poëtica. — *quo virtus — ferat*] «facultas poëtica.»

310. 311. *Scribendi*] «Verum unde tandem pendent omnia quae adhuc proposui praecepta inveniendi, componendi, cetera? Unice a *sapiendo*. Evolvenda atque ex-

Qui didicit, patriae quid debeat et quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes,
Quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae
Partes in bellum missi ducis, ille profecto
Reddere personae scit conuenientia cuique.
Respicere exemplar vitae morumque iubebo
Doctum imitatorem et vivas hinc ducere voces.
Interdum speciosa locis morataque recte
Fabula nullius veneris, sine pondere et arte,
Valdius oblectat populum meliusque moratur,
Quam versus inopes rerum nugaeque canorae.

v. 318. *veras* Lamb.

ploranda est tota vita humana; nam ex hac una investigatione prodit veritas poëtica, praecipue in genere dramatico.» Hoc praeceptum exponit vv. 310—322. — *Rem*] «huius autem *sapientiae*, recti iudicii, prorsus egregia exempla praebent Socraticorum, in primis Platonis, Xenophontis, Aeschinis scripta;» hos enim fere aequiparabant grammatici et rhetores. — *provisam rem*] «Asinius Pollio idem dixit: Male hercule eveniat verbis, nisi rem sequuntur.» Porph. «Menander cum fabulam disposuisset, etiamsi nondum versibus adornasset, dicebat se tamen iam complesse.» Acr. *So auch Lessing von seiner noch nicht ausgearbeiteten Braut von Korinth: «Mein Stück ist fertig.»* Voss.

312—318. *Qui didicit*] Per totum h. l. versatur in primis circa τὰ ἤθη, quia in poësi scenica horum maxime ratio habenda est; *didicit* autem e Socraticorum potissimum scriptis. — *conscripti*] «senatoris,» ex formula *patres conscripti* uno fortasse hoc loco reperitur. — *Reddere*] «attribuere id, quod ei debetur.» — *exemplar vitae*] «vita, qualis nobis contemplantibus apparet.» — *Doctum*] «qui arti satisfaciat.» — *vivas*] «quae τὰ ἤθη καὶ πάθη recte atque dilucide exprimant, vere naturales.»

319—322. *speciosa locis*] *mit schönen Gedanken, einzelnen höchst gelungenen Partien;* «locis communibus, (Cic. Brut. 12, 46. Orat. 33, 118.) ῥήσεσι, quibus insunt γνῶμαι evidentia sua ac veritate allicientes et permulcentes auditorum animos.» — *morata*] «in qua mores singularum personarum optime exprimuntur.» Acr. — *nugaeque*] «versus leves, quod ad sententias

**Grais ingenium, Grais dedit ore rotundo**
**Musa loqui, praeter laudem nullius avaris.**
**Romani pueri longis rationibus assem** 325
**Discunt in partes centum diducere. Dicat**
**Filius Albini: Si de quincunce remota est**
**Uncia, quid superat? Poteras dixisse. Triens. Eu!**
**Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit?**
**Semis. At haec animos aerugo et cura peculi** 330
**Cum semel imbuerit, speramus carmina fingi**
**Posse linenda cedro et levi servanda cupresso?**

326. *Dicas* Bentl. coni. v. 328. *Poterat dixisse, Triens?* B.

pertinet, quantumvis numerosi ac sonori.»

323. 324. *Grais*] «Verum,» inquit, «maximo impedimento Latinae poësi est ipsa Romanorum educatio. Sane Graeci illi antiqui ab Homero usque ad Menandrum in omnibus iis, quae ad poësin spectant, longe nobis feliciores fuerunt, quippe quibus natura ipsa ingenium vere poëticum et facilitatem etiam reconditos animi sensus acite exprimendi largita sit. Neque vero illos ullius alius rei quam verae gloriae cupidos fuisse videmus: nostra perversa educatio quaestus ante omnia et lucri studium animis instillans, vim poëticam debilitat atque infringit.» Similis est locus Epp. 2, 1, 93. — *ore rotundo*] «Τὸ στρογγύλον rhetores Graeci in genere dixerunt, quidquid verbis et sententiis ita enuntiatum esset, ut in eorum forma concinnitas, elegantia et artificium appareret. — *praeter laudem*] «unius laudis appetentes.»

325—332. *rationibus*] *in langer Exempelberechnung.* Arnold. — *partes*] fractiones, *Brüche.* — *Dicat*] In ludum litterarium nos deducit poëta, ubi ratiocinandi artem pro poësi docet magister. — *Albini*] «nomen feneratoris avari.» Comm. Cr. — *superat*] Codd. mei cum Monacc. et Pottierii omnibus. Sane oratio recta efficacior est quam coniunctivus. — *Poteras dixisse*] Verba haec sunt magistri, discipulum non tam corripientis, quod tardiuscule respondeat, quam cum leni εἰρωνείᾳ excitantis, cum certus sit magister puerum illico recte esse responsurum. Bene Voss: *Nur heraus! Du weisst es!* — *Triens*] tertia pars assis, id est, quattuor unciae. — *Redit*] «contra si ad quincuncem additur uncia, fit semis, dimidia pars assis sive sex unciae.» — *At, haec*] Sic recte

Aut prodesse volunt aut delectare poëtae,
Aut simul et iucunda et idonea dicere vitae.
Quidquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles teneantque fideles;
Omne supervacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis causa sint proxima veris,
Nec quodcunque volet, poscat sibi fabula credi,
Neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat alvo.
Centuriae seniorum agitant expertia frugis,
Celsi praetereunt austera poëmata Ramnes:

v. 327. *Poterat* e Codd. Bentl. v. 330. *An* e Codd. Bentl. v. 337. suspectus Bentleio.

erumpit liberrima indignatio. *An* dubitantis esset, sed sine causa. — *aerugo*] «avaritia, quae rodit animos atque extenuat, ut aerugo aes.» Seneca Ep. 7: *Malignus comes quamvis candido ac simplici rubiginem suam adfricuit.* — *peculi*] ut Virg. Ecl. 1, 33. de pecunia propria industria ac parcimonia parta. — *linenda cedro*] Cedri oleo peruncta materies nec tineam nec cariem sentit, ut docet Plinius 16, 88. «Ex cupressino autem ligno confici solebant capsulae, in quibus reponebantur scripta poëtarum contra tineas.» Comm. Cr.

337. *Omne supervacuum*] «Ut de vase iam pleno aqua insuper affusa defluit, ita animum praecepto aliquo iam impletum, omnia, quae praeterea adduntur, quippe supervacanea, non tangunt, sed fastidio afficiunt.»

338—340. *proxima veris*] «ne laedatur veritas *(Illusion)* poëtica.» Aristot. Poët. 25: *πρὸς τὴν ποίησιν αἱρετώτερον πιθανὸν ἀδύνατον ἢ ἀπίθανον καὶ δυνατόν.* — *Lamiae*] «Lamia est monstrum superne habens speciem mulieris, inferne vero desinit in pedes asininos.» Comm. Cr. Hae dicebantur pueros vel devorare vel eorum sanguinem exsugere; unde ut Empusa ac Mormo infantium terriculamenta erant. «Ridicule autem *pransae*, quasi vero hoc quotidie fieret.» Gloss.

341—346. *Centuriae seniorum*] In classibus a Servio Tullio institutis omnes, qui annum aetatis XLV. egressi erant, seniorum centuriis adnumerabantur. «Viri iam maturi exagitant et reprehendunt poëmata nimis iocosa et parum sententiosa; contra Ramnes, equites iuniores, non sine quodam fastu atque arrogantia per populum incedentes, ut faciunt iuvenes et validi et locupletes, spernunt poëmata nimis seria nulloque *φαντασίας* ornatu se com-

**Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci**
**Lectorem delectando pariterque monendo.**
**Hic meret aera liber Sosiis; hic et mare transit**
**Et longum noto scriptori prorogat aevum.**
**Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus:**
**Nam neque chorda sonum reddit, quem volt manus et mens,**
**Poscentique gravem persaepe remittit acutum;**
**Nec semper feriet quodcunque minabitur arcus.**
**Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis**
**Offendar maculis, quas aut incuria fudit**

mendantia.» Qui *Ramnes* proprie dicti ex communi opinione fuerint, disce ex Livio 1, 13. Ad v. *celsi* cfr. Cic. de Or. 1, 40: *Haec ignorantem erectum et celsum - - vagari magna cum caterva toto foro* cet. — *Omne tulit punctum*] Anthol. Lat. Meyeri N. 780: *Suffragiorum puncta non tulit septem.* V. ad Sat. 2, 2, 49. Est igitur: «Omnes eum laudibus celebrant.» — *Sosiis*] Cfr. Epp. 1, 20, 2. «Bibliopolis insignem quaestum affert poëma bonum.» — *mare transit*] Cfr. Epp. 1, 20, 13. — *longum prorogat aevum*] «prorogat, ut longum fiat.»

347—352. *Sunt delicta*] Proposita excellentissimi poëmatis imagine, quod scriptorem immortalem reddat, perquam apposite ita pergit: «Nunquam tamen obliviscar ad illam perfectionis absolutae speciem, quam mente tantum videmus (*τὴν ἰδέαν τοῦ καλοῦ*), pervenire eamque exsequi mortalibus negatum esse; quocirca aequa et humana sint nostra iudicia de summorum poëtarum erroribus et delictis.» — *neque chorda*] Proponit duplex exemplum erroris non consulto aut iudicii pravitate commissi, sed potius instrumentis minus perfectis tribuendi, ut plerumque ipsi sermonis inopiae. — *minabitur*] «minabitur ferire, quo eum sagittarii oculus manusque dirigit.»

353—356. *Quid ergo est?*] «Verum, ut video,» inquit, «iustissima hac excusatione abuti possunt etiam mali poëtae, quorum defensioni iamiam occurram. At si futilis scriptor eadem purgatione uteretur, illico refutandus erit.» — *scriptor librarius*] «servus, qui libros describit vel domino litterato vel bibliopolae.» — *peccat idem*] pro volgari: «in eodem peccat,» «idem peccatum semper committit.» Sic etiam Cic. de N. D. 1, 12: *Xeno-*

Aut humana parum cavit natura. Quid ergo est ?
Ut scriptor si peccat idem librarius usque,
Quamvis est monitus, venia caret; ut citharoedus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem,
Sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille,
Quem bis terve bonum cum risu miror; et idem
Indignor quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum operi longo fas est obrepere somnum.
Ut pictura, poësis: erit, quae, si propius stes,
Te capiat magis, et quaedam, si longius abstes,

*phon eadem fere peccat, — oberrat*] «qui in eadem chorda pollice tangenda eundem semper errorem committit.»

357—360. *multum cessat*] *fehlt*, «propter negligentiam officio suo non satisfacit,» ut Epp. 2, 2, 14: *Semel hic cessavit.* — *Choerilus*] Epp. 2, 1, 232. «Choerilus, qui gesta Alexandri describens septem tantum versus laudabiles fecit; cui Alexander fertur dixisse, malle se Thersiten Homeri esse quam huius Achillem. Alexander autem pactus cum eo, ut si bonum faceret versum, aureo numismate donaretur, si malum, colapho feriretur, ille saepius male scribendo colaphis necatus est.» Comm. Cr. Sed de insulsis his Scholiastarum narratiunculis tu confer Naekii Choerilum p. 36. 206. 207. — *Indignor*] «Aegerrime item fero, quandocunque in Homero vitium aliquod animadverto, quia eum his prorsus exemptum cuperem. Attamen ita Homerum mecum ipse excuso mirandum non esse, si vel summus poëta in poëmatis tam longis interdum, sed raro, cesset.» — *Dormitat*] Refer ad *διαφωνίας* ac miras illas difficultates, quae *λύσεσι* praesertim Alexandrinorum originem dederunt, atque ad ea omnia, quae propter nimiam scilicet simplicitatem vel propter morum ac sentiendi discrepantiam displicebant Alexandrinis et Romanis horum iudicium plerumque secutis.

361—365. *Ut pictura, poësis*] Antiqua est comparatio, saepe prave intellecta. Plutarch. de gloria Athen. p. 346. F.: *Ὁ Σιμωνίδης τὴν μὲν ζωγραφίαν ποίησιν σιωπῶσαν προσηγόρευεν, τὴν δὲ ποίησιν ζωγραφίαν λαλοῦσαν.* — *abstes*] videtur *ἅπαξ λεγόμενον*, unde corruptelae *adstes, absis;* formatum est ad analogiam v. *ἀφίσταμαι*, sed propter sonum asperiorem praeterea raro aut nunquam

Haec amat obscurum, volet haec sub luce videri,
Iudicis argutum quae non formidat acumen;
Haec placuit semel, haec decies repetita placebit.
O maior iuvenum, quamvis et voce paterna
Fingeris ad rectum et per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor, certis medium et tolerabile rebus
Recte concedi. Consultus iuris et actor
Causarum mediocris abest virtute diserti
Messalae nec scit quantum Cascellius Aulus,
Sed tamen in pretio est: mediocribus esse poëtis
Non homines, non di, non concessere columnae.
Ut gratas inter mensas symphonia discors
Et crassum unguentum et Sardo cum melle papaver

usurpatum. — *Haec amat obscurum*] «quae virtutibus quidem non caret, sed tamen suo iure postulat partim, ne nimis diligenter investigentur loci minus expoliti, partim ut *φαντασίᾳ* potius et miti quodam humanitatis sensu (*gemüthlich*) eam amplectamur, quam subtili intellectus iudicio subiiciamus.» — *argutum - - acumen*] *feiner Scharfblick.*

366—369. *O maior*] «L. Piso.» Acr. — *Tolle memor*] Excidunt loquenti verba; qui ea in mentem suam recipit, veluti *tollit*, (*aufnehmen, aufheben.*) — *certis*] «quibusdam,» non: «definitis, *abgegränzte.*»

371—373. *Messalae*] Est notus ille M. Valerius Messala Corvinus, Tibulli fautor. Seneca Controv. 2, 12: *Fuit Messala exactissimi ingenii in omnes quidem studiorum partes, Latini utique sermonis observator diligentissimus. Extat pro Pythodoro oratio disertissima.* — *A. Cascellius*, clarissimus ICtus, homo dicax ac facetus (Macrob. Sat. 2, 6.) et clarus *Bene dictorum* libro, *vir iuris civilis scientia clarus* fuit iam triumvirorum tempore a. u. c. 712. teste Val. Max. 6, 2, 1., admodum igitur senex eo anno quo hic liber scriptus est. — *Non homines, non di*] Cic. ad Fam. 1, 9: *dis hominibusque approbantibus.* Liv. 3, 17. 40, 12. cui formulae *παρὰ προσδοκίαν* addit: *non concessere columnae*, eaedem, quae Sat. 1, 4, 71. vocantur *pilae*, ante bibliopolarum tabernas; quibus columnis librorum venalium indices affigebantur. — «Etiam columnas illas inanimatas pudet mediocrium poëtarum et horum nomina sibi affigi indignantur non secus atque iis

Offenderit, poterat duci quia coena sine istis,
Sic animis natum inventumque poëma iuvandis,
Si paullum summo decessit, vergit ad imum.
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilae discive trochive quiescit,
Ne spissae risum tollant impune coronae:
Qui nescit, versus tamen audet fingere. Quidni?
Liber et ingenuus, praesertim census equestrem
Summam nummorum vitioque remotus ab omni.
Tu nihil invita dices faciesve Minerva;
Id tibi iudicium est, ea mens. Si quid tamen olim
Scripseris, in Maeci descendat iudicis aures,

v. 386. *esto* Fea.

irati sunt di hominesque.» (Nullos videlicet reperiunt emptores.)

375. 376. *Sardo cum melle*] «Corsicum et Sardum mel pessimi saporis est.» PORPH. — *duci*] «poterat aeque hilariter produci coena sine istis παρέργοις, quae, cum praepostera sunt, molestia afficiunt convivas.»

379—383. *Ludere*] «Quamvis haec (vv. 372—378.) nemo negare audeat, tamen nescio qua insania acti, imperiti permulti poësin exercent.» Ceterum similis sententia est Epp. 2, 1, 114. — *campestribus*] «quibus utuntur ludentes in Campo Martio.» — *coronae*] «spectatorum catervae,» ut Epp. 1, 18, 64. — *Quidni?*] respondet unus ex isto malorum poëtarum grege: «Quis mihi interdicet versus pangere, cum sim liber, liberis parentibus natus et, quod maius etiam est, eques Romanus, sine ullo crimine, nunquam *censoriae severitatis nota inustus*.» (Cic. Cluent. 46.) — *equestrem*] «cum census sim quadringenties sestertium,» (senatorii census dimidia parte.)

385—390. *Tu*] Tu vero noli istorum similis esse; primum explora te ipsum, utrum poëticam indolem tibi largita sit natura necne; tum consule amicos.» — *Invita - Minerva*] Cic. de Off. 1, 31: *invita, ut aiunt, Minerva, id est, adversante et repugnante natura.* — *Id tibi*] Frequentius per relativa: «quod tuum iudicium, quae tua mens est; pro tuo iudicio, probe mihi noto.» — *Maeci*] Sp. Maecius Tarpa; de quo vide Sat. 1, 10, 38. — *et nostras*] «qui vere tibi sum amicus;» sine ulla arrogantia dictum est. —

Et patris et nostras, nonumque prematur in annum,
Membranis intus positis: delere licebit,
Quod non edideris; nescit vox missa reverti.
Silvestres homines sacer interpresque deorum
Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones.
Dictus et Amphion, Thebanae conditor arcis
Saxa movere sono testudinis et prece blanda
Ducere quo vellet. Fuit haec sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis,

v. 394. *urbis* Fea, Mein.

*nonumque*] «Noli poëmatis tui editionem praecipitare (Quinctil. Ep. ad Tryph. 1.); sed per plures annos retineatur in scrinio, quo tranquillo animo elimare poëma tuum possis.» — *nescit*] Epp. 1, 18, 71: *volat irrevocabile verbum.*

391—394. Exposito poësis fine atque artificio omni occultam ἀντίθεσιν faciens adversus infelices illos poëtas, veram eius dignitatem praedicat a religionibus ac legibus per sacros vates primum constitutis, quae simul est mythica poësis historia fortasse ex Neoptolemo hausta. (vv. 391—401.) Cfr. Epp. 2, 1, 129. — *Silvestres homines*] Cfr. Sat. 1, 3, 99. — *sacer*] Puto non tam esse θεῖον ἀοιδὸν Homeri quam Orphea τὸν θεολόγον, ut ab Aristotele appellatur, et Virgilio Aen. 6, 645. *Orpheus* est *Threïcius sacerdos.* — *interpresque deorum.*] Rhesi v. 943: *Μυστηρίων δὲ τῶν ἀποῤῥήτων φανὰς Ἔδειξεν Ὀρφεύς.* Aristoph. Ran. 1032: *Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετάς θ' ἡμῖν κατέδειξε φόνων τ' ἀπέχεσθαι.* — *victu foedo*] glandibus et ferina cruda. — *deterruit*] «a tali foeditate acriter dehortatus est, donec ab ea desuefacti essent.» — *Orpheus*] a quo poësis primordia Graeci repetere solebant, etsi Linus praecessisse videbatur Orpheum. Prima eius mentio fieri videtur apud Ibycum Rel. p. 160 Schn.: *ὀνομακλυτὸς Ὄρφη* (vocat.) Pind. Pyth. 4, 176: *ἐξ Ἀπόλλωνος δὲ φορμικτὰς ἀοιδᾶν πατὴρ Ἔμολεν εὐαίνητος Ὀρφεύς.* — *Amphion*] Od. 3, 11, 2. Epp. 1, 18, 41.

396—400. *Fuit haec sapientia*] Poëtae, ut ait Plato in Lyside p. 214: *ἡμῖν ὥσπερ πατέρες τῆς σοφίας εἰσὶ καὶ ἡγεμόνες.* — *Publica*] in quattuor genera hoc v. memorata omnes res partiebantur Romani. — *Concubitu vago*] promiscuo, sine connubio certo et stabili, unde *venerem incertam* vocat Sat. 1, 3, 109. — *dare iura*] cum lex matrimo-

Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno:
Sic honor et nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus
Tyrtaeusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit; dictae per carmina sortes,
Et vitae monstrata via est, et gratia regum
Pieriis tentata modis, ludusque repertus
Et longorum operum finis: ne forte pudori
Sit tibi Musa lyrae solers et cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen, an arte,

nii stabilis constitueretur. — *maritis*] «et viro et mulieri.» — *ligno*] «Aereis enim tabulis antiqui non sunt usi, sed roboreis. In has incidebant leges, unde adhuc Athenis legum tabulae ἄξονες (et κύρβεις) vocantur.» Porphyr. — *Sic honor*] «Posteritas beneficia a Lino, Orpheo, Musaeo celebrisque sacris illis deorum interpretibus accepta grato animo agnoscens eos immortalitati consecravit.»

401—407. *Post hos*] A vatibus mythicis, quos di inspirarant, transit ad historiam poësis veram apud Graecos, sed poëticam. — *Tyrtaeum*] Notis de eo fabulas hic copiose narrant Scholiastae. — *sortes*] «Oracula in primis Delphica dicit.» Gloss. — *vitae monstrata via*] poëmatis didascalicis et gnomicis; significat Hesiodum, Solonem, Theognidem cet. — *gratia regum*] Sic Pindarus, Simonides, Bacchylides Hieronis, Theronis aliorumque principum virorum favorem carminibus ambiverunt. — *ludusque*] «remissio et oblectatio animorum per poësin scenicam in Dionysiis τοῖς κατ' ἀγρούς mense Posideone (s. Decembri) celebratis, quae simul operum rusticorum finem faciebant.» — *lyrae solers*] «artifex carminis lyrici.» — *cantor Apollo*] qui in multis sculpturis et nummis citharoedi habitu exprimitur.

408—411. *Natura*] Brevi mox praecepturus, quomodo educandus formandusque sit verus hic poëta, prius tangit quaestionem frequenter ab antiquis institutam. Pindarus quidem naturae primas defert Olymp. 2, 86: σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ· μαθόντες δὲ λάβροι Παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὡς, ἄκραντα γαρύετον Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον. Cum Horatio facit Cicero pro Archia 7: *Ego contendo cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum*

Quaesitum est: ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid possit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res et coniurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,
Abstinuit venere et vino; qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum.
Nec satis est dixisse: Ego mira poëmata pango;
Occupet extremum scabies; mihi turpe relinqui est
Et, quod non didici, sane nescire fateri.
Ut praeco, ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores iubet ad lucrum ire poëta

v. 410. *prosit* Codd. multi. Lamb. v. 416. Al. *Non*, al. *Nunc*.

*clarum ac singulare solere existere.* — *studium sine divite vena*] ut est tota Callimachi poësis. — *vena*] Desumpta est metaphora ab auri argentique venis in metallis. — *possit*] «quid magni ac duraturi possit efficere.» — *coniurat*] Frequentius hac significatione est v. *conspirare* ad intimam consensionem et coniunctionem exprimendam.

412—418. *Qui studet*] Paucis verbis educat poëtam a teneris unguiculis, ut oratorem Quinctilianus. «Accurata,» inquit, «educatione ac praeparatione opus est futuro poëtae,» quem cum cursore Olympico comparat. — *Pythia*] certamina, Πυθαύλης. — *scabies*] «Est imprecatio tracta a ludo puerili; qui enim praeest currentibus ad metam pueris, dicere solet: Qui primus ad metam venerit, is vicerit eumque in ulnas meas accipiam; qui vero erit ultimus, occupet eum scabies, eum respuam ut scabiosum.» Comm. Cr. Puerilem ludi formulam singulari venustate sectatus est, ut Epp. 1, 1, 59: *Rex eris, aiunt, Si recte facies.* — *sane*] Non est: «more sani hominis et modeste,» ut volunt; sed «utique» ex oratione recta: «Sane fateor me nescire» in obliquam deflexum.

419—425. *Ut*] «Verum praeter permultorum levitatem et socordiam in studiis poëticis alterum quoque periculum minitantur poëtis in primis locupletibus assentatorum et adulatorum greges, qui patronos suos falsis laudibus decipiunt. A talibus tu, Piso, tibi cave!» — *praeco*] «qui magno clamore merces suas commendando emptores congregat et allicit.» — *iubet*]

Dives agris, dives positis in fenore nummis.
Si vero est, unctum qui recte ponere possit,
Et spondere levi pro paupere et eripere atris
Litibus implicitum, mirabor si sciet inter-
noscere mendacem verumque beatus amicum.
Tu seu donaris seu quid donare voles cui,
Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
Laetitiae; clamabit enim Pulchre! bene! recte!
Pallescet super his, etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram.
Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo, sic

v. 423. *artis* Bentl. Mein.

«vel tacitus invitat homines viles, ut apud virum locupletem inceliam aliquod quaerant vel saltem mensam opiparam, etsi nondum sciunt, utrum largus ille sit necne.» — *Dives agris*] Versum sibi placitum repetit ex Sat. 1, 2, 13., ut Sat. 1, 6, 74., et Epp. 1, 1, 56. — *Si vero*] «Iam si noverunt assentatores divitem illum etiam munificum esse, veluti globo facto ad eum concarrunt.» — *unctum*] «cibum, lautum convivium et tersum.» Acr. Est ut Epp. 1, 15, 44. — *recte ponere*] «Scite atque eleganter apponere ferculа.» — *levi*] «qui sine tali sponsore fide careret nec ab alio pecuniam mutuam sumere posset.» — *atris*] usurpatur de rebus feralibus et de omnibus, quae tristia sunt atque ingrata. Dictum igitur est, ut *atrae curae*. Od. 4, 11, 35; h. l. eae, quae e litibus oriantur. — *inter-noscere*] ut Epp. 2, 2, 96: *circum-spectemus*. — *beatus*] «prorsus fortunatum se reputans et exultans laudibus, quibus adulator eum cumulat.»

429—437. *Pallescet super his*] «de locis tragoediae tuae φοβερολόγοις, terrorem spirantibus, simulabit palborem, ἔκπληξιν; maestas querimonias audiens flebit; in aliis locis sublimibus summam ἔκστασιν prodet e cathedra exiliens atque prae laetitia saltans.» — *qui conducti*] «omnes qui funus curant, designatores, tubicines, ii, qui maiorum imagines praeportant,» non solum praeficae, quas designat Kirchmanni et Marklandi supervacanea coni. *quae conductae*. Lucil. p. 373. Hav.: *mercede quae Conductae flent alieno in funere praeficae, Multo et capillos scin-*

Derisor vero plus laudatore movetur.
Reges dicuntur multis urgere culullis
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus: si carmina condes,
Numquam te fallant animi sub volpe latentes.
Quinctilio si quid recitares, Corrige sodes
Hoc, aiebat, et hoc. Melius te posse negares,
Bis terque expertum frustra, delere iubebat
Et male tornatos incudi reddere versus.
Si defendere delictum quam vertere malles,

v. 441. *male formatos* Guyetus. *male ter natos* Bentl. conj.

*dunt et clamant magis.* — *Derisor*] *σίρων*, falsus laudator. — *movetur*] «simulatam animi commotionem externis signis exprimere conatur.» — *Reges*] ut saepe, locupletes. — *culullis*] Od. 1, 31, 11. pr. calicibus fictilibus. Timocles in Grotii Exc. p. 693: *Παιδάξω τ' ἴσον ἴσῳ ποτηρίοις Μεγάλοις δπασαν τὴν ἀληθείαν φράσαι.* Grotius: *Potens par pari urgebo virum Magnis culullis, verum ut omne enuntiet.* — *perspexisse*] «penitus nosse vehementer cupiunt.» — *sub volpe latentes*] «dolosi ac duplices.» Ruhnk. ad Tim. L. Pl. p. 214. Lips.: «Τὴν ἀλωπεκῆν' τὴν πανουργίαν. Notissimum est Lysandri dictum: *ὅπου ἡ λεοντῆ μὴ ἐφικνεῖται, προσραπτέον ἐκεῖ τὴν ἀλωπεκῆν. Ἀλώπηξ* autem dicitur pro pelle volpina, ut *λέων* pro pelle leonina» cet.

438—444. *Quinctilio*] Assentatori nunc opponit imaginem sinceri criticii (vv. 433—452.) et ut talem laudat Quinctilium Varum Cremonensem, cuius mortem luget Od. 1, 24. (a. u. c. 730.) — *male tornatos*] Copiose Fea refutavit Bentleium contendentem *tornum* et *incudem* esse res diversas, quae coniungi non possint; neque vero vel unum apud veteres scriptores locum exstare, quo *tornus* metallis elaborandis adhibeatur. Fea affert Vitruv. 10, 12: *Emboli masculi ex aere, torno politi*, et instrumenta antiqua, ab ipso Romae visa. — Nulla autem repugnantia est in vv. *tornatos incudi reddere*: nam si minus recte opus suum perfecisset artifex in metalli ornamentis torno elaborandis, consentaneum erat, ut in incude marculi ictibus omnia tollerentur, ut, cum rotundatum esset metallum, denuo torno includeretur. Ceterum metaphora est frequens: Plat. Phaedr. p. 234. E.: *στρογγύλα καὶ ἀκριβῶς ἔτυκται τῶν ἀνομάτων ἀποτετόρνευται.* Propert. 2, 34, 43: *Incipe iam angusto versus includere torno.* Coniectura autem *natos* significa-

Nullum ultra verbum aut operam insumebat inanem,
Quin sine rivali teque et tua solus amares.
Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes, 445
Culpabit duros, incomptis adlinet atrum
Traverso calamo signum, ambitiosa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambiguo dictum, mutanda notabit,
Fiet Aristarchus; non dicet: Cur ego amicum 450
Offendam in nugis? Hae nugae seria ducent
In mala derisum semel exceptumque sinistre.

v. 450. *nec dicet* Lamb. Fea.

ret rem prorsus fortuitam et *ter natos* inconcinne dictum videtur. — *verters*] ab eo, quod dicebant *stilum vertere*; «mutare et corrigere.» — *Quin — amares*] Si Quinctilius ipse hanc sententiam pronuntiasset, dixisset: *Quin — amas*; hic cum eius cogitatio tantum significatur, Horatius utitur coniunctivo. Alii minus apte explicant: «non impediebat te, quo minus — amares.»

445—452. *inertes*] «sine arte et gravitate factos.» Comm. Cr. In primis significat otiosos, nihil dicentes, quod magnopere ad rem faciat, *die Leerheit*. Voss. — *incomptis*] «minus elegantibus propter verba humilia et ἄκυρα.» — *Traverso*] «obelo versus initio apposito (id quod inest in v. *adlinet*, *anstreichen*:) significabit versum esse delendum.» — *ambitiosa*] *gefallsüchtige*. — *Ornamenta*] «Figuras elocutionis et imagines propter id tantummodo quaesitas, quo novitate et audacia placeant lectoribus, cum veritate careant, reciđi iubebit.» Epp. 2, 2, 122: *luxuriantia compescet*. — *Arguet*] «Ipsa reprehensione clare demonstrabit huiusmodi amphibolias vitandas esse.» — *mutanda*] Hoc refertur ad singula verba eorumque ordinem; de totis enim versibus corrigendis satis dixerat vv. 445—447. — *Aristarchus*] «Omnino erit alter Aristarchus,» cuius ut summi critici nomen in proverbium abierit. Cic. ad Att. 1, 11: *mearum orationum tu Aristarchus es*. — *non dicet*] «quocirca hic tam severus criticus nunquam profecto dicet.» — *in nugis*] «in rebus leviculis, ut est unus alterve versiculus reprehensione dignus. «At vero hae ipsae nugae in causa erunt, ut amicus in eandem turpissimam famam incidat, quae persecuta est etiam apud posteritatem Choerilum, Bavium, Maevium; quod merito *serium malum* dici debet.» — *derisum*] «a popularibus suis explosum.»

453—456. In epilogo, ut solet

Ut mala quem scabies aut morbus regius urget
Aut fanaticus error et iracunda Diana,
Vesanum tetigisse timent fugiuntque poëtam,
Qui sapiunt; agitant pueri incautique sequuntur.
Hic, dum sublimis versus ructatur et errat,
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum foveamve, licet, Succurrite, longum
Clamet, Io cives! non sit, qui tollere curet.
Si curet quis opem ferre et demittere funem,
Qui scis, an prudens huc se proiecerit atque
Servari nolit? dicam, Siculique poëtae
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi

(cfr. ad Epp. 2, 1. extr.) ridiculam proponit imaginem poëtae prorsus vesani et ab omnibus derisi (vv. 453 — 476.) — *morbus regius*] morbus arquatus, ἴκτερος, *Gelbsucht*. Cels. 3, 24: *Per omne tempus utendum est lusu, ioco, ludis, lascivia, per quae mens exhilaretur; ob quae* regius morbus *dictus videtur*. — *fanaticus error*] Flor. 3, 19: *fanaticus furor*, qualem in primis a Cybele et Bellona sacerdotibus immitti putabant; unde in Inscript. m. Lat. N. 2317: *EX AEDE BELLONAES PVLVINESIS FANATICVS*. — *Diana*] «quae quos ira sua persequitur lunaticos, σεληνιακούς, reddit.» Talium autem aegrotorum contactum, ne ipsi iisdem morbis inficerentur, fugere solebant; pueri contra lascivi eos contumeliosis verbis lacessebant. — *incauti*] saepe enim furiosi eos lapidibus fustibusque a se abigebant.

457—462. *sublimis*] «μετέωρος, elato et retrotracto capite circumcursans non sine arrogantia neque attentus ad ea, quae sub eius pedibus sunt.» — *ructatur*] «remus et immunditos et insanos effutit.» — *auceps*] Similis exstat narratiuncula de Thalete apud Plat. in Theaeteto p. 174. A. et Diog. Laërt. 1, 34. — *longum*] Iliad. γ, 81.: *μακρὸν ἄϋσεν*. — *Io cives*] Similis formula opem invocandi est *Porro Quirites*. — *non sit*] imperative ut Sat. 2, 5, 91: *Non etiam sileas*. — *Qui scis*] «Quomodo scis, an contra quam tu opinaris, consulto se praecipitem in puteum proiecerit? quod consilium impedire non licet.» In huiusmodi propositionibus nos convertimus ac si esset *an non, ob nicht*. Cfr. Od. 2, 4, 13.

463—468. *Siculique*] «Et quidem talis insaniae exemplum omnibus notum est, Empedocles. Agri-